COMMENTARIJ IN TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA, IUXTA SUBTILIS...

Juan Merinero, Ascanio Rivaldi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
8 0
14

Digitized by Google

A V c 1H

Digitized by Google

14
6
D
37

Digitized by Google

COMMENTARII IN TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA,

IVXTA SVBTILIS DOCTORIS IOANNIS DVNS SCOTI MENTEM, VNA CVM DISPVTATIONIBVS, ET QVÆSTIONIBVS, HOC TEMPORE AGITARI SOLITIS.

AD VNIVERSVM ORDINEM FRATRVM MINORVM.

AVCTORE

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. Domino D. Fratre Ioanne Merinero, Matritenſi: olim in Conuentu Complutenſi Sanctæ Mariæ à Ieſu, Lectore Theologo Iubilato: in alma Caſtellæ Prouincia Miniſtro Prouinciali: poſteà totius Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro. Nunc Sanctæ Eccleſiæ Vallis Oletanæ Epiſcopo.

CVM PRIVILEGIO.

Matriti apud Matthæum Fernandez Typographũ Regium. Anno M.DC.LIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

FEE DE ERRATAS.

PAg.65 col.2.lin.14 pendeat,dig.pendeant.Pag. 171. col.1. lin 14 contrariam,dig.contrarium.Pag.225. col. 1. lin. 6. colluſione,dig.colliſione. Pag.406.col.1.lin 38.habituto,diga habitudo.

HIc liber inſcriptus *Curſus Philoſophicus in quinque tomis, ex Logica, Phyſica, Generatione, & de anima, demptis his mendis*, ſuis exẽplaribus reſpondet. Dat.Matriti die 5.menſ.Martij anno 1659.

Lic. D. Carolus Murcia de la Llana.

Suma de la Taſſa.

ESte Curſo Filoſofico taſſaron los ſeñores del Conſejo à cinco marauedis cada pliego, en quinze de Março de mil, y ſeiſcientos, y cinquenta, y nueue, en el Oficio de Miguel Fernandez de Noriega.

EStà aprobado eſte Curſo Filoſofico por el Iluſtriſsimo y Reuerendiſsimo ſeñor D. Fray Franciſco de Araujo, Obiſpo de Segouia; y por los Reuerendiſsimos Padres Fray Alonſo de Herrera, y Fray Diego Ramirez.

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM, DISPVTAtionum, quæſtionum, ſectionum, & dubiorum, quæ in hoc opere de anima continentur.

PRoœmium in tres libros de anima.pag 1.
An de anima poſsit eſſe ſcientia, & qualis illa ſit? pagin. 1.
An ad phyſicum ſpectet agere de anima?pag.3
De obiecto horum librorum. pag 7.
Quem ordinem ſeruet hic tractatus inter partes Philoſophiæ?pag 9
Quo pacto hic tractatus ab Ariſtotele ſit diuiſus? pagin. 12.
Quæ ſint propoſitiones de fide tenendæ circa doctrinam de anima?pag.12.
Summa textus primi libri. pagin. 14.
Diſput. vnica de his, quæ docet Ariſtoteles in hoc primo libro, pagin.14.
Quæſt. 1. An ſcientia de anima ſit nobilior, & certior alijs ſcientijs?pag.15.
Quæſt. 2. Quibus rebus ſit vtilis ſcientia de anima? pagin. 16.
Quæſt. 3. An accidentia conducant ad cognitionem ſubſtantiæ?pag 17.
Quæſt. 4. An dialecticus definiat per formam; phyſicus autē per materiam?pag.20.
Summa textus ſecundi libri. p.21.
Annotationes circa literam huius ſecundi libri.pag.32.
Diſput. 1. De eſſentia, & quidditate animæ in communi ſumptæ pag.33.
Quæſt. 1. Quæ, & qualis ſit prima definitio animæ tradita ab Ariſtot.?pag.33.
Quæſt. 2. Quæ, & qualis ſit ſecunda definitio animæ tradita ab Ariſt.?pag.50.
Diſp 2. *De pluralitate animarum, & de modo, quo informant corpus.*pag.62.
Quæſt 1. De numero animarū, animatorum, & potentiarū. pag.62.
Quæſt. 2. Vtrùm in eodem viuente ſint plures animæ?pagin 65.
Quæſt. 3. An anima rationalis ſit formaliter vegetatiua, & ſenſitiua?pag.74.
Quæſt. 4. Vtrùm omnes animæ ſint æqualis perfectionis?pagin 77.
Quæſt. 5. Vtrùm omnes animæ ſint indiuiſibiles? pagin. 81.
Quæſt. 6. Vtrùm anima informet

Digitized by Google

met omnes, & ſingulas partes corporis? pag. 88.
Sect. 1. De partibus ſolidis. pagin. 89.
Sect. 2. De partibus fluidis. pagin. 90.
Sect. 3. De capillis, & vnguibus. pag. 95.
Diſput. 3. *De potentijs animæ in communi conſideratis.* pag. 96.
Quæſt. 1. Quomodo potentiæ animæ ab ipſa anima, vel ab organis ſubſtantialibus, in quibus reſident, diſtinguantur? pag. 96.
Quæſt. 2. Vtrùm potentiæ ſpecificentur ab actibus, & actus ab obiectis? pag. 106.
Diſp. 4. *De potentijs animæ vegetatiuæ, & de actibus eius.* pag. 111.
Quæſt. 1. Quid ſit potentia nutritiua? pag. 112.
Quæſt. 2. Vtrùm potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua realiter, & eſſentialiter diſtinguantur? pagin. 117.
Quæſt. 3. Quod nam ſit ſubiectum nutritiuæ, augmentatiuæ, & generatiuæ potētiæ? pag. 126.
Quæſt. 4. Quid ſit generatio viuentis? pag. 130
Quæſt. 5. In quo ſenſu generare ſibi ſimile ſit naturaliſsimum opus viuentium? pag. 135.
Diſput. 5. *De ſpeciebus ſenſibilibus.* pag. 137.
Quæſt. 1. An ſint ponendæ ſpecies ſenſibiles? pag. 137.
Quæſt. 2. Quomodo ſpecies ſenſibiles concurrant cum potentia ſenſitiua ad ſenſationem? p 140.
Quæſt. 3. Quid ſint ſpecies ſenſibiles? pag. 146.
Quæſt. 4. De extenſione, & intenſione ſpeciei ſenſibilis. pag. 157.
Quæſt. 5. A quo, & quomodo producatur ſpecies impreſſa ſenſibilis? pag. 165.
Diſp. 6. *De obiecto ſenſibili in communi.* pag. 173.
Quæſtio. 1. Quid, & quotuplex ſit obiectum ſenſibile ſenſuum externorum? pagin. 174.
Quæſt. 2 Vtrùm ad ſenſationem ſit neceſſaria realis præſentia obiecti? pag 177.
Quæſt. 3. Quo pacto ſenſibile cōmune immutet ſenſum? pag. 182.
Quæſt. 4. Vtrùm ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens poſsit à ſenſu percipi? pag. 186
Quæſt. 5. Vtrùm ſenſus poſsit falli circa ſenſibile propriũ? pag 192.
Diſp 7. *De viſu.* pag 193.
Quæſt. 1 Quid ſit color? pagin. 193.
Quæſt. 2. Quid ſit lumen? pag. 197.
Quæſt. 3. Quo pacto requiratur lumen ad viſionem

coloris? pag. 205.
Quæſt. 4. Quomodo fiat viſio? pag. 213.
Quæſt. 5. Quid ſit organum potentiæ viſiuæ? pag. 218.
Diſp. 8. *De auditu.* pag. 221.
Quæſt. 1. Quid ſit ſonus, & quomodo, & in quo ſubiecto fiat? pag. 221.
Quæſt. 2. De diuiſione ſoni, & ſpecialiter de voce, & echo. pag. 228.
Quæſt. 3. Quomodo, & per quod medium ſonus immutet auditum? pag. 233.
Quæſt. 4. Quod nam ſit organũ auditus? pag. 239.
Diſp. 9. *De olfactu.* pag. 240.
Quæſt. 1. Quid ſit odor? p. 241.
Quæſt. 2. Quomodo, & per quod medium odor olfactum immutet? pag. 244.
Quæſt. 3. Quod ſit organum olfactus? pag. 247.
Diſp. 10. *De guſtu.* pag. 251.
Quæſt. 1. Quid ſit ſapor, & quomodo immutet guſtum? pagin. 251.
Quæſt. 2. Vtrùm guſtus differat ſpecie à tactu? pag. 253.
Quæſt. 3. Quid ſit organum guſtus? pag. 255.
Diſp. 11. *De tactu.* pag. 255.
Quæſt. 1. Quod ſit organum tactus? pag. 256.
Quæſt. 2. Quod ſit medium, per quod tactus immutetur à ſuis obiectis? pag. 259.
Quæſt. 3 Quo pacto tactus à ſuis obiectis immutetur? pagin. 264.
Quæſt. 4. Vtrùm tactus ſolùm percipiat excellentes qualitates? pag. 265.
Quæſt. 5. Vtrùm ſint plures ſpecies tactus? pag. 268.
Diſp. 12. *De communibus omnibus ſenſibus.* pag. 271.
Quæſt. 1. Vtrùm ſenſibile poſitum ſupra ſenſum cauſet ſenſationem? pag. 272.
Quæſt. 2. Quomodo excellens ſenſibile lædat ſenſum? pag. 280.
Summa textus tertij libri. p. 284.
Annotationes circa literam tertij libri. pag. 295.
Diſp. 1. *De numero ſenſuum externorum.* pag. 296.
Quæſt. 1. An ſenſus externi ſint tantùm quinque? pag. 296.
Quæſt. 2. Quo pacto quinque ſenſus externi, tam inter ſe, quàm in ordine ad ſubiecta, in quibus inſunt, comparentu? pagin. 299.
Diſp. 2. *De natura, numero, & modo operandi internorum ſenſuum.* pag. 303.
Quæſt. 1. An detur aliquis ſenſus internus diſtinctus à ſenſibus externis? pag. 303.
Quæſt. 2. Quæ ſit natura, & qui numerus ſenſuum internorum? pag. 307.
Quæſt. 3. Quid ſit obiectum qui ſint actus, quid organum interioris ſenſus? pag. 320.
Sect. 1. Explicatur, quid ſit obiectum ſenſus interni? pagin. 320.
Sect. 2. Quos actus exercere poſ

ſit

ſit ſenſus internus? pag. 328.
Sect. 3. Explicatur, quid ſit organum ſenſus interni? pag. 334.
Diſp 3. *De natura, & officio intellectus agentis* pag. 339.
Quæſt. 1. An detur intellectus agens? etſi datur, an intra animam reſideat? pag. 340.
Quæſt. 2. Quo pacto intellectus agens à poſsibili diſcernatur? pag. 346.
Quæſt. 3. Quæ ſint munera intellectus agentis? pag. 350.
Diſp. 4. *De natura, & obiecto intellectus poſsibilis.* 357.
Quæſt. 1. Quid ſit intellectus poſſibilis? pag. 357.
Quæſt 2. Quid ſit obiectum adæquatum intellectus poſsibilis? pag. 370.
Quæſt. 3. Quæ obiecta ex inadæquatis cognoſcere poſsit intellectus noſter pro hoc ſtatu, & quomodo illa cognoſcat? pag 380.
Quæſt. 4. An in parte intellectiua ſit memoria, & an hæc diſtinguatur realiter ab intellectu poſsibili? pag. 396.
Diſp. 5 *De intellectione.* pag. 403.
Quæſt. 1. In quo formaliter cõſiſtat intellectio noſtra? pagin 404.
Quæſt. 2 Vtrùm intellectio noſtra ſit verbum mentis? pag. 415.
Quæſt. 3. Vtrùm intellectio, qua formaliter intelligimus, poſſit produci à Deo in noſtro intellectu ſine concurſu effectiuo illius? pag. 424.
Quæſt. 4. In quo differant cognitio intuitiua, & abſtractiua? pag. 432.
Diſp. 6 *De potentia appetitiua, tam in communi, quàm in ſpeciali; & de potentia loco motiua.* pagin. 435.
Quæſt. 1. De appetitu in communi pag. 436.
Quæſt. 2. De appetitu ſenſitiuo in ſpeciali. pag. 438.
Quæſt. 3. De appetitu rationali, ſcilicet, de voluntate in ſpeciali. pag. 447.
Sect. 1. Explicatur, quid ſit obiectum motiuũ, ſeu formale voluntatis? pag 447.
Sect. 2. Explicatur, quo pacto voluntas in ſuis operationibus pendeat ab operatione intellectus? pag. 459.
Sect. 3. Explicatur, an & quomodo voluntas potentia libera ſit? pag. 468.
Sect. 4 Explicatur, an & quomodo volũtas moueat alias potentias animæ? pag. 487.
Sect. 5. Explicatur, an voluntas ſit perfectior potentia, quàm intellectus? pag. 491.
Quæſt. 4. De potentia loco motiua. pag. 500.
Diſp 7. *& vltima de anima rationali in ſtatu ſeparationis à corpore.* pag. 510.
Quæſt. 1. An ſtatus ſeparationis ſit animæ rationali naturalis, an violentus? pag. 511.
Quæſt. 2. An ſpecies, atque habitus in intellectu, & volun-

tate

tate animæ coniunctæ reſidentes, eandem à corpore ſeparatam concomitentur? p. 519.

Quæſt. 3. An anima in ſtatu ſeparationis nouas ſpecies recipiat? pag 521.

Quæſt. 4. De modo actualiter cognoſcendi animæ ſeparatæ pag. 530

Quæſt. 5. De obiectis cognitionis animæ ſeparatæ. pagin. 533.

Quæſt. 6. & vltima de loco, & motu locali animæ ſeparatæ. pag. 559.

COM-

COMMENTARII IN TRES LIBROS ARISTOTELIS de Anima, iuxta ſubtilis Doctoris Ioannis Duns Scoti mentem, vnà cum diſputationibus, & quæſtionibus hoc tempore agitari ſolitis.

PROOEMIVM.

In tres libros Ariſtotelis de Anima.

1 CVM in principio cuiuſcumque ſcientiæ aliqua præmitti ſoleant ad intelligentiam rei tractandæ maximè neceſſaria, quæ dici ſolent quæſtiones prooemiales, multò potiori ratione hæc præmittenda veniunt in principio ſcientiæ de anima; nam, vt docuit Ariſtoteles cap. 1. libri primi huius operis, & nos ex profeſſo ibidē demonſtrabimus, ſcientia de anima cæteras partes Philoſophiæ, tam certitudine, & nobilitate, quàm vtilitate antecellit. Hæ autem numero eiūt ſex; prima, *an poſsit dari ſcientia de anima, & qualis illa ſit?* Secunda, *an ad Phyſicum ſpectet agere de anima?* Tertia, *quid ſit obiectum horum librorum?* Quarta, *quem locum ſeruet hic tractatus inter partes Philoſophiæ?* Quinta, *quo pacto libri iſti diuidantur?* Sexta, *quæ ſint propoſitiones de fide tenendæ circa doctrinam de Anima?*

An de anima poſsit eſſe ſcientia, & qualis illa ſit?

2 CIrca primum rationes dubitandi pro parte negatiua ſunt. Prima; ſcientia eſt de aliquo toto; ſed anima non eſt totum, ſed pars; ergo non poteſt dari ſcientia de anima. Secunda; anima, præcipuè rationalis, non eſt ſenſibilis per ſe, cum ſit ſubſtantia; neque etiam per ſua accidentia; nam accidentia,

Digitized by Google

quibus ſubiacet anima rationalis, ſpiritualia ſunt; non ſecus, ac eſt ipſa anima rationalis, & ſenſus non percipiunt entia ſpiritualia; ſed id, quod neque per ſe, neque per ſua accidentia eſt ſenſibile, non poteſt ab intellectu percipi, vt dicitur primo poſteriorum, cap. 4. ergo anima non poteſt ab intellectu percipi, & conſequenter nec poterit dari ſcientia de illa.

3 Sed indubitanter dicendum eſt, de anima dari poſſe ſcientiam illam, ſcilicet, quam tradidit Ariſtoteles in his libris: cuius ratio eſt, quia in anima reperiuntur tres conditiones, quas enumerauit Ariſtoteles primo poſteriorum cap. 1. & alibi ſæpè, vt neceſſarias ad hoc, vt de aliquo obiecto poſſit dari ſcientia à priori. Nam in primis anima eſt poſſibilis in rerum natura, quæ eſt prima conditio; nam non ſolum eſſe poſſibilem, ſed etiam actu eſſe in rerum natura probant experientiæ, quibus experimur effectus eius, qui ſunt nutrire, ſentire, intelligere, &c. Secundò in anima ſunt proprietates, ſeu propriæ paſſiones de ipſa demonſtrabiles, vt ſunt potentiæ nutritiuæ, ſenſitiuæ, vegetatiuæ, intellectiuæ, &c. cum ipſis viuentibus conuertibiles, & ab anima vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua dimanantes; quæ eſt ſecunda conditio. Et denique tertio in anima ſunt cauſæ, ſeu principia, per quæ poſſint prædictæ propriæ paſſiones de ipſa, tanquam de ſubiecto ſcientiæ demonſtrari, quæ eſt tertia conditio ad ſubiectum ſcientiæ requiſita; nam iſtæ cauſæ, & principia in ſcientia à priori ſunt ſubiecti definitiones; conſtat autem ex his, quæ docet Ariſtoteles in principio ſecundi libri huius operis, animam dupliciter definiri poſſe.

4 Ad primam rationem dubitandi reſpondemus, etſi anima in ordine phyſico ſit quædam pars ſimul cum corpore componens viuens; tamen in ordine metaphiſico (qui eſt, qui attenditur, ſicut in definitionibus quidditatiuis, quæ conſtant vero genere, & differentia; ita & in ſcientijs à priori) eſſe quoddam totum potētiale, cum ſit, quoddam genus ſubſtantiarum partialium, incompletarum continens ſub ſe plures ſpecies animarum, ſcilicet, vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem.

5 Ad ſecundam dicimus, ad hoc, vt aliquid cognoſcatur, ſeu percipiatur ab intellectu cognitione abſtractiua, & per alienas ſpecies, quæ ſufficiens cognitio eſt ad ſcientias de illo comparādas, non eſſe ſimpliciter requiſitum, quod per ſe, vel per ſua accidentia ſit ſenſibile; aliàs Deus non poſſet cognoſci ab intellectu noſtro pro hoc ſtatu cognitione abſtractiua, & conſequenter neque de ipſo poſſemus habere ſcientiam, quod eſt falſum, cum Theologia ſit ſcientia de Deo, ſed ſufficere, quòd aliquis effectus

eius

Digitized by Google

eius ſit ſenſibilis, quod ſatis manifeſtum eſt, cõtingere in anima. Quibus adde, animam, prout in corpore, habere accidẽtia ſibi, & corpori cõmunia, ſenſibilia, & corporalia, vt ſunt vegetare, nutrire, ſentire, quæ ſubiectantur in aliqua parte corporis viuentis.

6 Circa ſecundum: primò dicendum eſt, ſcientiam habitualem animæ ſecundum extenſionem obiectiuam non eſſe vnam ſimplicem qualitatem, ſed potiùs in aggregatione plurium qualitatum conſiſtere; eſſe nihilominus vnam in eſſe ſcibilis, ſeu ſcientiæ, eo quòd habeat vnicum tantùm obiectum formale, primarium, totale, & adæquatum, ad quod omnia, quæ in ipſa tractantur, tanquam in finem, & ſcopum diriguntur. Hoc patet ex diſcuſsis in procemialibus Logicæ, quæſt. 5. Recolantur ibi dicta.

7 Secundò dicendum eſt, ſcientiam de anima eſſe inter purè ſpeculatiuas numerandam; nam etiamſi inter alia agat de operationibus voluntatis, quæ in omnium ſententia ſunt praxes; ſed non agit de illis ipſas regulãdo, ne errent; ſicut agit moralis philoſophia; ſed potiùs earum naturas ſpeculando, & ſic finis eius in omnibus, de quibus diſputat, non eſt opus, ſed veritas; ſicuti eſt in omnibus, quæ à phyſica, ſeu philoſophia naturali diſcutiuntur, cuius pars quædam eſt ſcientia de anima.

An ad Phyſicum ſpectet agere de anima?

8 PRæſens difficultas non procedit de anima vegetatiua plantarum, neque de ſenſitiua aliorum animalium ab homine; nam de his diſputare, affirmant omnes, ad Phyſicum naturalem ſpectare, quod expreſsè docuit Ariſtot. 6. Metaph. cap. 1. tex. 2. his verbis, *De quadam anima ſpeculari naturalis eſt, quæcumque, non ſine materia.* Conſtat autem, tam animam vegetatiuam plantarum, quàm ſenſitiuam aliorum animalium ab homine, non ſolùm in ſuis operationibus, ſed etiam in ſuo eſſe, fieri & conſeruari à materia dependere, cum non creentur, ſed ex potentia materiæ, ſeu corporis educantur. Et confirmatur, quia ad Phyſicum ſpectat agere de princi pijs intrinſecis entis naturalis; ſed anima, tam vegetatiua plantarum, quàm ſenſitiua aliorum animalium ab homine, eſt vnum ex principijs intrinſecis entis naturalis, quod eſt planta, vel ani mal; ergo agere de ea ad Philoſophum naturalem ſpectabit.

9 Neque etiam procedit præſens difficultas de anima rationali, vt vegetatiua, & ſenſitiua conſiderata; nam etiam eſt certum, non ſolùm apud Ariſtotelem loco citato, ſed etiam apud omnes, ad

Phyſicum ſpectare, agere de anima rationali, vt vegetatiua, & ſenſitiua eſt conſiderata; quia etiamſi non educatur de potentia materiæ, & conſequenter non pendeat ab ea in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari, vt pendent anima vegetatiua plantarum, & anima ſenſitiua aliorum animalium ab homine; pendet tamen à materia, ſeu à corpore, tam in ſua informatione, quàm in ſuis operationibus vegetandi, & ſentiendi, non ſecus, ac animæ cæterorum animalium: & inſuper non eſt minus intrinſecum principium entis naturalis, & materialis, qualis eſt homo, ac cæteræ animæ reſpectu ſuorum compoſitorum materialium.

10 Procedit ergo præſens difficultas de ſola anima rationali, formaliter, & in quantum rationalis eſt conſiderata. Et ratio dubitandi eſt, quia etiamſi anima, vt rationalis eſt conſiderata, informet corpus, & in ſua intellectione pendeat à ſenſibus materialibus, & vt ſic videatur eius conſideratio ad Phyſicum ſpectare; tamen quando eſt ſeparata à corpore, neque informat corpus, neque in ſua intellectione pendet à ſenſibus materialibus, & vt ſic eius conſideratio non ad Phyſicum, ſed potiùs ad Metaphyſicum videtur pertinere. Neque audiendi ſunt auctores aliqui antiqui, quos citant Conimbricenſes hic quæſt. vnica, prooemiali articulo 1. qui, vt fugerent difficultatem propoſitam, affirmarunt, tractationem de anima rationali, neque ſpectare ad Phyſicam, neque ad Metaphyſicam, ſed ad aliam ſcientiam mediam inter Phyſicam, & Metaphyſicam; nam cum Ariſtoteles adæquatè ſcientiam ſpeculatiuam in communi diuiſerit, iuxta triplicem abſtractionem à materia, in Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam; & inſuper ſcientia de anima rationali ſpeculatiua ſit, neceſſariò ad aliquam ex his tribus ſcientijs ſpectare debet; ſed non ad Mathematicam, vt compertum eſt; ergo vel ad Phyſicam, vel ad Metaphyſicam.

11 Vt propoſitæ difficultatis reſpondeamus, aliqua notanda ſunt. Primum eſt, animam rationalem, etſi ſecundum ſuam entitatem ſit ſpiritualis, & independens à corpore; nihilominus, cum ſit forma, & actus corporis phyſici, & organici, pendere in ſua informatione à corpore in genere cauſæ materialis, & hoc non ſolùm ſecundum gradum vegetandi, & ſentiendi; ſed etiam ſecundum gradum rationalitatis; ita enim per informationem tribuit corpori phyſico, & organico eſſe rationale, ſicut & eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum.

12 Secundum eſt, animam rationalem naturaliter duplicem poſſe habere ſtatum, ſcilicet, in corpore, & extra corpus; nam

cum

im naturaliter ita nata ſit informare corpus corruptibile, & in
a natura ſit ſpiritualis, & conſequenter in ſuo eſſe, fieri, & con-
ruari non dependens ab illo; hinc etiam fit, vt corrupto corpo-
: in quo naturaliter eſt, maneat etiam, & exiſtat naturaliter ex-
:a illud.

3 Tertium eſt, animam, vt rationalem plura habere propria
'triuſque ſtatus; nam intelligere dependenter à phãtaſmate ma-
eriali, videre, flere, admirari, eſſe in loco circunſcriptiuè, &c.
conueniunt illi ratione ſtatus cõiunctionis cum corpore. At verò
intelligere ſine conuerſione ad phãtaſma, ſed per ſpecies ei im-
mediatè impreſſas, eſſe in loco definitiuè, & plura alia operari
conueniunt ei ratione ſtatus ſeparationis à corpore, & abſque
vlla dependentia ab illa.

14 His notatis, dico primò: ſcientia de anima rationali, vt
rationalis eſt, in ſtatu coniunctionis cum corpore conſidera-
ta, pertinet ad Phyſicum, ſeu Philoſophum naturalem. Ita-
que aſſero ad Phyſicum ſpectare, agere de anima rationali,
in quantum eſt actus corporis, & de omnibus operationibus
illius, quæ conueniunt ei, etiam vt rationalis eſt, cum depen-
dentia à corpore phyſico, & organico, vt ſunt intelligere cum
conuerſione ad phantaſma, flere, ridere, admirari, &c. Eſt ſen-
tentia Ariſtotelis loco numero 8. citato, & communis inter
auctores, qui cum Ariſtotele in his libris, qui abſque du-
bio quædam pars Philoſophiæ ſunt, de anima rationali diſ-
putant.

15 Ratio huius aſſerti eſt, quia ad Phyſicum ſpectat agere de
formis in materia exiſtentibus, & de operationibus earum;
ſed anima rationalis, vt rationalis, & intellectiua eſt conſidera-
ta, dum eſt in corpore, eſt forma exiſtens in materia: ergo con-
ſideratio eius, & operationum illius ad Phyſicum ſpectabit. Et
confirmatur, & declaratur ampliùs. Anima rationalis, vt ra-
tionalis, & intellectiua eſt conſiderata, eſt pars entis naturalis,
cum ex ipſa, & corpore componatur homo, qui eſt ens natura-
le; & ſimiliter eſt natura, cum ſit principium intrinſecum, pri-
mò, & per ſe tribuens homini inclinationem paſſiuam ad reci-
piendum aliquos motus verè phyſicos, vt ſunt intelligere cum
conuerſione ad phantaſma, admirari, ridere, flere, &c. ergo vt ſic
nihil ei deficit ad hoc, vt eius conſideratio, ſeu ſcientia ad Phy-
ſicum ſpectet.

16 Dico ſecundo: ſcientia de anima rationali, vt rationalis
eſt, in ſtatu ſeparationis, ſi conſideretur, vt apta eſt informare
corpus, & cum dependentia ab eo aliquas operationes exercere,

Digitized by Google

pertinet etiam ad Phyſicum. Hoc aſſertum eſt ita certum, ac receptum ab auctoribus, ſicut & præcedens. Et ratio eſt, quia obiectum in potentia exiſtens, eiuſdem conſiderationis eſt, ac actu exiſtens; ſed animæ rationalis, vt rationalis eſt, conſideratio, dum actu exiſtit in corpore, & dependenter ab eo, aliquas operationes exercet, ſpectat ad phyſicum, vt numero præcedenti oſtenſum eſt: ergo etiam conſideratio animæ rationalis in ſtatu ſeparationis à corpore, ſi vt eſt apta nata, ſeu in potentia ad informandum corpus, & exercendum aliquas operationes cum dependentia ab illo, attendatur, ad Phyſicum ſpectabit.

17 Dico tertio: ſi anima rationalis præcisè conſideretur ſecundum ea, quæ illi conueniunt, ſeu conuenire poſſunt in ſtatu ſeparationis à corpore, & independenter ab illo, vt intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata, eſſe in loco definitiuè &c. eius cōſideratio, ſeu ſcientia non ſpectat ad Phyſicum, ſed potiùs ad Metaphyſicum. Hoc aſſertum recipitur à recentioribus contra Toletum, qui quæſtione 2. procemiali oppoſitum affirmat; imo eſt expreſſa Ariſtotelis, non ſolùm loco Metaphyſicæ, num. 8. citato, vbi ita tribuit Philoſopho naturali agere de quacumque anima, vt etiam ſimul requirat, quòd non ſit eius conſideratio à materia ſeparata; ſed etiam primo de partibus animalium, capite 1. vbi ex profeſſo, non ſolùm affirmat, ſed etiam probat, non eſſe Philoſophi naturalis agere de intellectu, intelligens nomine intellectus animam rationalem in ſtatu ſeparationis ab omni materia.

18 Ratio huius aſſerti eſt, quàm loco citato adduxit Ariſtoteles, quæ ſic efformari poteſt. Philoſophus naturalis non agit de rebus ſeparatis à materia ſenſibili, & intelligibili; ſed hoc ſpectat ad Metaphyſicum: ergo ad Metaphyſicum, & non ad Phyſicum ſpectabit agere de anima rationali, non ſolùm ſeparata à corpore, ſed etiam conſiderata ſecundum ea, quæ ei conueniunt in ſtatu ſeparationis, & omninò independenter à corpore, ſeu materia. Et confirmatur, quia animæ rationali, ratione ſtatus ſeparationis, non competit, quòd ſit natura, neque pars compoſiti naturalis, ſed potiùs oppoſitum: ergo conſideratio, ſeu ſcientia de anima rationali ſecundum ea, quæ ei conueniunt ratione ſtatus ſeparationis, non poterit ad Phyſicum, ſeu Philoſophum naturalem ſpectare.

De

Digitized by Google

De obiecto horum librorum.

19 DE obiecto, ſeu ſubiecto formali, primario, totali, & adæquato horum librorum dubium eſt apud auctores, an ſit anima in communi, id eſt, vt abſtrahit à vegetatiua, ſenſitiua, & rationali? An verò corpus animatum? & ſolum procedit hæc difficultas in ſententia magis communi, & recepta, quæ ſuſtinet, hos libros de anima, & libros ſequentes de ſenſu, & ſenſato, de paruis naturalibus, & de animalibus, & plantis, eſſe vnius ſcientiæ, ſeu tractationis: & conſequenter aſſignandum eſſe omnibus his libris vnicum obiectum, ſeu ſubiectum formale, primarium, totale, & adæquatum, ad quod omnia, quæ tractantur per ſe in omnibus his libris, tanquam in finem, & ſcopum tendant, ſeu dirigantur. Et omiſsis varijs ſententijs, quæ eſſe ſolent de hac re, meam ſententiam duabus concluſionibus aperiam.

20 Prima concluſio: quamuis Ariſtoteles in his tribus libris, qui appellantur de anima, per ſe ſolùm diſputet de anima, tam in communi, quàm in ſpeciali, & de potentijs, & operationibus earum; nihilominus anima in communi non eſt dicenda obiectũ, ſeu ſubiectum formale, *quod*, primarium, totale, & adæquatum huius tractatus, ſed potiùs inter obiecta *quæ*, materialia, ſecundaria, partialia, & inadæquata eſt numeranda.

21 Prior pars huius concluſionis recepta eſt apud omnes, & eam tantùm intendunt auctores, quos citat Rubius quæſtione 2. proœmiali, §. *Tertia opinio*, & manifeſtè eam conuincunt auctoritates Ariſtotelis, quas ibi Rubius adducit; nam in eis non ſolùm Ariſtoteles appellat hos libros hiſtoriam de anima; ſed etiam docet, intentum, ſeu finem ipſorum eſſe contemplari naturam animæ, probareque paſsiones eius, quod re vera præſtitit, non ſolùm definiendo in principio ſecundi libri animam in communi; ſed etiam in diſcurſu illius diuidendo illam in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, & oſtendendo, tam in ſecundo libro, quàm in tertio potentias, & operationes ipſarum, vt conſtabit cuilibet contextum intuenti.

22 Poſterior verò pars eſt contra Rubium loco citato, & contra Toletum, quæſt. 4. proœmiali, & recepta ab auctoribus, quos pro ſecunda concluſione citabimus num. 23. Et ratio à priori eſt, quia ad hoc, vt aliquid ſit ſubiectum, ſeu obiectum formale *quod*, primarium, totale, & adæquatum alicuius ſcientiæ, non ſufficit,

ficit, quòd in aliqua parte illius ſcientiæ, de ipſo ſolo per ſe agatur; (aliàs, principia entis naturalis, vt ſunt materia, forma, & priuatio eſſent obiectum, ſeu ſubiectum formale, *quod* primarium, totale, & adæquatum octo librorum Phyſicorum; nam in primo ipſorum ſolùm per ſe agitur de materia, forma, & priuatione) ſed etiam ſimpliciter neceſſariũ eſt; quòd omnia, quæ tractantur in illa ſcientia, gratia illius diſputentur, & in ipſum tanquam in finem, & ſcopum dirigantur: conſtat autem in ſcientia, quæ ſimul agit de anima, de ſenſu, & ſenſato, de paruis naturalibus, & de animalibus, & plantis, etſi in aliqua parte illius, ſcilicet, in his tribus libris, qui inſcribuntur de anima, ſolùm per ſe agatur de anima; nihilominus omnia, quæ tractantur in prædicta ſcientia, non in gratiam animæ diſputari, neque in ipſam, tanquam in finem, & ſcopum dirigi: ergo fatendum eſt, non obſtante, quòd in his libris, qui inſcribuntur de anima, ſolùm diſputet per ſe Ariſtoteles de anima; nihilominus animam non eſſe obiectum formale *quod*, primarium, totale, & adæquatum ſcientiæ, quæ agit ſimul, & per modum vnius, de anima, de ſenſu, & ſenſato, de paruis naturalibus, & animalibus, & plantis; ſed potiùs eſſe inter obiecta materialia, ſecundaria, partialia, & inadæquata illius numerandam.

23. Secunda concluſio: huius tractatus (qui, vt dictum eſt, ſub ſe comprehendit, non ſolùm libros de anima, ſed etiam libros de ſenſu, & ſenſato, de paruis naturalibus, de animalibus, & plantis) obiectum, ſeu ſubiectum formale *quod*, primarium, totale, & adæquatum eſt corpus animatum, ſeu quod idem eſt, ens naturale, vt habet in ſe principium vitæ, quod eſt anima; & conſequenter obiectum formale *quo*, ſeu ratio ſub *qua* in hoc tractatu de ipſo agitur, eſt anima in communi, & provt abſtrahit à vegetatiua, ſenſitiua, & rationali. Hæc concluſio eſt etiam contra Rubium, & Toletum locis ſupra citatis. Eam tamen defendunt Paulus Venetus in præſenti, & Apolinaris quæſtione 3. curſus Carmelitanus diſputat. 1. procemiali, quæſtione 1. Ioannes à Sancto Thoma in proœmio horum librorum, qui citant pro ea Diuum Thomam in proœmio huius operis, & 1. Phyſicorum lect. 1. Neque ampliùs intendunt Alexander, Philoponus, Simplicius, Themiſtius, & alij, quos immeritò Rubius citat pro oppoſita ſententia.

24. Ratio à priori eſt, quia illud dicitur obiectum, ſeu ſubiectum formale *quod*, primarium, totale, & adæquatum alicuius ſcientiæ, cuius gratia omnia, quæ per ſe tractantur in ſcientia, diſputantur, & in quod, tanquam in finem, & ſcopum diriguntur.

Illud

Illud verò dicitur obiectum formale *quo*, quod eſt ratio, ſub qua obiectum formale *quod* attingitur à ſcientia; ſed omnia quæ tractantur per ſe in tractatu, qui ſub ſe comprehendit libros de anima, de ſenſu, & ſenſato, de paruis naturalibus, de animalibus, & plantis, gratia corporis animati, ſeu entis naturalis habentis in ſe principium vitæ, diſputantur, & in ipſum, tanquam in finem, & ſcopum prædicti tractatus diriguntur. Et inſuper ratio, ſub qua corpus animatum, ſeu ens naturale habens in ſe principium vitæ, attingitur per ſe in prædicto tractatu, eſt anima in communi, & provt ſub ſe comprehendit, tam vegetatiuam, & ſenſitiuam, quàm rationalem: ergo fatendum eſt, obiectum formale *quod*, primarium, totale, & adæquatum ſupradicti tractatus eſſe corpus animatum, ſeu ens naturale, habens in ſe principium vitæ; obiectum verò formale *quo* eſſe animam in communi, & provt ſub ſe comprehendit, tam vegetatiuam, & ſenſitiuam, & rationalem.

25 Diſcurſus eſt optimus; maior ab omnibus recepta; minor probatur inductione; nam in libris iſtis, qui inſcribuntur de anima, agitur de anima in communi, & vt ſub ſe continet vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, eo quòd anima eſt forma corporis animati, ſeu entis naturalis, habentis in ſe principium vitæ: in libris de ſenſu, & ſenſato, & de paruis naturalibus agitur de aliquibus rebus, quæ ſunt accidentia propria, & ſolùm conuenientia corporibus animatis, ſeu entibus naturalibus, habentibus in ſe principium vitæ, & denique in libris de animalibus, & plantis agitur de animalibus, & plantis, eo quòd animalia ſunt ſpecies corporis animati; anima ſenſitiua, & plantæ ſunt ſpecies corporis animati anima vegetatiua.

Quem ordinem ſervet hic tractatus inter partes Philoſophiæ?

26 Conueniunt omnes, ordine doctrinæ inter partes philoſophiæ primum locum obtinere libros de phyſico auditu; ſecundum libros de cælo, & mundo; tertium libros de ortu, & interitu; quartum libros meteorologicorum: & ſolùm vertitur in dubium. An ad libros Meteorologicorum immediatè ſequi debeant libri iſti, qui inſcribuntur de anima, & conſequenter debeant antecedere totam diſciplinam ad res animatas pertinentem, an non?

27. Pri-

27 Prima ſententia affirmat, in ſcientia de corpore animato, quæ, vt ex ſupradictis patet, comprehendit ſub ſe libros de anima, de ſenſu, & ſenſato, de paruis naturalibus, de animalibus, & plantis, incipiendum eſſe immediatè, poſt libros Meteorologicorum, à libris de animalibus, & plantis, & non à libris de anima: ita Auerroes 1. Meteorologicorum commento primo: Philoponus in procemio huius operis, Alexander 1. libro de anima cap. 1.

28 Probari ſolet hæc ſententia; primò, quia in doctrinis incipiendum eſt à notioribus, teſte Ariſtotele 5. Metaph. cap. 1. & 7. Metaph. tex. 10. & 1. Phyſicorum tex. 2. vbi hanc viam non ſolùm, vt certam, ſed etiam, vt nobis naturaliter inſitam ſtatuit; ſed totum, ſeu compoſitum eſt nobis notius ſuis partibus, id eſt, priùs notum, quàm partes eius, vt non ſolùm docuit Ariſtoteles 1. Phyſicorum tex. 3. ſed etiam probauit tex. 4. & 5. triplici inſtantia; prima totius ſenſibilis, quod priùs cadit ſub ſenſum, quàm ſingulæ eius partes; ſecunda totius, quod definitur, quod in definitione priùs à nobis concipitur, quàm eius ſingulæ partes; tertia ex progreſſu puerorum, qui in principio omnes viros appellant patres, & fœminas matres, & poſtea horum vtrumque diſcernunt: ergo in doctrina entium naturalium animatorum priùs agendum erit de animalibus, & plantis, quæ ſunt quædam tota ex anima, & corpore coaleſcentia, quàm de ipſa anima, quæ eſt quædam ipſorum pars.

29 Secundò probari ſolet hac ratione; anima definitur per corpus phyſicum, & organicum: ergo eius cognitio diſtincta dependet ex cognitione diſtincta corporis phyſici, & organici; & conſequenter tractatio de animalibus, & plantis, in qua traditur notitia corporis phyſici, & organici, ei neceſſariò antecedere debet ordine doctrinæ, tractatum iſtum, in quo agitur de anima.

30 Secunda ſententia docet, in ſcientia de corpore, ſeu de ente naturali animato non eſſe incipiendum à libris de animalibus, & plantis, ſed potiùs à libris iſtis de anima; & conſequenter, hos libros de anima inter partes Philoſophiæ habere locum immediatè poſt libros meteorologicorum, quæ ſententia verior eſt, & vt talis ferè ab omnibus interpretibus Ariſtotelis recepta, in procemio huius operis. Et probari poteſt efficaciter ratione deſumpta ex doctrina, quam tradidit Ariſtoteles 1. Phyſicorum tex. 1. quæ ſic efformari poteſt.

31 In omnibus doctrinis, quarum ſunt principia, aut cauſæ, aut elementa, incipiendum eſt in cognitione ſcientifica à cognitione principiorum, cauſarum, aut elementorum, eo quòd cognitio

Digitized by Google

tio ſcientifica (inquit Ariſtoteles) oritur ex cognitione talium principiorum, cauſarum, aut elementorum. Sed in doctrina de corpore, ſeu ente naturali animato anima in communi, & prout comprehendit ſub ſe vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, eſt principium intrinſecum, cauſa formalis, & elementum entis naturalis animati: animalia verò, & plantæ, cum ſint ſpecies illius, ſunt quædam tota actualia, ex corpore phyſico, organico, & anima coaleſcẽtia: ergo in prædicta doctrina, ſi cognitio ſit ſciẽtifica (vt in præſenti contingit) non erit incipiendũ à cognitione ſcientifica, ſeu diſtincta animalium, & plantarum; ſed potiùs à cognitione ſcientifica, & diſtincta animæ in communi, & prout ſub ſe comprehendit vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem; & conſequenter tractatus ille, qui inſcribitur de *anima* inter partes phyloſophiæ, habebit locum immediatũ poſt libros meteorologicorum, & antecedenter ad libros de animalibus, & plantis.

32 Ad primum ex adductis in contrarium reſpondemus, tota, ſeu compoſita eſſe quidem notiora nobis, ſeu priùs nota cognitione confuſa ſuis partibus, & hoc eſt, quod docuit Ariſtoteles locis citatis, & quod probant inſtantiæ ab ipſo adductæ, non verò cognitione ſcientifica, & diſtincta, quæ eſt, de qua nõ loquimur, cũ potiùs contingat è contra, & docuit expreſsè Ariſtoteles loco primi phyſicorum in probationem noſtræ ſententiæ adducto.

33 Ad ſecundum (quod ſi quid valeret, æqua vi in aduerſarios retorqueri poſſet; nam ſicut anima definitur per corpus phyſicũ, & organicum; ita è conuerſo corpus phyſicum, & organicũ definitur per animam. eſt enim corpus phyſicum, & organicũ, id, *quod affectum eſt organis, ad animæ functiones obeundas accommodatis*) reſpondemus, corpus phyſicum, & organicum non intrare in definitione animæ, vt partem eſſentialem illius, ſed vt connotatum, & additamentum, ſine ordine ad quod non poteſt eſſentia animæ explicari: vndè non erit propter hoc neceſſarium, quòd cognitio ſcientifica, & diſtincta corporis organici, qualis eſt, quæ traditur in libris de animalibus, & plantis, antecedat cognitionem ſcientificam, & diſtinctam de anima, quæ traditur in his libris; ſed ſufficit, quòd antecedat cognitio corporis organici cõfuſa, & qualiſcumque.

34 Recolantur, ſi libet, ad clariorem huius difficultatis intelligentiam, ea, quæ attigimus 1. Phyſicorum, diſput. 1. quæſt. 2. vbi plures auctoritates Ariſtotelis de hac re, quæ primo aſpectu videntur oppoſitæ, explicuimus, & in concordiam reduximus.

Quo-

Digitized by Google

Quo pacto hic tractatus ab Ariſtotele ſit diuiſus?

35 ARiſtoteles hunc tractatum de anima in tres libros diuiſit. In primo retulit, & impugnauit varias opiniones veterum Philoſophorum circa naturam animæ. In ſecundo ſuã ſententiã explicauit circa eandẽ naturã animæ, tam in cõmuni, quàm quoad animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, earũque potẽtias. In tertio principaliter agit de anima intellectiua, tũ quoad potentias immediatè intellectui adminiſtrãtes, vt ſunt ſenſus interni; tum quoad ipſam vim intelligẽdi; tum denique quoad potentias conſequentes intellectum, vt ſunt appetitiua, & loco motiua.

Quæ ſint propoſitiones de fide tenendæ circa doctrinam de anima?

36 QVoniam multa de anima diſputanda ſunt, in quibus nõ licet viro catholico dubitare: diſputantur tamen, vt Philoſophorum errores, & ſophiſmata vitentur, & reijciantur, & ſic vera Philoſophia de anima conſtare poſsit: ideo placet ea ſummatim in hoc procemio proponere, vt poſtea ſecuriùs, & expeditiùs procedamus.

37 Prima propoſitio de fide, *anima rationalis non eſt vna numero in omnibus hominibus; ſed tot ſunt animæ rationales numero diſtinctæ, quot ſunt homines numero diſtincti.* Definita eſt in Concilio Lateranenſi 3. ſect. 8. oppoſitum affirmauit Auerroes, qui vnicum intellectum numero aſsiſtentem in omnibus hominibus poſuit: contra quem errorem ſcripſerunt plures viri docti, præſertim Albertus in libello de vnitate intellectus, vbi ſoluit trigiuta argumenta huius erroris, & totidem pro veritate ponit.

38 Secunda propoſitio, *in vnoquoque homine vna numero eſt anima, non plures.* Definita eſt hæc propoſitio in 8. ſynodo generali actione 10. canone 11. contra Manichæos, qui, vt refert Diuus Auguſtinus 10. ſuper Geneſim ad litteram cap. 14. ponebant duas animas in quolibet homine, vnam ſenſitiuam, & alteram intellectiuam, quem errorem ipſe Auguſtinus refutat libro de Eccleſiaſticis dogmatibus capit. 15. & Damaſcenus 2. de fide ortodoxa cap. 12.

Digitized by Google

39 Tertia propoſitio, *anima rationalis informat corpus, & vnum per ſe cum illo conſtituit.* Definita eſt hæc propoſitio in Concilio Vienenſi, & in Lateranenſi ſectione 8. oppoſitum tenuit Plato, nam vt refert Ariſtoteles 2. de anima, exiſtimauit, animam exiſtere in corpore, ſicut nauta in naui.

40 Quarta propoſitio, *anima rationalis non educitur de potentia corporis, ſeu materiæ, ſed à Deo creatur.* Ita ſancitum eſt à Leone 1. epiſtola 19. contra duos errores, vnus fuit Tertulliani, qui vt refert Auguſtinus libro de hæreſibus, affirmabat, animas filiorum produci, ſeu generari ab animabus parentum. Alter fuit cuiuſdam Hieremiæ, & Seleuci, & Galatarum, qui docebant, animas creari ab Angelis; & hinc orta fuit hæreſis Maſſilianorum, vt dicitur lib. 7. hiſtoriæ tripartitæ, cap. 21.

41 Quinta propoſitio, *anima rationalis non eſt corporea*, vt exiſtimauit Plato, teſte Ariſtotele, 1. de anima, tex. 45. & ſimiliter Creantus, & Criſippus, quos referunt Gregorius, & Tertullianus, in libris de anima; ſed eſt purus ſpiritus; ita habetur expreſsè in Scriptura Lucæ 23. *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*, & ad Galatas 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.*

42 Sexta propoſitio, *anima rationalis non eſt Dei ſubſtantia, vel ex Dei ſubſtantia.* Definita eſt hæc propoſitio in Concilio Bracarenſi 1. capite 5. contra Manichæos, & alios priores hæreticos dictos Gnoſticos.

43 Septima propoſitio, *animæ non ſunt creatæ extra corpus; ſed ſimul à Deo creantur, & corporibus infunduntur.* Ita ſancitum eſt à Leone 1. epiſtola 71. contra errores Priſcillianiſtarum, & contra Originem, qui lib. 1. Periarchon, capite 7. credidit, animas fuiſſe ante corpora creatas.

44 Octaua propoſitio, *anima rationalis non corrumpitur, corrupto corpore; ſed manet in æternum duratura.* Hæc propoſitio eſt contra hæreſim Saducæorum, quos impugnat Chriſtus Dominus Matthæi 22. & habetur in pluribus locis Scripturæ, Matthæi loco citato, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem occidere non poſſunt*; & Sapientiæ 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt; viſi ſunt oculis inſipientium mori; illi autem ſunt in pace*; & definita eſt in Concilio Lateranenſi 3 ſect. 8.

45 Nona propoſitio, *animæ manentes poſt corruptionem corporum non ſubintrant alia corpora, nec tranſmigrant ex vno in aliud*, vt docuerunt hæretici Albigenſes, & Albanenſes, contra quos diſputat Athanaſius libro 6. *de Beatitudine Filij Dei*; vbi affirmat hoc eſſe contra fidem.

46. Vl-

46 Vltima propoſitio, omnes rationes, quæ contra animæ immortalitatem à Philoſophis factæ ſunt, ſunt ſophiſticæ, & vanæ, & ſolui poſſunt ratione naturali. Ita docet Concilium Lateranenſe, ſect. 8 Hæc ſunt, quæ de fide ſunt certa, & maximè præ oculis habenda.

LIBER PRIMVS
DE ANIMA.

TEXTVS. *Cum omnem ſcientiam rem eſſe bonam arbitremur, &c.*

SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

IN hoc libro, qui quinque continet capita, duo præſtat Ariſtoteles, in primo capite, quod exordiũ eſt, & quaſi proœmium totius operis, reddit (more oratorum) auditores, beneuolos, dociles, & attentos. Reddit beneuolos oſtendendo honorabilitatem, & vtilitatem maximam huius ſcientiæ de anima. Reddit dociles proponendo modum, atque ordinem procedendi, quẽ obſeruaturus eſt in tradenda iſta ſcientia. Reddit attentos proponendo difficultates eius, ob quas attentionem animæ, aſsiduamque applicationem intellectus ad res capeſſendas poſtulat. In reliquis vero quatuor capitibus enumerat varias opiniones antiquorum Philoſophorum circa naturam animæ, eaſque reijcit, & impugnat, vt ſic faciliùs in ſecundo libro propriam de hac re ſententiam proferat. Et hæc in littera Ariſtotelis.

DISPVTATIO VNICA.

De his, quæ docet Ariſtoteles in hoc primo libro.

EX his, quæ Ariſtoteles tetigit in primo capite huius libri, quatuor à nobis diſcutienda ſunt. Primum, *An ſcientia de anima ſit nobilior, & certior alijs ſcientijs?* Secundum (*Quibus rebus ſit vtilis ſcientia de anima?* Tertium, *An accidentia cõdu-*

ducant ad cognitionem ſubſtantiæ? Quartum, *an dialecticus definiat per formam; Phyſicus autem per materiam?*

QVÆSTIO PRIMA.

An ſcientia de anima ſit nobilior, & certior alijs ſcientijs?

1 ETſi Ariſtoteles textu 1. huius libri non præferat ſcientiã de anima reliquis ſciẽtijs in nobilitate, & certitudine; ſed ſolùm ſtatuat, ſcientiam de anima, inter nobiliores, & certiores ſcientias eſſe collocandam; nihilominus aliam relinquit interpretibus, ad exagitandum, an ita ſcientia de anima ſit inter nobiliores, & certiores ſcientias collocanda, vt in perfectione, & certitudine omnes exuperet; an verò ab aliquibus exuperetur? Et omiſsis controuerſijs, quæ de hac re ex æquiuocatione oriri ſolent, quid tenendum ſit, duobus aſſertis apperiam.

2. Primum aſſertum: *Scientia de anima nobilior eſt cæteris ſcientijs naturalibus, excepta Metaphyſica, quæ nobilior eſt ſcientia de anima.* Ratio vtriuſque eſt; quia vt docet Ariſtoteles textu 1. huius libri citato, ſciẽtiæ ſumunt nobilitatem ex obiectis, de quibus per ſe agunt; ſed in his tribus libris, qui ſcribuntur de anima, per ſe agitur de anima, quæ eſt perfectior omnibus obiectis aliarum ſcientiarum naturalium, excepto obiecto Metaphyſicæ, quæ per ſe agit de ſubſtantijs omninò ſeparatis à materia, vt ſunt Deus, & Angeli: ergo ſcientia de anima (& idem eſt iudicium de ſcientia corporis, ſeu entis naturalis animati) perfectior, & nobilior eſt cæteris ſciẽtijs naturalibus, excepta Metaphyſica.

3. Etſi obijcias in 8. lib. Phyſicorum agitur de primo motore, qui cum ſit Deus, erit obiectum perfectius, quàm anima. Reſpondetur in 8. libro Phyſicorum, etſi agatur de primo motore; ſed non per ſe, ſed per accidens, ſcilicet, in quantum ad cognitionem perfectã entis naturalis, & habentis in ſe principium motus, & quietis, neceſſarium fuit cognoſcere primum principium, à quo mouetur, & attributa, quæ ei conueniunt, vel aliquo modo conducunt ad eſſe primi motoris.

4. Secundum aſſertum: *in certitudine ſcientia de anima* exceditur à Metaphyſica, & à Mathema-

ma-

Digitized by Google

maticis; ipſa tamē excedit omnes alias partes Philoſophiæ. Ad probandum iſtud aſſertum tria ſupponenda ſunt.

5 Primum eſt, certitudinem ſcientiæ non eſſe venandam ex certitudine obiecti; ſed ex certitudine demonſtrationis, qua acquiritur. Secundum eſt, demonſtrationem factam à priori, & per cauſas eſſe certiorem, quàm demonſtrationem factā à poſteriori, & per effectus: cuius ratio eſt, quia certitudo demonſtrationis à poſteriori, & per effectus nititur cognitione ſenſitiua, quæ fallibilis eſt, certitudo vero demonſtrationis à priori, & per cauſas, licet præſupponat cognitionem ſenſuū; non tamen nititur illa, tamquā medio aſſentiendi; ſed naturali cōnexione cauſæ cum ſuo effectu, quę infallibilis eſt. Tertium eſt, inter demonſtrationes à poſteriori, illam eſſe certiorem, quæ fit per effectus, nobis per experientiam ſenſuum notiores; cuius ratio eſt, quia, vt modò dicebamus, certitudo harum demonſtrationum nititur cognitione ſenſitiua, ſeu experimentali ſenſuum.

6 Ex his prænotatis perſpiqua manet veritas noſtri aſſerti. Nā ſi certitudo ſcientiæ venanda eſt ex certitudine demonſtrationis, qua acquiritur; & inſuper inter demonſtrationes certiores ſunt, quæ fiunt à priori, & per cauſas, quàm quæ fiunt à poſteriori, & per effectus; euidenter colligitur, ſcientiam de anima (& idem eſt iudicium de ſcientia corporis, ſeu entis naturalis animati) vinci, & ſuperari in certitudine à Metaphyſica, & à Mathematicis; ſiquidem ſcientia de anima acquiritur per demonſtrationes à poſteriori, & per effectus; ſicuti & omnes aliæ partes Philoſophiæ naturalis; Metaphyſica verò, & Mathematicæ acquiruntur per demonſtrationes à priori, & per cauſas: & ſimiliter, ſi inter demonſtrationes à poſteriori, & per effectus, illa eſt certior, quæ fit per effectus nobis notiores experientia ſenſuum; etiam euidenter colligitur, demonſtrationes à poſteriori, quibus acquiritur ſcientia de anima, certiores eſſe, & conſequenter ſcientiam ipſam demonſtrationibus à poſteriori, quibus aliæ partes Philoſophiæ naturalis acquiruntur; ſiquidem effectus animæ magis nobis noti ſunt experientia ſenſuum, quàm effectus aliarum rerum, de quibus agūt reliquæ partes Philoſophiæ.

QVÆSTIO II.

Quibus rebus ſit vtilis ſcientia de anima?

1 IN hac quæſtione referendum, & ſtabiliendū eſt id, quod Ariſtoteles textu 2. huius libri docuit de vtilitate ſcientiæ de anima: docet enim, ſcien-

ſcientiam de anima vtilem eſſe ad omnes ſcientias, maximè ad ſcientiam naturalem; quod in communi probat, quia ab anima proficiſcuntur ſcientiæ omnes, tãquam à principio, & in ipſa recipiuntur tanquam in ſubiecto: in particulari verò probari poteſt, facta inductione per omnes ſcientias; habet enim ſcientia de anima cum omnibus alijs ſcientijs ſpecialem affinitatem.

2 Eſt enim vtilis ad Metaphyſicam propter magnam ſimilitudinem, quam habet anima cum ſubſtãtijs ſeparatis, de quibus per ſe agit Metaphyſica. Eſt vtilis ad Mathematicas, quia cũ Mathematicæ agant de rebus abſtractis à materia ſenſibili, vtile erit Mathematico cognoſcere, quo pacto fiat abſtractio, quod docet ſciẽtia de anima. Eſt vtilis ad Logicam, quia ſciẽtia de anima docet, in quo conſiſtant operationes intellectus, quas Logicus dirigit in ordine ad inſtrumenta ſciendi ritè fabricãda. Eſt vtilis ad moralẽ Philoſophiam, quia Philoſophia moralis dirigit operationes voluntatis, & ſcientia de anima docet, quid ſint volũtas, & operationes eius? Eſt vtilis ad Theologiam, quia Theologia agit de beatitudine, & de medijs requiſitis ad ipſam conſequendam, vt ſunt gratia, & cætera ſupernaturalia dona; conſtat autem ad cognitionem beatitudinis vtile eſſe cognoſcere naturam intellectionis, & volitionis, in quibus formalis beatitudo conſiſtit, & ad cognitionem gratiæ, & cæterorum ſupernaturalium donorum vtile eſſe cognoſcere potentias animæ; quæ ſunt ipſorum ſubiecta, de quibus tractat ſcientia de anima. Et demum eſt maximè vtilis ad alias partes ſcientiæ naturalis, præſertim ad eas, quæ agunt de entibus naturalibus animatis, quorum forma eſt ipſa anima, & quarum operationum eſt principium.

QVÆSTIO III.

An accidentia conducant ad cognitionem ſubſtantiæ?

1 HVIC quæſtioni anſam dedit Ariſtoteles tex. 11. huius libri, vbi docens, optimam viam inueſtigandi animæ definitionem eſſe ab effectibus, & accidentibus animæ proprijs, ſubdit hanc cauſalem, *Quia accidentia multùm conferre ſolent ad cognoſcendum quidquid eſt*, id eſt, *ad cognoſcendam ſubſtantiam*, vt interpretes exponunt.

2 Rationes dubitandi pro parte negatiua ſunt. Prima, quia ex eodem Ariſtotele 7. Metaphyſ. textu 4. ſubſtantia eſt prior cognitione ipſis accidentibus: ergo cognitio accidentium non poterit conducere ad cognitionem ſubſtantiæ.

3 Secunda, quia cum dicit Ariſtoteles, cognitionem accidentium conducere ad cognitionem ſubſtātiæ, vel loquitur de cognitione *quid eſt* accidentium, vel de cognitione, *ſi eſt*; non poteſt loqui de cognitione *quid eſt*; quia cum ſubſtantia intret in definitione accidentium, potiùs ſubſtantia conducet ad cognitionem *quid eſt* accidentium, quàm ècontra. Neque etiam poteſt loqui de cognitione *ſi eſt* accidentium; quia experimur multoties, accidentia ineſſe aliquibus ſubiectis, & nihilominus ſubſtantias eorum ignoramus.

4. Tertia, magis diſtat accidens à ſubſtantia, quàm vna ſubſtantia ab alia; ſed cognitio vnius ſubſtantiæ, ſcilicet, equi, non conducit ad cognitionem alterius, ſcilicet, lapidis: ergo multò minus conducet cognitio vnius accidentis ad cognitionem ſubſtantiæ.

5. Pro deciſione quæſtionis nota primò, quòd cum inquirimus, an cognitio accidentis cōducat ad cognitionem ſubſtantiæ, nomen *ſubſtantia* ſumi poſſe dupliciter: primò pro eſſentia cuiuſcumque rei, qua ratione omne illud, quod non eſt de quidditate rei, etiamſi ſit propria illius paſſio, dicitur, accidens illius, vt diximus in Logica parua, explicando fallaciam accidentis: & ſic ſenſus quæſtionis erit, an cognitio accidentium propriorum alicuius rei conducat ad cognitionem eſſentiæ rei? Secundò pro eo, quod habet eſſe per ſe, qua ratione ſubſtantia conſtituit primum prædicamentum, & diſtinguitur contra accidens prædicamentale, quod eſt illud, quod habet eſſe in alio; & ſic ſenſus quæſtionis erit, an cognitio accidentium prædicamentalium, vt ſunt quantitas, qualitas, &c., conducat ad cognitionem ſubſtātiæ, in qua inhærent?

6 Secundò nota, nos loqui de cognitione ſubſtantiæ, quam habere poſſumus in ſtatu coniunctionis, quam in hac vita habet anima cum corpore; nā ſi ſermo ſit de cognitione ſubſtantiæ, quam habet anima in ſtatu ſeparationis à corpore, nimirum, ſine dependentia à ſenſibus, & à phantaſmatibus, conueniunt omnes, ad cognitionem definitiuam ſubſtantiæ, in vtraque acceptione ſumptæ nihil conducere cognitionem accidentium.

7 His prænotatis, dico primo: cognitio propriorum accidētium alicuius rei multùm conducit ad cognitionem ſubſtantiæ illius, ſumpta ſubſtantia pro eſſentia, ſeu quidditate. Hanc concluſionem intendit Ariſtoteles textu 11. præallegato: & ratio eſt, quia per cognitionem paſsionum, ſeu propriorum accidentium alicuius rei deuenimus ſæpè in cognitionem eſſentiæ rei, quæ nos latebat: ergo

Digitized by Google

go cognitio paſſionum, ſeu accidentium propriorum iuvat ad cognitionē ſubſtātiæ, ſumpta ſubſtantia pro eſſentia, ſeu quidditate rei.

8 Dico ſecūdo: cognitio accidentium prædicamentalium multùm conducit ad cognitionem ſubſtantiæ; ſumpta ſubſtantia pro eo, quod habet eſſe per ſe, & conſtituit primum prædicamentum. Ita colligitur ex doctrina, quā tradidit Scotus noſter primo ſententiarum, diſtinct. 3. quæſtione 3. & alibi ſæpè, videlicet, pro hoc ſtatu viæ, & coniunctionis animæ, & corporis non dari conceptum quidditativum ſubſtantiæ immediatè cauſatum à ſubſtātia, vel ab ſpecie propria eius; ſed omnem conceptum ſubſtantiæ cauſari ab intellectu media cognitione accidentiū, & medijs eorum ſpeciebus.

9 Ratio à priori eſt, quia cognitio noſtra, pro hoc ſtatu coniunctionis animæ ad corpus, pendet à ſenſibus, ita vt nihil poſsit percipere intellectus, quod non fuerit priùs cognitum a ſenſibus; ſed ſenſus non percipiunt per ſe ſubſtantiam, aliàs perciperent per ſe abſentiam ſubſtantiæ panis, & vini in ſacramento Euchariſtiæ; ſed illam percipiunt medijs accidentibus, quæ ſunt obiecta per ſe ſenſuum: ergo ſimiliter intellectus non cognoſcet per ſe ſubſtantiam, ſed media cognitione accidentium: & conſequenter cognitio accidentium prædicamentalium in hoc ſtatu viæ, & coniunctionis animæ ad corpus, multùm conducet ad cognitionē ſubſtātiæ, ſumpta ſubſtantia pro eo, quod habet eſſe per ſe.

10 Ad primam rationem dubitandi dicimus, quòd cum loco citato docet Ariſtotel. cognitionem ſubſtantiæ eſſe priorem cognitione accidentium, loquitur Ariſtoteles, tam de cognitione ſubſtantiæ, quàm accidentis diſtincta, non de cōfuſa, quæ eſt, de qua nos loquimur, cum dicimus, cognitionē accidentiū conducere ad cognitionem ſubſtātiæ; hæc enim ſemper eſt prior cognitione confuſa ſubſtantiæ.

11 Ad ſecundam reſpondemùs, Ariſtotelem loqui de cognitione, *quid eſt* accidentis, non diſtincta, qualis eſt illa, quæ habetur per definitionem; quia hæc pendet à cognitione ſubſtantiæ, vt argumentum obijcit, ſed confuſa, quæ à cognitione ſubſtantiæ non pendet, ſed potiùs eſt prior illa.

12 Ad tertiam dicimus, quòd cum accidens, & propria paſſio habeant aliquam dependētiam à ſubſtantia, in qua inhæret accidens, vel emanat propria paſsio, quam non habet vna ſubſtantia ab alia ſubſtantia, non mirum, quòd cognitio accidētis, & propriæ paſsionis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

conducat ad cognitionẽ ſubſtantiæ; ſecus verò cognitio vnius ſubſtantiæ reſpectu cognitionis alterius, non obſtante, quòd duæ ſubſtantiæ minùs diſtant inter ſe, quàm accidens, & ſubſtantia.

QVÆSTIO IV.

An Dialecticus definiat per formam, Phyſicus autem per materiam?

1 EXplicans Ariſtoteles tex. 11. huius libri, quo modo paſsiones animæ, quas habet cum corpore communes, vt eſt, exempli gratia, iraſcibilis, definiantur à naturali Philoſopho; ait, definiri per materiam, vel ſimul per materiam, & formam; nam per ſolam formã definiri pertinet ad Dialecticum. Circa quæ verba dubitant interpretes, quid ſibi voluerit Ariſtoteles, cum dicit, Phyſicum definire per materiam; Dialecticum verò per formam? Nam hoc intelligere, vt verba ſonant, ſcilicet, Phyſicum per ſuas definitiones ſolùm explicare materiam, quæ eſt altera pars compoſiti naturalis; Dialecticum verò, ſolùm explicare formam, ſuſtineri non poteſt; nam cum neque ſola materia, neque ſola forma ſint tota eſſentia entis naturalis, ſi Dialecticus in ſuis definitionibus ſolùm explicaret formam, & Phyſicus ſolùm explicaret materiam, nullus per ſuas definitiones explicaret totam eſſentiam entis naturalis, & conſequenter amborum definitiones eſſent invtiles, & vanæ.

2 Sunt, qui dicant, ideò dixiſſe Ariſtotelem, Dialecticum definire per formam; quia Dialecticus definit per prædicata ſuperiora, & eſſentialia, vt ſunt genera, & differentiæ, quæ dici ſolent forma metaphyſica ſpeciei, quam conſtituunt, vt cum homo definitur à Dialectico, quod ſit ſubſtantia corporea, animata, ſenſibilis, & rationalis: ita Albertus Magnus tractatu 1. cap. 7. ſuper hunc primum librum, & alij, quos refert Rubius hìc quæſt. vnica. Sed hæc expoſitio non quadrat cõtextui, cum Ariſtoteles ibidem definitiones, quæ dantur à Dialectico per formam, appellet vanas, & manifeſtũ ſit definitiones, quæ dantur per prædicata ſuperiora, & eſſentialia, vt ſunt genera, & differentiæ, non eſſe vanas, ſed optimas.

3 Sed dicendum eſt primò, cum Ariſtoteles docet, Dialecticum definire per formam, non ſumere Dialecticam pro tota Logica docente; ſed ſolùm pro parte topica, & quæ diſſerit ex probabilibus; quæ acceptio Dialecticæ communis eſt apud Ariſtotelem:

Digitized by Google

& quia Dialecticus, id eſt, ex probabilibus diſſerens, ſæpè definit per rationes vniuerſaliores, & quæ remotiores ſunt à ratione particulari, & propria ſubiecti, ideò Ariſtoteles de Dialectico duo affirmaſſe: primum ſæpè definire per formam, quia rationes vniuerſaliores, per quas ſæpè definit, modum formæ habent reſpectu ſubiecti. Secundum, definitiones eius ſæpè eſſe vanas; quia rationes vniuerſaliores, & communiores, per quas ſæpè definit, non attingunt proprietates ſubiecti; & ideò ex eis non poteſt certò cognoſci eſſentia ſubiecti, ſed ſolum veriſimilis fieri.

4 Dicendũ eſt ſecundò, quòd cum Ariſtoteles docet, Phyſicum definire per materiam, non intendere excludere, quin etiam definiat per formam, & alia genera cauſarum; imò neque quòd aliquando definiat per genus, & differentiam; ſed ſenſus eius eſt, quòd Philoſophus naturalis, ſicut ex ſuo modo procedendi non abſtrahit à materia ſenſibili, ſed eam reſpicit: ſic ex proprio modo definiẽdi, ſiue per formam definiat, ſiue per finẽ, vel cauſam efficientem, ſiue quouis alio modo, ſemper in ſuis definitionibus exprimere materiã ſenſibilem. Et hæc circa primum librum de Anima.

LIBER SECVNDVS DE ANIMA.

TEXTVS. *Dictis hiſce, quæ à maioribus de anima nobis tradita ſunt, &c.*

SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

1 PRoſligatis in præcedenti libro veterum Philoſophorum de anima ſententijs, aggreditur iam Ariſtoteles in hoc ſecundo libro, qui duodecim continet capita, explicare, quid ipſe de hac re ſentiat: & in tribus prioribus capitulis docet, quid ſit anima in communi, & quæ eius cõmunes facultates; in reliquis verò, ex tribus animæ ſpeciebus

Digitized by Google

duas priores explicat, nempè vegetatiuam, & ſenſitiuam cum ſuis facultatibus, ſeu potentijs, relinquendo tertio libro explicationem animæ rationalis, & potentiarum eius. Et hæc in generali; in ſpeciali verò.

2 In 1. capite, vt nobis tradat definitionem animæ in communi, præmittit quatuor diuiſiones. Prima; ens aliud ſubſtãtia, aliud accidens. Secunda; ſubſtantia phyſica eſt triplex, materia, quæ eſt potẽtia; forma, quæ eſt actus, & compoſitum ex vtraque. Tertia; ſubſtantia corporea, alia eſt animata, alia inanimata. Quarta; actus, alius primus eſt, vt ſcientia, alius ſecundus, vt actualis contemplatio. Rurſus affirmat, animam eſſe actum, non qualemcũque, ſed primum, & hoc reſpectu corporis phyſici, & organici. Primum probat, quia anima eſt ſubſtantia, & pars intrinſeca viuentis: ſed non eſt corpus, quia corpus non eſt in alio, tanquam in ſubiecto informationis; anima verò ſic; ergo anima eſt actus, & forma corporis. Probat ſecundum, quia anima aliquando ceſſat ab operatione, vt in ſomno; ergo anima non eſt actus ſecundus, ſeu operatio, ſed primus. Tertium demonſtrat, quia imperfectior anima, qualis eſt vegetatiua, eſt actus corporis phyſici, & organici, vt apparet in arbore, vbi ſunt diuerſa organa, vt radices, fibræ, rami, folia, &c. ergo à fortiori aliæ animæ, quæ perfectiores ſunt, erunt etiam actus primi corporis phyſici, & organici. Ex quibus colligit, animam ſic eſſe definiendam, *anima eſt actus primus corporis phyſici, & organici, in potentia vitam habentis.*

3 In ſecundo capite aliam definitionem animæ nobis notiorem aſsignat, vt per ipſam definitionem animæ, capite præcedenti traditam demonſtret eſſe exactam: ad quod ſupponit, corpus animatum differre ab inanimato per vitam, & inſuper quatuor eſſe gradus animatorum, ſeu viuentium: primus eorum, quæ ſolùm nutriuntur, & augentur per intus ſumptionem, vt plantæ, quæ ideò viuentia vegetatiua dicuntur. Secundus eorum, quæ non ſolùm vegetantur, ſed etiam ſenſu prædita ſunt, vt omnia bruta animalia. Tertius eorum, quæ non ſolùm vegetantur, & ſentiunt, ſed etiam motum progreſſiuum habent, vt perfectiora animalia. Quartus eorum, quæ præter gradus vitæ prædictos, habent alium longè perfectiorem, ſcilicet, ratiocinari, vt homines: ex quibus hanc definitionem animæ nobis notiorem aſsignat, *anima eſt principium, quo primò viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus.* Et præpoſitis, & ſolutis duobus dubijs, quibus magis explicat hanc definitionem, tranſit ad demonſtrandum per hanc definitionem, quæ nobis notior eſt, definitionem animæ, quam tradiderat præcedenti capite, eſſe exactam, ad quod duo ſupponit:

Digitized by Google

nit: primum, quòd ſicut duobus dicimur ſcire, nempè ſcientia, tanquam forma, & anima, tãquam ſubiecto; & duobus dicimur ſanari, ſanitate, vt forma, & corpore, tanquam ſubiecto: ita duobus dicimur viuere, anima, tanquam forma, & corpore, tãquam ſubiecto. Secundum, formam, & actum recipi in proprijs ſubiectis, & ideò id, quo viuimus, tanquam forma, debere eſſe in proprio ſubiecto. His præſuppoſitis, facit hanc demonſtrationē, quæ eſt præcipuum intentum huius capitis: id, quo primò viuimus, ſentimus, & mouemur, & intelligimus, eſt actus primus corporis phyſici, & organici; ſed anima eſt id, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; ergo anima eſt actus primus corporis phyſici, & organici: maiorem ſic probat, tria ſunt in viuente, corpus, anima, & compoſitum; ſed compoſitum non eſt id, quo viuimus, ſed id, quod viuit; neque etiam corpus eſt id, quo viuimus; quia per corpus non diſtinguitur viuens à non viuente; ergo anima, ſeu actus corporis phyſici, & organici eſt, quo primo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; & per conuerſionem ſimplicem, id, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; eſt actus primus corporis phyſici, & organici.

4 In tertio capite enumerat Ariſtoteles, tam potentias animæ in communi ſumpta, quàm gradus animatorum, ſeu viuentium, dicens, potentias animæ eſſe quinque, ſcilicet, vegetatiuam, ſenſitiuam, loco motiuam, appetitiuam, & intellectiuam: gradus verò animatorum eſſe ſolum quatuor, eo quòd potentia appetitiua, & ſenſitiua non ſeparantur, ſed neceſſariò ſunt in eodem. Primus eſt vegetantium, vt ſunt plantæ: ſecundus vegetantium, & ſentientium, quæ loco non mouentur, vt conchylia: tertius eorum, quæ non ſolùm vegetantur, & ſentiunt; ſed etiam loco mouentur, vt bruta animalia: quartus eorum, quæ præter omnia prædicta ratiocinantur, vt ſunt homines. Et probat duabus rationibus, potentiam appetitiuam numquam ſeparari à ſenſitiua; & ideò non conſtituere diuerſum gradum animatorum. Deindè explicat ordinem, perfectionem, & quo pacto vna anima contineatur in alia exemplo figurarum, dicens, quod ſicut triangulus eſt prior quadrangulo, & imperfectior illo, ita inter animas vegetatiua eſt prior, & imperfectior ſenſitiua, & ſenſitiua eſt prior, & imperfectior intellectiua: & ſicut triangulus continetur in quadrangulo; ita inter animas vegetatiua continetur in ſenſitiua, & vegetatiua, & ſenſitiua in rationali.

5 In quarto capite agit de potentijs animæ vegetatiuæ, & quatuor præſtat, primò reddit rationem, cur priùs agat de potentijs animæ vegetatiuæ, quàm de potentijs aliarum animarum, dicēs,

Digitized by Google

rationem eſſe, quia anima vegetatiua eſt vniuerſalior cæteris animabus, cum in pluribus ſubiectis, quàm aliæ animæ reperiatur. Secundò docet, animam vegetatiuam habere duplicem actum, ſcilicet, nutrire, & generare ſibi ſimile: & quòd generare ſibi ſimile ſit actus viuentis, probat, quia naturaliſſimum eſt viuentibus generare ſibi ſimile; quia per hoc acquirunt quandam perpetuitatem, quamvis non in omnibus viuentibus hoc reperiatur; ſed in illis, quæ habent has tres conditiones: prima, quod ſint perfectæ ætatis. Secunda, quòd non ſint mutila, vel habentia aliam ineptitudinem. Tertia, quòd non ſint ex putrefactione facta. Et ſimiliter docet, animam triplex genus cauſæ exercere, ſcilicet, formale, quia eſt forma viuentis; finale, cum eius gratia tot organa, & potentiæ ſint in viuentibus; efficiens, quia eſt principium actionum vitalium. Tertio ex dictis occaſionem ſumit coarguendi veteres Philoſophos, & imprimis Empedoclem, qui cauſam accrementi plantarum aiebat eſſe elementa, terram infrà in radicibus; ignem ſuprà in ramis, in quo dupliciter errabat: primò, quia ſuperiorem, & inferiorem locum in plãtis non rectè aſsignabat; nam cum in viuentibus pars ſuperior dicatur illa, per quam ſumunt alimentũ in plãtis radices, quæ ſunt, per quas plantæ ſumunt alimentum; potiùs pars ſuperior, quàm inferior, debent appellari. Secundò, quia viuentiũ accretionem non in animam, ſed in elemẽta, vt in cauſam effectricem perperam referebat. Deindè Democritum, & Leucipum, qui exiſtimabant, ignem nutritionis viuẽtium cauſam eſſe; licet enim, inquit Ariſtoteles, calor ſit inſtrumẽtum, quo vtitur anima ad decoctionem, & præparationem alimenti; non tamen ignis eſt cauſa principalis nutritionis, quod inde probat, quia cum ignis ex ſe nulla incrementi lege teneatur; ſed ſemper increſcat, dum ei ſubeſt, quod comburat; ſequeretur, res anima conſtantes in infinitũ augeri poſſe, ita vt nullũ terminũ magnitudinis vindicarent, quod falſum eſt. Idem in hunc modum confirmat: terminatio quantitatis rerum viuentium non ad materiam pertinet, ſed ad formã; ſed anima eſt forma, ignis verò, & cætera elemẽta in mixtis rationem materiæ obtinent; ergo non ignis, aut alia elemẽta, ſed anima ipſa nutritionis, & accretionis cauſa eſt. Quarto, & vltimò diſputat de alimento, eo quod alimentum ſecundũ diuerſas conſiderationes obiectum eſt, tam potentiæ nutritiuæ, quam augmẽtatiuæ, & generatiuæ; & in primis in quæſtionem reuocat, an alimentum debeat eſſe ſimile alito, an diſſimile? & propoſitis rationibus dubitãdi pro vtraque parte, reſolvit, alimentũ in principio debere eſſe diſsimile, ſeu contrarium alito; quia nihil, niſi à diſsimili,

mili,

mili,& contrario patitur;ſimile verò in fine, ſeu poſtquam concoctum,& digeſtum eſt; quia eiſdem augemur,& nutrimur. Docet præterea, alimentũ tripliciter conſiderari poſſe: primò quoad ſubſtantiam,& prout ſic eſſe obiectũ nutritionis. Secundò quoad quantitatem,& prout ſic eſſe obiectum accretionis. Tertiò quatenus eſt quid ſuperfluum ex nutritione,& augmento,& prout ſic præbet materiam generationis faciendo ſemen. Ex quibus colligit definitiones, tam potẽtiæ nutritiuæ, quàm animæ vegetatiuæ, dicens, *potentia nutritiua eſt virtus animæ vegetatiuæ, per quam viuens in quantum viuens ſe conſeruat*: anima verò vegetatiua perfecti viuentis, *eſt principium generandi tale, quale ipſa habet.*

8 Capite 5. explicatis, quæ ad potentias animæ vegetatiuæ pertinent, gradum facit Ariſtoteles ad explicandas potentias animæ ſenſitiuæ; tam in communi, quàm in particulari: & in hoc 5. capite duo intendit, primum, quod ſenſus ſit potentia paſsiua: ſecundum, quòd excitetur, & reducatur ad actum à ſuo obiecto. Primum demonſtrat, tum ex actu, tum ex obiecto. Ex actu, quia ad hoc, vt potentiæ ſenſitiuæ ſentiant, neceſſe eſt, quòd alterentur, id eſt, quod aliter ſe habeant, ac antea ſe habebant, quod non poteſt fieri ſine paſsione, ſeu receptione alicuius, nimirum, actus ſentiendi. Ex obiecto, proponendo quoddam dubium, ſcilicet, cur ſenſus non ſentiat ſe ipſum, cui reſpondet; ideo ſenſum non ſentire ſe ipſum, quia ex propria natura habet, quòd ad ſentiendum ab alio debeat immutari, & hoc eſt eſſe potentiam paſſiuam. Vt ſecundum oſtendat, exponit, quot modis aliquid dicatur eſſe in actu, vel potentia, dicens, bifariam dici aliquid eſſe in potentia, remotè, & proximè, verbi gratia, ſciens dicitur eſſe in potentia remota ad ſciendum, dum caret habitu ſcientiæ, quem tamen poteſt acquirere: in potentia verò proxima, cum iam obtinuit habitum ſcientiæ; non tamen per eum agit, quia pro tunc ſcientiæ actum non exercet. Similiter ſenſitiuum dicitur in potentia remota ad ſentiendum, quando caret anima, atque adeò & ſenſu, & tamen recipere hæc poteſt, vt ſemen: in potentia vero proxima, quando actu anima, & potentia ſenſitiua præditũ eſt, non tamen per eam agit, quia pro tunc ſenſationis actũ non exercet. Ad rem ergo, id, quod reducit ſenſitiuum de potentia remota ad actum, eſt (inquit Ariſtoteles) generans, ſeu producens animal; id enim ſimul attribuit genito potẽtias ad functiones obeundas, quemadmodũ is, qui docet, confert ſuo modo habitũ ſcientiæ in mentẽ diſcipuli: eſt enim ſenſus ſimilis habitui ſcientiæ, quemadmodũ actus ſentiendi actui ſciendi. Id verò, quod ſenſum ad actũ ſentiendi mouet, eſt obiectũ ſenſibile;

Digitized by Google

ſibile, non ſecus, ac id, quod intellectum mouet ad actualē cognitionem, eſt obiectum intelligibile: differunt autem obiectum intellectus, & obiectum ſenſus (inquit Ariſtoteles) quòd obiectū intellectus eſt natura, quæ denominatur ab intellectu vniuerſalis, & ideò intra animam exiſtit; obiectum verò ſenſus exterioris eſt natura ſingularis, & exiſtens extra animam: & hinc eſt, quòd intellectus ad intelligendum non requirit actualem exiſtentiam, & realem præſentiam ſui obiecti; ſicut requirunt ſenſus exteriores. Ex quo colligit aliam differentiam inter intellectum, & ſenſus exteriores, quòd per intellectum intelligimus, cum volumus, etiamſi obiectum ſit abſens; & per ſenſus externos non ſentimus, cum volumus; ſed cum eſt præſens eorum obiectum.

7 In ſexto capite explicat rationem communem obiecti ſenſibilis, via diuiſionis, hoc pacto: obiectum ſenſibile, aliud eſt ſenſibile per ſe; aliud ſenſibile per accidens. Senſibile per ſe dicitur illud, quod ratione ſui immutat ſenſum; vt color reſpectu viſus, ſonus reſpectu auditus, odor reſpectu olfactus, ſapor reſpectu guſtus, calor, & frigus reſpectu tactus: ſenſibile verò per accidens, quod non ratione ſui, ſed alicuius per ſe ſenſibilis immutat ſenſum, vt ſubſtantia, quæ non ratione ſui, ſed ratione coloris immutat, ſeu percipitur viſu. Rurſus ſenſibile per ſe, aliud eſt propriū, aliud commune: proprium dicitur, quod tantum ab vno ſenſu percipitur, vt color, ſonus, &c. commune, quod à pluribus ſenſibus poteſt percipi, & hæc ſenſibilia communia docet eſſe quinque, ſcilicet, motum, quietem, numerum, figuram, magnitudinem. Et concludit, dicens, hoc eſſe diſcrimen inter ſenſibile proprium, & commune in ordine ad ſenſum, quòd ſenſus (niſi ſit læſus) non fallitur circa ſenſibile proprium; poteſt tamen falli circa ſenſibile commune.

8 A capite 7. incipit Ariſtoteles agere in particulari de ſingulis ſenſibus externis; exorditur à viſu, quia viſus cæteris in dignitate præcellit; & in iſto capite 7. primò agit de obiecto viſus. Secundò de medio, rationeque videndi; obiectum adæquatum, viſus, inquit, eſſe viſibile, vt ſic, ſub quo non ſolùm colores, ſed etiam lumen, & quæ lucem aliquam participant, continentur: & definit colorem ſic, *color eſt motiuus perſpicui in actu*: appellat autem perſpicuum in actu corpus diaphanum illuminatū, per quod cum color ſpecies ſenſibiles ſui emittat, meritò dicitur motiuus perſpicui in actu. Perſpicuum autem ſic definit, *perſpicuum eſt, quod eſt viſibile non ſecundum ſe, & ſimpliciter, ſed per externum colorem*, id eſt, *per externum lumen*, vt aër, & aqua illuminata. Demum definit lumen ſic, *lumen eſt actus perſpicui, vt perſpicuum eſt*; quæ verba

po-

Digitized by Google

potiùs continent quandam explicationem luminis, quàm veram definitionem; eſt enim ſimilis huic, albedo eſt actus albi, vt album eſt: ſicut enim albedo conſtituit corpus actu, & formaliter album; ita lumen, in quo recipitur actu, & formaliter perſpicuũ, hoc eſt, illuſtratum, & reſplendens. Ex quibus infert falſam eſſe ſententiam Empedoclis, & aliorum aſſerentium, lumen eſſe corpus; primò, quia, cum lumen ſit penetratum cum corpore diaphano, ſi lumen eſſet corpus, daretur penetratio dimenſionum. Secundò, quia tenebræ ſunt priuatio luminis; ergo lumen quædã forma accidentalis eſt. Tertiò, quia ſi lumen eſſet corpus, moueretur localiter; & conſequenter non in inſtanti fieret illuminatio; quod experientiæ repugnat, cum videamus, ſubitò, & abſque vlla mora lumen ab vna parte ad aliam diffundi. Nec ſatisfacit Empedocles, dum ad hoc vltimum reſpondet, illuminationem videri momento ſpatium tranſcurrere; & quod breuiſſimo fiat tempore; quia etiamſi latio, qua exiguum ſpatium decurritur, videri poſſit in inſtanti confici, licet tempus conſumat; tamen ea, quæ tantum interuallum, ab oriente, ſcilicet, vſque ad occidentem pertranſit, vt cum primum ſol ſe ſupra Orizontem exerens lucem ſpargit, non poſſet moram occultare, ſi re vera fieret in tempore. Accedit ad explicandum vltimum, quod propoſuerat, ſcilicet, quòd medium requiratur ad viſionem, & ſupponens, vt certum, medium aliquod requiri inter ſenſibile, & ſenſatum ad ſenſationem; quia experientia conſtat, ſenſibile poſitum immediatè ſupra ſenſum non cauſare ſenſationem, docet colores, vt videantur, requirere medium ab aliquo alio corpore illuminatum, ſecus verò lumen; & aliqua corpora natura ſua tenui luce prædita; vt ſunt noctilucæ, ſcammæ aliquorum piſcium, oculi cati, &c. quæ noctu, & in tenebris videntur. Vndè reprehendit Democritum aſſerentem, quod ſi ſpatium hoc interceptum inter nos, & cælum, vacuum eſſet, poſſemus nos videre formicam exiſtentem in cælo; quod ſi nunc videre non poſſumus, dicebat rationem eſſe medium, quod quantumvis diaphanum, & lucidum impedimentum nobis eſt ad videndum; hanc ergo ſententiam Democriti reijcit, quia oculus, & alij ſenſus non patiuntur immediatè ab obiectis, ſed medijs ſpeciebus, quas emittunt per medium; quod in prædicto caſu non eſſet.

9. In 8. capite explicat Ariſtoteles naturam auditus, qui inter ſenſus externos in dignitate ſecundum locum obtinet, ad quod tria præſtat: primò agit de eius obiecto, ſcilicet, de ſono, dicens, ad ſonum directum cauſandum tria corpora concurrere, nimirum, corpus percutiens, corpus percuſſum, & corpus medium,

ſci-

ſcilicet, aërem, quod intercipitur, ſeu reſilit, quod ita probat. Sonus reſultat ex ictu, ſeu percuſſione, hæc autem non datur, niſi adſint duo corpora, vnum, quod percutiat, & alterum, quod plagam excipiat. Rurſus percuſſio non fit, niſi vnum corpus ad alterum localiter moueatur; hæc autem motio indiget corpus medium, cum latio non fiat per vacuum: ergo ad cauſandum ſonum tria corpora concurrunt, duo extrema, & vnum medium. Deindè ponit conditiones requiſitas ad cauſandum ſonum in corporibus, quæ ſe percutiunt: prima, quòd ſint dura: ſecūda, quòd ſint plana: tertia, quod vnum ſit concauum, vt apparet in cymbalis: duæ vltimæ conditiones non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad cauſandum ſonum, ſed ad hoc, vt perfectior euadat. Agit præterea de ſono reflexo, qui dicitur Echo, quem ait fieri, cum ſonus ex ſono reſultat, id eſt, cum aër reſiliens, in quo ſubiectatur ſonus, in corpus, quod ei renititur, incurrit, cumque vlterius progredi non poſſit, retrocedit, vt facit pila, cum reſilit; docetque ſemper huiuſmodi ſonos reflexos fieri, licet pro ſua exilitate ſonum effugiant. Secundò explanat, quo pacto inſtrumentum, in quo reſidet potentia auditiua, à ſono immutatur; & ſupponens medium, per quod debet immutari, eſſe aërem, vel aquam; docet intra auditum noſtrum eſſe aërem quendam immobilem, ſub quadam tunica, quæ dicitur *mirynga*, cui debet contiguari aër externus, in quo recipitur ſonus, & à ſono in aëre externo recepto mouetur notionaliter, id eſt, per ſpecies intentionales, aër ille internus, qui eſt inſtrumentum, in quo reſidet potentia auditiua; ideòque non omnia animantium membra audiendi vi pollere; quia non in omnibus ſupradictus aër internus immobilis reſidet, ſed tantùm modò in auribus. Tertiò, & vltimò agit de ſpeciebus, & differentijs ſonorum, dicens, inter ſonos dari ſonum grauem, & acutum, & ſimiliter dari vocem. Sonum grauem appellat, qui in multo tempore parùm mouet auditum: acutum verò, qui in breui tempore multùm auditum mouet. Vocem autem dicit eſſe ſonum factum ab animali media reſpiratione, cauſata à pulmone cum intentione aliquid ſignificandi. Vndè, inquit, piſces non formant voces; quia ſicut carent pulmone, ita, & reſpiratione.

10 In 9. capite intendit Ariſtoteles explicare naturam olfactus, & tria præſtat: primò declarat, quid ſit obiectum olfactus, id eſt, quid ſit odor, dicens, quòd cum homo habeat olfactum imperfectiorem omnibus animalibus, difficile nobis eſſe de obiecto olfactus iudicare; & ideò iudicandum nobis eſſe de odoribus per analogiam ad ſapores, & de olfactu per analogiam ad guſtum;

guſtum; nam odores, & ſapores magnam ſimilitudinem habent. Vndè ſicut natura dedit animalibus, eo quòd habeant ſenſum guſtus imperfectum, perfectiſsimum olfactum, vt ſic per olfactum iudicent, quæ alimenta ſint eis conuenientia; ita nobis, qui olfactum imperfectum habemus, conceſſit perfectiſsimum ſenſum guſtus præ omnibus animalibus, vt ſic per analogiam ad guſtum, & ad eius obiectum, de olfactu, & de eius obiecto iudicium feramus. Et ſic explicans per analogiam ad ſapores, odores, docet, quòd ſicut in ſaporibus dantur duæ ſpecies extremæ contrariæ, ſcilicet, dulce. & amarum, ſub quibus continentur ſapores medij: ita in odoribus aſſignandas eſſe duas ſpecies extremè contrarias eiſdem nominibus ſignificatas, ſub quibus contineantur odores medij. At addit, per odoratum non ſolùm nos percipere odorabile, ſed etiam inodorabile, & ſubdit, tribus modis aliquid dici inodorabile: primò, quia omninò caret odore: ſecundò, quia odorem debiliſſimum habet: tertiò, quia habet odorem peſsimum, & nociuum. Secundò explicat, quid ſit medium olfactus, aſſerens, eſſe aërem, & aquam: & quia ſolùm de aqua poterat eſſe difficultas, hoc probat inſtantia piſcium, qui in aqua olfaciunt cibos, & ita longa diſtantia veniunt ad illos capiendos. Ex quo infert, omnia ferè animalia olfacere, tam terreſtria, quàm aquatilia, tam ſanguine prædita, quàm exanguia, tam pulmonem habentia, & ideò reſpirantia, quàm pulmone carentia, & non reſpirantia; ſed diuerſa, inquit, ratione odorantur ea, quæ pulmonem habent, & illa, quæ carent pulmone; nam illa inſpiratione, iſta ſine inſpiratione. Ex quo diſcrimine, ait, poſſe oriri dubium, an, ſcilicet, odoratus ſit eiuſdem ſpeciei in animantibus habentibus pulmonem, & pulmone carentibus? Cui reſpondet affirmatiuè, & probat, quia habent idem obiectum, ſcilicet, odorem: & ad rationem dubitandi dicit, diſcrimen odorandi per inſpirationem, aut ſine illa nō prouenire ex parte potentiæ, ſed ex eo, quod animalia reſpirantia organum olfactus coopertum habent, & ideò non odorantur, niſi per inſpirationem, quæ viam odoribus apperiat perveniendi ad organum, qua inſpiratione non indigent cætera, quorum organum patet. Et ex hoc prouenit etiam, quòd ſub aquis illa non odorantur, ſed benè hæc. Tertiò, & vltimò breuiter exponit, quale eſſe debeat organum olfactus, dicens, quòd ſicut ſapores humiditate abundant: ita odores ſiccitate, & cum organum potentiæ debeat eſſe aliquo modo ſimile obiecto; organum olfactus talem eſſe debere, vt ſiccitas in eo prædominetur.

Digitized by Google

11 In 10. cap. explicare nititur naturam guſtus, qui eſt quartus in ordine ſenſus exterior; & quatuor præſtat: primò docet, guſtabile, quod eſt obiectum guſtus, eſſe quid tangibile, id eſt, in tantum aliquid guſtari, in quantum tangitur, quod duplici ratione probat: prima, guſtus non fit per medium externum, ſicut fit viſus: ergo per medium internum, & conſequenter per contactum. Secunda, ſapor non percipitur à guſtu, niſi media humiditate quam pro materia habet ſapor; ſed humiditas, cũ ſit qualitas tangibilis, non ſentitur, niſi per tactum; ergo neque guſtabile, ſiue ſapor. Quod ſi aliquis obijciat, dantur guſtabilia ſine humiditate, vt ſal, & ſaccarum; ergo falsò ſupponitur in hac ſecũda ratione, quòd ſapor non percipiatur à guſtu, niſi media humiditate. Reſpondet, guſtabile eſſe humidũ, vel actu, vel potẽtia, quæ potentia ad actũ reducitur per ſaliuã, qua afficiuntur ſal, & ſaccarum priùs, quàm guſtum immutare valeant. Secũdò dicit, quòd ſicut viſus eſt viſibilis, & inuiſibilis; tam enim percipit lucem, quàm tenebras: ita guſtus eſt guſtabilis, & inguſtabilis: ſed tripliciter, ait, dici poſſe aliquid inguſtabile: primo per priuationem, quia non habet ſaporem, vel ſi habet, eſt ita parum, vt ſentiri non poſsit. Secũdò, quia habet illum vehementem, & exceſſiuum. Tertiò quid prauum. Sub guſtabili autem dicit etiam cõprehendi potabile, quod aliquid ſaporis participat. Tertiò agit de organo guſtus, dicens debere eſſe humidum non actu, ſed potentia, quod de humido ſaporifero intelligit, id eſt, de humido habente ſaporem admiſtum, non de humido elementali. Vndè, quando lingua infirmi amaris humoribus eſt affecta, non percipit vllum alium ſaporem. Quartò, & vltimo enumerat ſpecies ſaporis, dicens, duas eſſe extremas, ſcilicet, dulce, & amarum, & iuxta has eſſe alias duas, non ita extremas, ſcilicet, pingue, & ſalſum, & inter iſtas extremas eſſe alias medias, ſcilicet, acre, auſterum, acerbum, & accidum, & ita omnes ſpecies ſaporum eſſe octo.

12 In cap. 11. agit de ſenſu tactus, qui eſt quintus, & vltimus externorum. Et ad eius explicationem excitat quatuor dubia: primum, an ſint plures ſenſus tactus, an tantum vnus? Quod dubium non plenè ſoluit, licet inclinet in eam partem, quod ſint plures, eo quòd vnus ſenſus eſt vnius contrarietatis, ad quam cæteræ illius ſenſus reducuntur, ſicut viſus eſt albi, & nigri, guſtus dulcis, & amari: in tactu autem ſunt plures contrarietates primæ, quarum vna non reducitur ad aliam, vt calidum, & frigidum; humidũ, & ſiccum, &c. Ex alia verò parte, cum ſit in toto corpore vna caro, per quam ſentimus tangibilia, videtur nobis vnicum tantùm

eſſe

eſſe ſenſum tactus; quod tamen, inquit, non ſufficit, quia caro eſt medium ſenſus tactus, quod etiamſi ſit vnum, poſſunt ſenſus eſſe diſtincti; ſicuti ſenſus viſus, & auditus diſtincti ſunt, non obſtante, quòd medium ipſorum idem ſit, ſcilicet, aër. Secundum, an ſit aliquod medium externum in tactu, ſicut eſt in viſu, & auditu, id eſt, aliquod corpus, quod non ſit continuum, ſed contiguum, tam tactui, quàm tangibili? Et magis diſputatiuè, quàm reſolutiuè reſpondet, dari tale medium, licet ſit imperceptibile, quod ſuaderi poteſt, ait, quia cum corpus tangibile, & caro noſtra tanguntur in aqua, re vera humectantur; illa autem humiditas eſt in aliquo corpore, ſcilicet, in aqua, quæ licet imperceptibilis ſit, re vera mediat inter carnem, & tangibile. Et eodem modo mediat aër imperceptibilis inter tangibile, & noſtram carnem, cum tangũtur in aëre. Tertium, an omnes ſenſus externi conueniant in hoc, quòd ſentiant per medium externum? Cui dubio reſpondet conuenire, cum duplici tamen differentia. Prima quòd in tribus prioribus, ſcilicet, viſu, auditu, & olfactu obiectum percipitur per medium externum magnum; in guſtu autem, & tactu per medium externum parvum, & imperceptibile. Secunda, quòd obiecta trium priorum ſenſuum priùs afficiunt medium, quàm ſenſum, & obiecta duorum poſteriorum ſimul medium, & ſenſum afficiunt, vt cum quis percutitur ſuper arma, ſimul patiuntur arma, & potentia. Quartum, & vltimum, an organum, & ſenſorium tactus ſit ipſa caro, an aliquid ſub ea latens, vt nervus, vel aliquid ſimile? Cui reſpondet, carnem non eſſe organum, & ſenſorium tactus, ſed medium, ſed non externum, ſed internum, & continuum cum organo, & ſenſorio tactus; & rationem aſſignat, nimirum, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur; conſtat autem tangibile ſentiri poſitum ſupra carnem. Numerat deindè obiecta tangibilia, ſcilicet, calidum, & frigidum; ſiccum, & humidum; durum, & molle; aſperum, & lene; dolorem, & voluptatem, &c. à quibus qualitatibus organum ſeu ſenſorium tactus debet eſſe nudum, non quidem omninò, ſed ita, vt ſint ſaltem remiſſiores in illo, quàm in obiecto; quia obiectum agit in potentiam, & ſimile non agit in omninò ſibi ſimile.

13 In 12. & vltimo capite intentum Ariſtotelis eſt agere de aliquibus communibus omnibus ſenſibus, & duo præſtat: primò explicat, quæ ſint communia omnibus ſenſibus, dicens, duo eſſe omnibus ſenſibus communia: primum recipere formas ſine materia, id eſt, ſpecies, ſeu ſimilitudines ſuorum obiectorum ſine materialitate ipſorum; non ſecus, inquit, ac cera recipit formam, ſeu figuram ſigilli aurei, aut ferrei, ſine auro, aut ferro, ſed etiam

ſine

Digitized by Google

ſine materialitate illa, quam habet figura eius in auro, aut ferro. Neque obſtat, quòd tactus, & guſtus non ſolùm imagines tangibilium, & guſtabilium recipiant, ſed etiam qualitates ipſas; nam mens Ariſtotelis ſolùm eſt aſſerere, vt potentias ſenſuum exteriorum ſuas functiones obeant, non oportere vniuerſim qualitates ſenſibiles recipi in ipſarum organis; oportere tamen, vt ſimilitudines ſuorum obiectorum ſine materia, quas ſpecies intentionales vocamus, in ſe recipere, ſecundum quod in ſubiectis materialibus ſubiectentur, quæ ſubiecta eorum organa, ſeu ſenſoria dicuntur. Et diuidit ſenſorium, ſeu organum in proximum, ſeu immediatum, & in remotum, ſeu mediatum, exempli gratia ſenſorium, ſeu organum viſus remotum, ſeu mediatum eſt oculus; ſenſorium, ſeu organum proximum, & immediatum eſt pupilla, in qua immediatè reſidet potentia viſiua; inter quæ eſt aliud diſcrimen, vt docet ipſe Ariſtoteles 2. lib. de partibus animalium cap. 1. quòd ſenſorium proximum ſemper eſt homogeneum, remotum verò heterogenium. Secundò proponit, & ſoluit duo problemata: primum eſt, quare vehemẽs ſenſibile lædat ſenſum? Cui reſpondet, quia ſenſorium, ſeu organum ſenſus conſiſtit in quodam temperamento primarum, vel ſecundarum qualitatũ, quod deſtruitur à vehemente ſenſibili. Secundum eſt, quare plãtæ non ſentiant, cum habeant animam, & patiãtur à ſenſibilibus qualitatibus, non frigeſiunt, caleſiũt, &c? Cui reſpondet, quia carent orgaīs, ſeu ſenſorijs debitè diſpoſitis. Et tandem concludit dicens, ſpecies ſenſibiles, quæ emittuntur ab obiectis in ſenſus, etiam recipi in medio externo, ſed non permanenter, ſed tranſeunter, & vt per ipſum diffundantur vſque ad potentiam ſenſitiuam, & illam conſtituant in actu primo ad ſenſationem eliciendam.

ANNOTATIONES CIRCA LITERAM huius ſecundi libri.

Litera huius ſecundi libri graues difficultates continet, quarum intelligentia plus diſputatione, quàm commẽto indiget: vndè, vt ipſas explicemus, ſeruato ordine, quem obſeruat Ariſtoteles in litera, duodecim à nobis diſputãda ſunt. Prima diſputatio erit de *eſſentia animæ in communi*; ſecunda *De pluralitate animarum, & de modo, quo informant corpus*. Tertia *de potentijs animæ in communi conſideratis*. Quarta *de potentijs animæ vegetatiuæ, & actibus eius*. Quinta *de ſpeciebus ſenſibilibus*. Sexta *de obiecto*

Digitized by Google

iecto ſenſibili. Septima *de viſu.* Octaua *de auditu.* Nona *de olfactu.* Decima *de guſtu.* Vndecima *de tactu.* Duodecima *de communibus omnibus ſenſibus.*

DISPVTATIO PRIMA.

De eſſentia, & quidditate animæ in communi ſumptæ.

CVM quidditas, & eſſentia cuiuſcumque rei per definitionem explicetur, nulla via clarior ad aſſequendum, quid ſit quidditas, & eſſentia animæ in communi ſumptæ, quàm expendere, & enodare duas definitiones animæ in communi ſumptæ, quas nobis tradidit Ariſtoteles 1. & 2. capite huius libri, quod duabus quæſtionibus præſtabimus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quæ, & qualis ſit prima definitio animæ tradita ab Ariſtotele?

1 POſtquam Ariſtoteles in 1. libro huius tractatus refutauit plura antiquorum Philoſophorum placita de natura, & eſſentia animæ, in 1. capite huius ſecundi libri ex propria ſententia animam in communi, id eſt, prout abſtrahit à vegetatiua, ſenſitiua, & rationali his verbis definiuit; *anima eſt actus primus corporis phyſici, & organici, potentia vitam habentis;* quæ definitio (præmiſsis aliquibus dubitationibus, quæ circa ſingulas particulas eius oriri ſolent) in hac quæſtione examinanda eſt.

2 Prima dubitatio eſt, an anima ſit *actus*, vt dicitur in primo verbo definitionis? Cui dubitationi reſpondendum eſt, animam eſſe actum, & formam ſubſtantialem. Hanc veritatem probauit Ariſtoteles (vt vidimus in litera primi capitis) hoc diſcurſu, anima eſt ſubſtantia, & pars intrinſeca viuentis; ſed non eſt corpus, quia corpus non eſt in alio, tãquam in ſubiecto informationis; anima verò ſic; ergo anima eſt actus, & forma corporis. Et cõfirmatur à nobis alio non minùs efficaci diſcurſu. Illud, per quod aliquid conſtituitur in

Digitized by Google

eſſe ſubſtantiali diſtincto ab eſſe ſubſtantiali aliorum, eſt actus, & forma ſubſtantialis: ſed anima conſtituit viuens in eſſe ſubſtantiali viuentis, quod eſt eſſe ſubſtantiale diſtinctum ab eſſe inanimatorum; ergo anima eſt actus, & forma ſubſtantialis.

3 Secundo dubitatur, an anima ſit actus *primus*, vt dicitur in ſecundo verbo definitionis, an verò ſit actus *ſecundus*, ſumpto actu primo pro principio operandi, vt eſt, verbi gratia, *ſcientia*, & actu ſecundo pro actuali operatione, vt eſt, verbi gratia, *contemplatio*, quæ ſunt exempla, quibus in litera Ariſtotelis actum primum, & actum ſecundum declarauit? Cui dubitationi reſpōdendum eſt, animam non eſſe actum ſecūdum, ſed primum, vt in definitione ponitur, quod ſic probauit Ariſtoteles in litera primi capitis; anima aliquando ceſſat ab operatione, vt in ſomno; ergo anima non eſt actus ſecundus, ſeu operatio, ſed primus, ſeu principium operandi.

4 Tertiò dubitari ſolet, an ſicut anima dicitur actus primus prioritate naturæ reſpectu ſuæ operationis; ita etiam dici debeat actus primus prioritate perfectionis? Caietanus quæſtione 3. de anima dicit, actum dupliciter poſſe conſiderari, ſcilicet, materialiter, & in ratione entis, & formaliter, & in ratione actus; ſi materialiter, & in ratione entis conſideretur, docet, animam eſſe quidem actum primum reſpectu ſuæ operationis prioritate perfectionis, cum ſit ſubſtantia, & operatio eius accidens; tamen ſi conſideretur formaliter, & in eſſe actus, affirmat prioritate perfectionis non eſſe animam reſpectu ſuæ operationis actum primum; ac per conſequens nō fuiſſe loquutum Ariſtotelem de prioritate perfectionis; ſed ſolum de prioritate naturæ, cum dixit in definitione animæ, animam eſſe actum primum.

5 Vltimum aſſumptum probat Caietanus, primò, quia ille actus in ratione actus dicitur perfectior, & in perfectione primus, qui nihil habet admiſtum potentialitatis; ſed anima plus habet admiſtum potentialitatis, quàm eius operatio; ſiquidem anima eſt in potentia ad ſuam operationem, quam potentialitatem non includit eius operatio: ergo anima in ratione actus non eſt ita perfecta, ſicut eius operatio, & conſequenter in ratione perfectionis reſpectu illius non poterit appellari actus primus.

6 Secundo probat; finis nobilior eſt his, quæ ordinantur ad finem; ſed anima, & quæcumque alia forma ſubſtantialis ordinatur ad ſuam operationem, tanquam ad finem; quia, vt docet

Digitized by Google

cet Ariſtoteles 2. libro de cælo, tex.15. vnumquodque eſt propter ſuam operationem: ergo operatio animæ, ſaltem in ratione actus, erit perfectior ipſa anima; & conſequenter anima reſpectu ſuæ operationis non debet appellari in ratione perfectionis actus primus.

7 Tamen hæc ſententia Caietani meritò reijcitur ab alijs; quia cum anima, & eius operatio non aliter actuent ſubiectum, in quo recipiuntur, quã tribuendo illi ſuũ eſſe (actuant enim illud in genere cauſæ formalis) manifeſtè infertur, quòd ſi actus animæ materialiter, & in eſſe entis eſt prior in perfectione ſua operatione, ſit etiam in perfectione prior illa formaliter, & in eſſe actus. Et confirmatur, quia propria, & formalis ratio actus eſt actuare, & perficere ſubiectum: ergo ille ctus in ratione formali actus rit perfectior, qui perfectius ctuat, & perficit ſubiectum; ed anima perfectiùs actuat, & erficit ſuum ſubiectum, cum ibuat illi eſſe ſubſtantiale, iàm operatio animæ, quæ lùm tribuit ſuo ſubiecto eſſe cidentale: ergo anima in rane actus perfectior eſt ſua eratione; & conſequenter ſpectu illius appellabitur ac primus, non ſolùm prioritanaturæ, ſed etiam perfectio.

Neque rationes Caietani aliid vrgent. Ad primam reſpondemus, operationem minùs potentialitatis relinquere in ſubiecto, in quo eſt, eo quòd naturaliter præſupponit illud iam actuatum per formã, quæ eſt principium eius; non verò quia quantum eſt ex ſe, magis, & perfectiùs illud actuet, quàm actuat forma ſubſtantialis. Vndè ſi per poſsibile, vel impoſſibile daretur ſubiectum affectum operatione, & non forma ſubſtantiali abſque dubio plus potentialitatis haberet, ac habet, cum eſt informatum forma ſubſtantiali, & nondum prorupit in operationem.

9 Ad ſecundam, cõceſſa maiori, negamus minorem, ſcilicet, animam, aut quamcumque aliam formam ordinari ad ſuam operationem, tanquam ad finem *qui*; quia ſolùm ordinatur ad ſuam operationem, tanquam ad medium, quo acquiritur finis, *qui*, ſcilicet, obiectum operationis, in cuius aſſecutione conſiſtit vltima perfectio formæ.

10 Quartum dubium eſt, quid intelligat Ariſtoteles per illas particulas *corporis phyſici*, quæ tertio loco ponuntur in dicta definitione? Auctores, qui contra Scotum ſuſtinebant (vt ex profeſſo attigimus 1. libro de generatione, diſput.2. quæſtione 4.) in viuentibus non dari ſimul cum anima formam, ſeu formas ſubſtantiales corporeitatis, ab ipſa anima diſtinctas; dum explicare intentant, quid

Digitized by Google

per prædictas particulas intellexerit Ariſtoteles, non parum premuntur, neque omnes eadem via procedunt.

11. Quidam ex eis dicunt, nomine *corporis* nihil aliud intellexiſſe Ariſtotelem præter materiam primam, quæ cum habeat inſeparabilem quantitatem, & per illam extenſionem, & mollem corpoream, non incongruè Ariſtoteles illam appellauit corpus; ſicuti vice verſa corpus appellat materiam, tam textu 4. huius libri, quàm 7. Metaphyſices, capite 11. textu 39. Hunc modum declarandi particulã corporis valdè probabilem reputat Suarez libro 1. de anima cap. 2. ipſumque attribuit Diuo Thomæ, Gregorio, Argentinæ, & Fonſecæ locis ab ipſo citatis, ipſumque amplectuntur Conimoricenſes hìc quæſt. 1. artic. 1.

12 Sed hic modus explicandi particulam *corporis* non placet; primò, quia ſi foret legitimus, non eſſet peculium animæ, eſſe actum primum corporis, vt contendit Ariſtoteles in dicta definitione; nam eſſe actum primum materiæ primæ etiam competit omnibus formis ſubſtantialibus inanimatorum.

13 Secundò, quia extenſio, & molles corporea, quæ conuenit materiæ primæ ratione quantitatis, etſi conſtituat corpus, ſed non corpus phyſicum, & naturale (hoc enim ex materia prima, & aliqua forma ſubſtantiali debet conſtare) ſed potiùs corpus mathematicum, quod in trina dimẽſione quantitatiua conſiſtit: ergo cum ex Ariſtotele anima ſit actus primus corporis, non mathematici, ſed phyſici, ſeu naturalis, nomine corporis non poterit ſola materia affecta quantitate intelligi, ſed aliquid ex materia, & aliqua forma ſubſtantiali coaleſcens.

14 Neque obſtat, quòd Ariſtoteles locis in contrarium adductis corpus phyſicum cõparatum ad animam, materiam, & ſubiectum appellet, hoc enim non præſtat, quia exiſtimet, corpus phyſicum eſſe materiam primam; ſed quia comparatum ad animam ſe habet, vt potentia ſubiectiua; non ſecus, ac ſe habet materia reſpectu formarum ſubſtantialium rerum inanimatarum; quo etiam pacto totum compoſitum ſubſtantiale comparatum ad formas accidentales ſæpè materiam, & ſubiectum appellare ſolet.

15 Præter hæc alij ex prædictis auctoribus affirmant, nomine *corporis phyſici* intelligere Ariſtotelem non ſolam materiam primam, affectam quãtitate, ſeu extenſione mollis, & corporea; ſed etiam infor-

ma-

matam ipſa anima viuentis, non quidem ſecundum omnes ſuos gradus, ſed ſolùm ſecundum gradum corporeitatis; & ſic de anima ſecundum vltimum gradum viuentis optimè verificari, quòd ſit actus corporis, imò & ſui ipſius ſecundum diuerſas rationes, ſeu gradus. Hunc modum explicandi particulam *corporis phyſici*, etiam approbat Suarez in Metaphyſica, diſputat. 15. ſect. 10. numero 15. & libro 1. de anima, capite 2. numero 2. & Conimbricenſes hic quæſtione 1. artic. 1. ipſum attribuunt Diuo Thomæ, Caietano, Capreolo, Ferrarienſi locis ab ipſis citatis, ſed illum non approbant.

16 Sed etiam hic modus explicandi, quid nomine corporis intellexerit Ariſtoteles in dicta definitione animæ, non poteſt admitti; primò, quia etiam ex eo ſequitur, non eſſe peculiarem animæ effectum primum corporis phyſici, vt in prædicta definitione contendit Ariſtoteles; ſed etiam eſſe quid commune omnibus formis ſubſtantialibus inanimatorum. Sequela patet, nam ſicut hi auctores in anima diſtinguunt duos gradus, vnum communem, quem appellant corporeitatis, per quem materia prima contrahitur, ſeu determinatur ad eſſe corporis; & alium ſpecialem, ſcilicet, viuentis, & ſecundum iſtum dicunt, animam eſſe actum corporis, imò & ſui ipſius: ita conſequenter in qualibet forma ſubſtantiali inanimatorum, puta ignis, vel ligni, diſtinguere etiam debent duos gradus, vnum communem, ſcilicet, corporeitatis, per quem materia prima contrahatur, ſeu determinetur ad eſſe corporis, & alium ſpecialem, ſcilicet, ignis, vel ligni, & ſecũdum iſtum gradum ſpecialem affirmare tenentur, formam ignis, vel ligni eſſe actum corporis, imò & ſui ipſius, non ſecus, ac de anima affirmant.

17 Secundò, quia Ariſtoteles nomine corporis non intelligit in dicta definitione corpus metaphyſicum, quale eſt illud genus, ſeu ſpecies ſubalterna, quæ ponitur in recta linea prædicamenti ſubſtantiæ; ſi enim de hoc corpore metaphyſico loqueretur Ariſtoteles, optimè de ipſo verificaretur, quòd conſtituatur in eſſe corporis per gradum, ſeu differentiam corporeitatis, & quòd contrahatur ad eſſe viuentis per gradum, ſeu differentiam animati. Quis hoc dubitat? ſed intelligit (vt expreſsis verbis declarauit) corpus phyſicum, & naturale, quale eſt illud, ex quo tanquam ex parte potentiali, & ſubiectiua, & ex anima, tanquam ex parte actuali, & formali (quę eo ipſo implicationẽ involuunt,

Digitized by Google

& vnum in eſſe talis per aliud eſſentialiter conſtituatur) totum compoſitum phyſicum, quod dicitur viuens à parte rei, & ſecluſa quacumque operatione intellectus præſcindente gradum corporeitatis à gradu animati coaleſcit. Ex quibus patet paralogiſmus horum auctorum; philoſophati enim ſunt de corpore phyſico, & naturali ad modum, quo omnes philoſophamur de corpore metaphyſico, quod paralogiſmus eſt, & fallacia accidentis; nam corpus metaphyſicũ eſt quoddam totum, non ex materia, & forma, ſed ex genere, & differentia per intellectum conflatum: corpus verò phyſicum eſt quædam pars, ex qua, tanquam ex potentia ſubiectiua, ſeu materia, & ex anima, tanquam ex actu formali compoſitum ſubſtantiale phyſicum, quod appellatur viuens, à parte rei, & ſecluſa operatione intellectus præſcindente inter formalitates, ſeu gradus corporei, & animati, coaleſcit.

18 Tertiò denique non poteſt admitti; quia ex hoc modo explicandi particulam *corporis phyſici*, non leue ſequitur inconueniens in vera Theologia, nimirum, quòd in venerabili Euchariſtiæ ſacramento ex vi illorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, poneretur ſub ſpeciebus panis anima Chriſti Domini, cuius oppoſitum expreſsè docet Tridentinum ſeſsione 13. cap. 3. Sequela patet, nam in iſtorum ſententia ly corpus, quod ponitur ſub ſpeciebus panis ex vi prædictorum verborũ, conſtituitur in eſſe corporis per animam, tanquam per formam. Nec refert, ſi reſpondeant in ipſorum ſententia, etſi corpus conſtituatur in eſſe corporis per animam, tanquã per formam; ſed non ſecũdum formalitatem viuentis, ſeu animati, ſed ſub formalitate corporeitatis; nam præter paralogiſmum, qui committitur in iſta reſponſione iam explicatus, contra hoc eſt, Concilium non dicere ex vi prædictorum verborum non poni animam ſub ſpeciebus panis ſecundum formalitatem viuentis, ſeu animati; ſed abſolutè non poni animam, & ſecũdum iſtos auctores, etſi non ponatur anima ſub ratione viuentis, ſeu animati; tamen re vera anima ponitur ex vi prædictorũ verborum contra modum loquẽdi Concilij.

19 En quantis difficultatibus premuntur auctores, qui contra Scotum defendere conantur, in viuentibus, non dari ſimul cum anima formam, ſeu formas ſubſtantiales corporeitatis, ab ipſa anima diſtinctas, dum explicare intentant, quid per particulam *corporis* poſitã in definitione animæ intellexerit Ariſtoteles. Nos autem, qui cum ipſo Scoto

to libro 1. de generatione citato, diſputat. 2. quæſtione 4. oppoſitum firmiter ſtatuimus, in explicando, quid nomine *corporis* intellexerit Ariſtoteles in dicta definitione, nulla difficultate premimur: dicimus enim nomine *corporis phyſici* nō intelligere Ariſtotelem ſolam materiam primam, quantacūque quantitate, ſeu extenſione molis, & corporea adornata excogitetur, neque etiam intelligere ipſam materiā primam informatam anima, non ſecundum omnes ſuos gradus, ſed ſolùm ſecundum gradum corporeitatis, ſed intelligere materiam primam informatā forma ſubſtantiali corporeitatis, diſtincta ab ipſa anima, quæ forma ſubſtantialis corporeitatis, etſi reſpectu materiæ primæ, quam contrahit ad eſſe corporis phyſici, & naturalis, induat rationem actus formalis; tamen reſpectu animæ induit rationem potentiæ ſubiectiuæ, *vt quo*; non ſecus, ac corpus phyſicum, & naturale, quod formaliter conſtituit, induit rationem potentiæ ſubiectiuæ, *vt quod*; & ideò Ariſtoteles optimo iure animam actum primum huius corporis phyſici, ſeu naturalis appellauit.

20 Quintū dubium eſt, quidnam intellexerit Ariſtoteles per particulam *organici*, quarto loco poſitam in definitione animæ? Et ratio dubitandi eſt, quia cum in corpore phyſico, ſeu naturali, cuius anima dicitur actus primus, duplicem organizationem nos cōſiderare poſſimus, vnam accidentalem, quæ ſecundum Ariſtotelem libro 2. de partibus animalium capite 1. conſiſtit in varijs diſpoſitionibus accidentalibus partium heterogeniarum prædicti corporis, verbi gratia, quòd hæc pars ſit mollis, illa dura, quædam humida, alia ſicca, quædam lenta, alia rigida, & ferè omnes multiformi figura: alteram ſubſtantialem, quæ in variatione ſubſtantiali partium heterogeniarum prædicti corporis ſita eſt, verbi gratia, quòd hæc pars ſit caro, illa os, hæc neruus, illa vena, hæc cor, illa cerebrum, hæc oculus, illa auris, &c. non incōgruè dubitari poteſt, an per particulam *organici* intellexerit Ariſtoteles organizationem accidentalem, an ſubſtantialem?

21 Auctores, qui contra Scotum ſuſtinent, in viuentibus non dari ſimul cum anima formam, ſeu formas ſubſtantiales corporeitatis, ab ipſa anima diſtinctas, dum explicare intendunt, quid nomine *organici* intelligat Ariſtoteles, non minus premuntur, ac preſſos vidimus dubio præcedenti in explicanda particula *corporis phyſici*; neque etiam eadem via procedunt.

22 Qui dicebant, nomine

corporis non intellexiſſe Ariſtotelem aliquid ex materia prima, & aliqua forma ſubſtãtiali coaleſcens, ſed ſolam materiam primam affectam quantitate, ſeu extẽſione molle corporea; conſequenter docent, nomine *organici* intelligere Ariſtotelem organizationem accidentalem, non qualemcumque, ſed illam tantùm, quæ cõcomitatur quantitatem, ſeu extenſionem mollem, corporeã, qualis eſt diuerſa figuratio partium.

23 Sed ſicut expoſitio particulæ *corporis*, tradita ab his auctoribus dubio præcedenti, nobis non placuit, eo quòd (vt ibi numero 13. dicebamus) etſi molles corporea, quæ conuenit materiæ primæ ratione quãtitatis, conſtituat corpus, ſed non corpus phyſicum, & naturale, quod eſt, de quo in dicta definitione loquitur Ariſtoteles (hoc enim conſtare debet ex materia prima, & aliqua forma ſubſtãtiali) ſed corpus mathematicum, quod in trina dimenſione quantitatiua conſiſtit: ita modo dicimus, nomine *organici* non potuiſſe Ariſtotelem intelligere organizationem accidẽtalem, quæ conſequitur ad quantitatem, & conſiſtit in diuerſa figuratione partium illius; quia hæc organizatio non eſt organizatio corporis phyſici, & naturalis, quæ eſt, de qua ibi loquitur Ariſtoteles, ſed ſolùm corporis mathematici.

24 Qui affirmabant nomine *corporis phyſici* intelligere Ariſtotelem, non ſolùm materiam primam, affectam quantitate, ſeu extenſione molli, & corporea, ſed etiam informatam ipſa anima viuentis ſolùm ſecundum gradum corporeitatis; communiter dicunt nomine *organici* intelligere Ariſtotelem organizationem ſubſtantialem, quæ per informationem animæ ſecundum illum gradum corporeitatis cauſatur in partibus corporis, quod ex ipſa anima, & materia prima conflatur.

25 Sed præter paralogiſmũ, quem ſupra numero 17. oſtendimus committi ab his auctoribus in illa diſtinctione informationis animæ ſecundum gradum corporeitatis, & non ſecũdum gradum animati, ſeu viuentis; ego non capio, quo pacto anima rationalis, quæ indiuiſibilis eſt, & eiuſdem rationis in omnibus partibus integralibus materiæ primæ, quas in iſtorum ſententia immediatè informat, poſſit conſtituere partes organicas ſubſtantialiter, & ſpecificè diuerſas, vt ſunt caro, os, neruus, &c. nam ſi forma, v. gr. ignis, etſi diuiſibilis in partes integrales ſit, nihilominus in partibus integralibus materiæ primæ, quas immediatè informat, non cõſtituit partes organicas ſubſtãtialiter, & ſpecificè diuerſas, non

non alia ratione, niſi quia partes integrales eius ſunt eiuſdem rationis; cur oppoſitum tribuitur animæ rationali, quæ, cum indiuiſibilis ſit, non ſolùm eſt eiuſdem rationis in omnibus partibus materiæ, ſed tota in tota materia, & tota in qualibet parte. Quod enim anima rationalis ſit forma perfectior omnibus alijs, nihil ad rem; nam cum ſuum effectum formalem tribuat, ſicut & aliæ formæ, ſe ipſam communicādo, ex eo quòd ſit forma perfectior omnibus alijs, quod infertur, eſt, quòd effectus formalis, quem præſtat, ſit perfectior omnibus effectibus formalibus aliarum formarum; non verò quòd in vna parte materiæ tribuat effectum formalem ſubſtantialiter, & ſpecificè diuerſum ab illo, quem præſtat in alia parte materiæ.

26 Idem argumentum fieri poteſt de animabus diuiſibilibus in partes integrātes, quales in omnium ſententia ſunt animæ plantarum, & animalium imperfectorum; nam vel partes iſtæ integrales, in quas diuiduntur, ſunt heterogeniæ, & diuerſæ ſpeciei, vel homogeneæ, & eiuſdem ſpeciei; primum dici non poteſt, quia cū ex Ariſtotele 5. Phyſicorum, cap. 4. ea, quæ ſpecie differunt, non poſsint continuari, ſi partes integrales harum animarum eſſent heterogeniæ, & diuerſæ ſpeciei, non poſſent cōtinuari ad faciendam vnā animam, & ita in qualibet planta, & in quolibet animali ex imperfectis eſſent tot animæ, quot partes integrales ſpecie differentes, quod eſt ridiculum: ergo dicendum eſt ſecundum, ſcilicet, eſſe homogeneas, & eiuſdem ſpeciei; & conſequēter non valentes per informationem diuerſarū partium materiæ conſtituere partes corporis ſubſtantialiter organicas, & eſſentialiter diuerſas, vt ſunt, v. gr. in animalibus, caro, os, nervus, &c. ſed hoc ex alijs formis ſubſtantialibus prouenire, nimirum, vt ſtatim dicam, ex formis corporeitatis ſubſtantialibus, diſtinctis ab ipſa anima, vt ſunt forma carnis, forma oſsis, forma nervi, &c. quas auctores iſti in viuentibus ſimul cum ipſa anima nolunt admittere, vt admittit Scotus, & ſic non mirum, quòd tot difficultatibus opprimantur.

27 Non me latet, aliquos ex ſupradictis auctoribus, inter quos ſunt Conimbricenſes, & Fonſeca, difficultatibus tactis oppreſſos, coactos fuiſſe aſſerere, organizationem, quam requirit Ariſtoteles in corpore phyſico ad hoc, vt anima ſit actus primus illius, nō eſſe ſubſtantialem, ſed ſolùm accidentalem, quæ non ſolùm in diuerſa figura conſiſtit, vt auctores nu-

Digitized by Google

numero 22. citati dicebãt, ſed etiam & præcipuè in varijs diſpoſitionibus, & temperamentis qualitatum, vt quod caro ſit mollis, os durum, cor calidum, cerebrum frigidum, &c.

28 Sed auctores iſti, vt dici ſolet, inciderunt in Scyllam, cupientes vitare Carybdim. Nam qua ratione, quæſo, ſuadere poterunt, quòd in eodem viuenti caro non differat ſubſtantialiter, & ſpecificè ab oſſe, caro à cerebro, &c. cuius oppoſitum nõ ſolùm docuit Scotus, ſed etiam Diuus Thomas quæſtione vnica de ſpiritualibus creaturis artic. 4. ad 14. his verbis, *Secundum rationẽ ſpeciei magis conuenit caro mea cum carne tua, quàm oſſa mea cum carne mea*: & ratio eſt clara, quia diuerſæ in ſpecie diſpoſitiones arguũt in ſpecie diuerſam formam ſubſtãtialem in his, quorum ſunt diſpoſitiones; ſed in eodem viuente (etiam per aduerſarios) caro requirit diuerſas in ſpecie diſpoſitiones ab his, quas requirit os, & cor requirit diuerſas diſpoſitiones in ſpecie ab his, quas requirit cerebrum, &c. ergo ſignum euidens eſt, quòd forma ſubſtantialis carnis ſit diuerſa in ſpecie à forma ſubſtantiali oſsis, & forma ſubſtantialis cordis à forma ſubſtantiali cerebri, &c. Falluntur ergo auctores iſti, dũ affirmant, animam eſſe actum primum corporis phyſici non ſubſtantialiter organici, ſed ſolùm accidentaliter.

29 En (iterum dico) quantis difficultatibus premuntur auctores, qui contra Scotum ſuſtinent in viuentibus non dari ſimul cum anima formam, vel formas partiales corporeitatis, ab ipſa anima diſtinctas, dum etiam explicare conantur, quid per particulam *organici* poſitam in definitione animæ intellexerit Ariſtoteles.

30 Nos autem, qui cum Scoto loco num. 19. citato oppoſitum ſtabiliuimus, en quàm facilè propoſitæ dubitationi ſatisfacimus. Dicimus enim per particulam *organici* poſitam in definitione animæ intelligere Ariſtotelem primò, & per ſe organizationem ſubſtantialẽ, & conſequenter, etiam organizationem accidẽtalem, quæ eſt diſpoſitio ad organizationem ſubſtantialem neceſſariò requiſita. Organizationem verò ſubſtantialem non fieri per animam, vt auctores oppoſitæ ſententiæ ſuſtinebant, vt rationes contra ipſos factæ ad oculum oſtendunt, ſed per formas ſubſtantiales partiales corporeitatis, diſtinctas ab anima, puta carnem per formam ſubſtãtialem carnis; os per formam ſubſtantialem oſsis, neruum per formam ſubſtãtialem nerui, & ſic de reliquis.

31 Nec video (imò neque aduerſarij vident) quid poſsit obijci contra hoc, ſi ſemel admittatur in viuentibus ſimul

cum

Digitized by Google

cum anima non ſolùm formā ſubſtantialem corporeitatis diſtinctam ab anima; ſed tot formas partiales corporeitatis, quot ſunt partes corporeæ ſubſtatiales heterogeniæ, & diuerſæ ſpeciei in vnoquoque viuente. Hoc autem admittendum eſſe, ni fallor, firmiter ſtatuimus cum Scoto lib.1.de generatione citato, diſp.2.q 4. & nunc non parùm corroborari poteſt à poſteriori, ex difficultatibus, ſcilicet, quæ in oppoſita ſententia occurrunt explicādi, quo pacto intelligi debeant tam particula *corporis,* quàm particula *organici* poſitæ in definitione animæ, ſupra adductis, quæ in ſententia noſtra ita facilè explicatæ ſunt.

32 Sextum, & vltimum dubium eſt, quidnam intellexerit Ariſtoteles per illas particulas, *potentia vitam habentis*, quæ vltimo loco ponuntur in definitione animæ? Cum enim vita dupliciter ſumi poſsit; primò ſubſtantialiter, qua ratione nihil aliud eſt, quàm effectus formalis animæ, in quo ſenſu ſumitur, quoties vita morti opponitur, & ſic ſumpſit illam Ariſtoteles libro, quem de *vita, & obitu* inſcripſit; & ſimiliter cum vita breuis, aut longa appellatur, & cum in ſcriptura numerantur anni vitæ aliquorum. Secundò accidentaliter, qua ratione nihil aliud eſt, quàm ipſa operatio viuentis, & quaſi exercitium vitæ ſubſtantialis; in quo ſenſu ſumpſit vitā Ariſtoteles libro ethicorum cap.4. dum ait, *vita quædam eſt operatio,* & libro 7. Politicorum cap. 2. cum vitam diuidit in actiuam, & contemplatiuam, & in eodem ſenſu ſumitur in ſcriptura, cum beatitudo, quæ in operatione conſiſtit, appellatur vita æterna, Ioan.17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te.* Hinc eſt, vt non incongruè in dubium reuocetur, de qua vita loquutus ſit Ariſtoteles in vltimis illis verbis *potentia vitam habentis*, an de ſubſtantiali, an verò de accidentali vita?

33 Auctores, qui (vt ſupra vidimus) non admittentes in viuentibus aliam formam ſubſtantialem præter animam, aſſerebant, per particulam *corporis,* & per particulam *organici* nihil aliud intellexiſſe Ariſtotelem, quàm materiam primam informatam anima; dum ad explicandum accedunt, quid nomine *vitæ* intelligat Ariſtoteles verbis illis, *potentia vitam habentis,* coguntur aſſerere, non intelligere vitam ſubſtantialē; quia reſpectu huius in ipſorum principijs corpus phyſicum, & organicum non eſt in potentia, ſed potiùs in actu, cum tam eſſe *corporis,* quàm eſſe *organici* ſit effectus formalis animæ, & vt numero præcedenti dicebamus, vita ſubſtantialis nihil aliud eſt, quàm effectus formalis animæ; ſed intelligere vitā accidentalem; nam reſpectu hu-

Digitized by Google

huius corpus phyſicum, & organicum in ipſorum principijs eſt in potentia actiua; nam compoſitum ſubſtantiale ex materia, & anima coaleſcens, potens eſt elicere operationes vitales, in quibus, vt numero præcedenti dictum eſt, vita accidentalis conſiſtit.

34 Nos verò, qui cum Scoto ſuſtinemus, in viuentibus præter animam dari alias formas ſubſtantiales, diſtinctas ab ipſa anima, quas appellamus corporeitatis, quia per ipſas & non per animam corpus phyſicum ſubſtantialiter, tam in eſſe corporis, quàm in eſſe organici conſtituitur: conſequenter (& ſanè magis ad mentem Ariſtotelis) dicimus, in ſupra dictis verbis nomine vitæ intelligere Ariſtotelem vitam ſubſtantialem; nam ſicut corpus vltimatè cõſtitutũ, tã in eſſe corporis, quàm in eſſe organici per formas corporeitatis eſt in potentia proxima, & vltimatè expedita ad hoc, vt in eodem inſtãti informetur anima; ita etiam eſt in potentia proxima vitæ ſubſtantialis, quæ in actuali informatione animę, vt dictũ eſt, eſſentialiter conſiſtit.

35 Sed dubitant auctores, an iſta verba *potentia vitam habentis* poſita in definitione animæ aliquid addant ſupra illa *corporis phyſici, & organici*: Communis reſolutio eſt, nihil addere, ſed eſſe verba ſynonyma; quia omne corpus (inquiunt) habẽs in potentia paſsiua vitam ſubſtãtialem eſt phyſicum, & organicũ; & è contra omne corpus phyſicum, & organicum, eo ipſo, quòd tale eſt, habet in potentia paſsiua vitam eſſentialem.

36 Sed reſolutio iſta, etſi cõmunior ſit; nihilominus non placet: primò, quia ſi prædicta verba nihil addunt ſupra illa *corporis phyſici, & organici*, ſed ſynonyma ſunt, ſuperfluè addita eſſent in definitione animæ; & conſequenter prædicta definitio eſſet nugatoria, quod de definitionibus, quas ita acuratè tradidit Ariſtoteles, dici non licet.

37 Secundò, quia de fœtu priùs tempore, quàm animetur, & ſimiliter de cadevere negari non poteſt, quòd ſint corpora phyſica, & ſubſtantialiter organica, cum conſtet partibus ſubſtantialibus heterogenijs, & diuerſę rationis, & tamẽ Ariſtoteles 1. cap. huius libri (contra id, quod aſſumit communior reſolutio in ſua probatione) expreſsis verbis excludit tam fœtum, antequam animetur, quàm cadaver à ratione habendi vitam in potentia, verba Ariſtotelis ſunt, *non eſt in potentia viuens, quod abijcit animam, eaque vacat; ſed quod ipſam habet*, vbi per illa verba, *quod abijcit animã*, intelligit cadaver, & per illa *eaque vacat* intelligit embryonem, ſeu fœtum priùs tẽpore, quàm informetur anima. & ibidem ſubdit, *deficiente ani-*

ma,

Digitized by Google

ma;oculum iam non eſſe oculum,niſi æquiuocè, ſicut eſt oculus lapideus: ergo ſentit Ariſtoteles nō qualecumque corpus phyſicum,& ſubſtantialiter organicum eſſe in potentia paſſiua habens vitam;ſed tantùm illud,quod in ſua ſubſtantiali organizatione, ita eſt completum,& vltimatè diſpoſitum, vt ipſum neceſſariò comitetur actualis informatio animæ,& conſequenter vita ſubſtantialis.

38 Dicendum igitur nobis eſt cum Simplicio, & alijs, verba illa, *potentia vitam habentis*, aliquid addere ſupra illa, *corporis phyſici,& organici*, nimirum, cōtractionem corporis phyſici,& organici (quod latiùs patet, quam corpus in potentia vitā habens,cum ſub ſe etiam comprehendat fœtum priùs tēpore,quàm animetur,& ſimiliter cadaver) ad corpus phyſicum, ita in ſua organizatione ſubſtātiali completum, & vltimatè diſpoſitum,vt ipſum neceſſariò cōcomitetur actualis informatio animæ,& conſequenter vita ſubſtātialis: de hoc enim ſolùm iuxta ſententiam Ariſtotelis adductam , & non de alio verificari poteſt,quòd ſit in potentia paſsiua vitam habens.

39 Diſcuſsis iam, & determinatis dubijs,quæ circa ſingulas particulas poſitas in definitione animæ oriri,& diſcuti ſolēt, nō erit difficile ad propoſitam quæſtionem reſpondere: dicimus enim,definitionē animæ, traditā ab Ariſtotele in primo capite huius libri, optimam,& exactam eſſe ; quia non ſolùm per ipſam explicatur natura animæ in communi ſumptæ , & prout abſtrahit à vegetatiua, ſenſitiua,& rationali;ſed etiam diſtinguitur à quocūque nō tali. Eſt cōmunis inter interpretes ſententia , & probari poteſt per omnes, & ſingulas partes eius diſcurrendo.

40 In primis, particula *actus* ponitur in ea loco generis, in quo conuenit cū omnibus formis,tam aſsiſtentibus, quàm informantibus;tam ſubſtantialibus,quā accidētalibus:reliquę particulæ ponuntur loco differentiæ , & per particulam *primus* excluduntur omnes operationes, quæ non ſunt actus primi,ſed ſecundi;imò excluduntur omnes formæ accidentales phyſicæ, quæ cum nō tribuant eſſe ſubſtantiale,ſed illud præſupponant, non poſſunt appellari actus primi , neque prioritate naturæ , neque prioritate perfectionis.Per particulā *corporis* excluduntur formæ aſsiſtentes, vt ſunt Angeli, ſeu intelligentiæ mouētes cælos, qui cū non informent cælos,quos mouent,non poſſunt dici actus corporum cælorum ; imò excluduntur omnes formæ ſubſtantiales, quæ nō ſunt animæ, quæ etiamſi ſint actus primi,& informantes, & actuantes, ſed non corpus,ſed materiam primam.Per particulā *phyſici* exclu-

cluduntur formæ artificiales, quæ etiamſi ſint actus corporis, ſed non corporis *phyſici*, ſed mathematici: imò etiam excluditur differentia animati, per quam corpus, quod ponitur, vt quoddam genus in recta linea prædicamenti ſubſtantiæ, contrahitur ad eſſe viuentis; quia etiamſi ſit actus primus, & ſubſtantialis corporis, ſed non corporis phyſici, ſed metaphiſici. Per particulam *organici* excluduntur omnes formæ ſubſtantiales inanimatorum, quæ cum non ſint præditæ potentijs actiuis vitalibus, ſicut præditæ ſunt animæ, non requirunt neceſſariò in ſubiecto, quod informant, diuerſa organa, per quæ ſuas operationes exerceant, ſicut requirunt animæ. Denique per illa vltima verba, *potentia vitam habentis*, denotatur, non ſufficere in corpore phyſico ad hoc, vt anima ſit actus eius, quamcumque organizationem, ſed neceſſariò requiri, quòd taliter ſit organizatum, & vltimatè ſit diſpoſitum ad hoc, vt informetur anima; & conſequenter habeat in potentia proxima eſſe viuens, defectu cuius conditionis excluſit Ariſtoteles verbis num. 37. citatis, à corporibus organicis potentia vitam habentibus, tam cadaver, quàm embryonem.

41 Sed adhuc ſuperſunt explicanda duo dubia; primum, an prædicta definitio ſit inter quiditatiuas; an inter deſcriptiuas numeranda? Et conueniūt omnes nō poſſe inter purè quiditatiuas numerari, cum detur per additamentum, ſcilicet, per corpus phyſicum, & organicū in potentia vitam habēs, quod, etſi ſit intrinſecum connotatum animæ, non tamen eſt pars quiditatiua eius.

42 Thomiſtæ, & alij, qui ſuſtinent, aptitudinem ad actuandum, ſeu informandum corpus, vel materiam primam eſſe de quidditate formarum ſubſtantialium, & quid conueniens eis in primo modo dicendi per ſe, non ſecus, ac eſt, in ipſorum ſententia, de quidditate rerum, quæ denominantur accidentia, inhærentia, aptitudinalis, & de quidditate materiæ primæ aptitudo ad ſuſtentandum formas ſubſtantiales, ſeu eſſe potentiam ſubiectiuam; conſequenter affirmare debent, ſicut de facto affirmant, hanc definitionem datam fuiſſe per verum genus, & conſequenter eſſe inter definitiones quidditatiuas numerandam.

43 Probant ex Ariſtotele, qui primo capite huius libri proponens intentum ſuum, dixit, duo eſſe in prædicto capite determinanda, videlicet, quid ſit anima, & quæ ſit communiſsima ratio eius? Poſt aſsignatam ſupra dictam definitionem, ſubdit, ſe vtrumque explicuiſſe, quod non eſſet verum, ſi præ-

prædicta definitio ab ipſo tradita quidditatiua non eſſet.

44 Nos verò, qui cum Scoto ſuſtinemus, aptitudinem ad actuandum, ſeu informandum corpus, vel materiam primam, non eſſe de quidditate formarum ſubſtantialium; ſed propriam illarum paſsionem, & quid re vera intrinſecum, & eſſentiale, ſed non in primo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe, non ſecus, ac non eſt de ratione quidditatiua accidẽtium abſolutorum, puta quantitatũ, aut qualitatum, inhærentia aptitudinalis, ſed ſola propria ipſorum paſsio, eo quod non valemus percipere, quo pacto relatio ſecundum eſſe, ſiue prædicamentalis, ſiue tranſcẽdentalis ſit, de conceptu quidditatiuo abſoluti, vt latè expendimus in Logica capite de accidenti quinto prædicabili quæſtione vltima, & latiùs idem docuimus de potentia ſubiectiua reſpectu materiæ primæ libro 1. Phyſicorum, diſput. 3. quæſt. 3. cõſequenter dicimus, & ſuſtinemus, quòd etiãſi, hæc definitio ſit eſſentialis; non tamen eſſe quidditatiuam, ſed deſcriptiuam appellandam, eo quòd non ſit data per verum genus, ſed per paſſionem propriam, communem, tam animæ, quàm alijs formis, loco generis, vt eſſe actum ſiue habere aptitudinem ad actuãdum, ſeu informandum.

45 Neque obſtat quòd Scotus in 2. diſtinct. 16. quæſt. vnica concedat animæ eſſentialiter conuenire eſſe actum; nam propriæ paſsiones, etiam dicũtur eſſentialiter conuenire ſubiectis, ex quorum eſſentia profluunt, ſeu dimanant, licet non primo, ſaltem ſecundo modo dicendi per ſe. Et ex hac doctrina facilè reſpondetur ad auctoritatem Ariſtotelis in contrarium adductam num. 43. nam dicimus, ex eo quod Ariſtoteles affirmet per hanc definitionem ſe explicuiſſe, quid ſit anima, non rectè inferri, prædictã definitionem eſſe quidditatiuã appellandam; nam etiam per proprias paſsiones, & conſequenter per definitiones deſcriptiuas, eſſentias, & quidditates rerũ explicare ſolemus, præſertim cum eſſentiæ, & quidditates rerum nos latent; & hoc eſt, quod Ariſtoteles profitetur ſe feciſſe per iſtam definitionem animæ.

46 Secundum dubium eſt, an hæc definitio vniuocè omnibus animabus conueniat? Fuit ſententia aliquorum, animam rationalem, vt rationalis, & intellectiua eſt, non eſſe actum informantem corpus phyſicum, & organicum; ſed hoc ſolùm ei competere per analogiam, & ſimilitudinem ad animam ſenſitiuam, & vegetatiuam; & conſequenter hanc definitionem Ariſtotelis, in qua anima dicitur actus primus corporis phyſici, & organici, non conuenire:

Digitized by Google

uenire vniuocè omnibus animabus, ſed ſolùm vegetatiuæ, & ſenſitiuæ: ita ſenſit Plato (vt refert Diuus Thomas contra gentes cap. 57.) in Alciuiade, & Phædone, vbi expreſsè aſſerit, animam rationalem non eſſe actum informantem corpus, neque vnum per ſe cum illo conſtituentem; ſed eſſe actum ei aſsiſtentem, non ſecùs, ac nauta aſſiſtit in naui, & intelligentia in cælo. Platonē ſequuti ſunt aliqui ex Philoſophis antiquis, Simplicius ad textum 7. huius libri, Philoponus ad textum 11. Alexander in principio libri de ſenſu, & ſenſibili.

47 Fundamentum iſtorum erat, quia actus, & potentia debent proportionari: ſed anima rationalis, & corpus non proportionantur; nam anima rationalis eſt ſpiritualis; corpus verò eſt quid materiale: ergo nequeunt ſe habere, vt actus, & potentia. Et confirmatur, quia intellectus operatio non exercetur per corpus, neque in aliquo eius organo recipitur: ergo ſignum eſt, animam, vt intellectiuam non eſſe formam corporis, neque actum eius.

48 Nobis autem dicendum eſt cum Scoto in 4. diſt. 43. & eſt communis ſententia, animam rationalem, non ſolum, vt eſt vegetatiua, & ſenſitiua; ſed etiam, vt eſt rationalis, & intellectiua, eſſe actum informantem corpus phyſicum, & organicum: & conſequenter definitionem animæ traditam ab Ariſtotele vniuocè competere omnibus animabus. Et quidem animam rationalem, etiam, vt rationalis, & intellectiua eſt, eſſe actum informantem corpus phyſicum, & organicum, eſt veritas iam de fide definita in Clemēt. 1. de Summa Trinitate, & fide Catholica, edita Concilio Vienenſi à Clemente V. quam definitionem repetit, & approbat Concilium Lateranenſe 3. ſeſſ. 8.

49 Eſt præterea hæc veritas lumine naturali nota, & vt talem illam amplexus eſt Ariſtoteles pluribus in locis; ſed præcipuè hoc in libro capit. 2. textu 24. vbi docet, animā eſſe, qua primo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; non poſſet autem anima eſſe principiū, quo primò intelligimus, ſi in quantum rationalis, & intellectiua, non eſſet actus informans corpus, & vnum per ſe cum illo cōſtituens. Et 12. Metaphyſices text. 16. & 17. poſtquam poſuit diſcrimen inter cauſas efficientes, & formales in hoc, quòd efficientes poſſunt tempore antecedere ſuos effectus, non verò formales, dubitat, an poſsint cauſæ formales permanere poſt ſuos effectus? Cui dubio reſpondet, plures non poſſe permanere; dari tamen aliquam, quæ permanet, ſcilicet, intellectualem, ſeu rationalem.

50 Poteſt præterea hæc veritas

tas

Digitized by Google

tas rationibus naturalibus demonſtrari: prima; homo dicitur intelligens, & volens; ergo anima rationalis, quæ eſt, ratione cuius illæ operationes conueniũt homini, eſt actus informans, & conſtituens hominẽ; nam ſi ſolùm eſſet forma aſſiſtens, ſicut nauta in naui, non diceretur homo intelligens, & volens, ſicuti cum nauta intelligit, & vult, non dicitur nauis intelligere, & velle.

51 Secunda; homo eſſentialiter diſtinguitur à brutis; ſed non per corpus, quia corpus commune quid eſt hominibus, & brutis; ergo per animam; ſed nõ per animam vegetatiuam, vel ſenſitiuam, quia bruta etiã vegetantur, & ſentiunt; ergo per animam intellectiuam, ſeu rationalem; & conſequenter anima, vt rationalis, & intellectiua, erit actus actuans, & informans; nam actus, ſeu forma ſolùm aſſiſtens non pertinet ad eſſentiam eius, in quo aſsiſtit, neque vnitur illi eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter, & quoad motum; ac per conſequens non poterit illi tribuere, quòd eſſentialiter diſtinguatur ab alijs.

52 Ad fundamentum Platonis, & aliorum reſpondetur, actum, & potentiam non debere proportionari in entitate; alias accidens non poſſet eſſe actus ſubſtantialis, ſed ſolùm in hoc, quòd vnum ſit contrahibile, ſeu actuabile per aliud, & hanc proportionem reperiri inter animam rationalem, & corpus, non obſtante, quod anima rationalis ſit ſpiritualis, & corpus quid materiale, eſt manifeſtum; nam anima rationalis eſt ſubſtantia incompleta, ac per conſequens nata ſimul cum alio per modũ actus vnum per ſe cõſtituere, & corpus etiam ſit ſubſtantia incompleta, & in potẽtia ad recipiendum aliquem actum, cum quo ſimul vnum per ſe conſtituat. Neque excogitari poteſt alia potentia magis proportionata animæ rationali, quàm corpus phyſicum, & organicum; nam ſi alia eſſet excogitabilis, maximè aliqua ſubſtãtia ſpiritualis, ſicut eſt, & ipſa anima rationalis; & manifeſtum eſt, nullã ſubſtantiam ſpiritualem poſſe eſſe aptam potentiam animæ, eo quòd anima rationalis ex intrinſeca natura ſua petit intelligere cum diſcurſu (per hoc enim diſtinguitur ab Angelis) & ſic ſubſtantiam, quam vt potentiam debet actuare, non debet eſſe ſpiritualis; nam ſi eſſet ſpiritualis, non acciperet ſpecies intelligibiles per ſenſus, quæ eſt ratio intelligendi per diſcurſum.

53 Ad confirmationem dicimus, ex eo quòd operationes intellectus animæ rationalis non exerceantur per corpus, neque in illo immediatè recipiantur, non ſequi animam rationalem, vt rationalem,

Digitized by Google

nõ informare, ſeu actuare corpus; ſed quod inde ſequitur, eſt, potentiam intellectiuam animæ in ipſa immediatè reſidere, & non in aliquo organo corporeo, vt reſident potentiæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ animę.

QVÆSTIO II.

Quæ, & qualis ſit ſecunda definitio animæ tradita ab Ariſtotele?

1 VOlens Ariſtoteles demõſtrare, optimam eſſe definitionem animæ, quam ipſe 1. capite huius libri tradiderat (& nos fusè quæſtione præcedēti explicuimus) per aliam definitionem nobis notiorem ſic animam in 2. capite iterum definiuit, *anima eſt principium, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus*: de qua definitione in præſenti quæſtione inquirimus, quæ, & qualis ſit? quod quatuor dubitationibus reſolvemus.

2 Prima dubitatio eſt, *an hæc definitio ſit exacta?* Rationes dubitandi ſunt; prima, quia hæc definitio etiam intelligentiæ mouenti cælum poteſt adaptari; nam eſt principium, quo primò cælum mouetur. Secunda, quia prædicta definitio ſoli animæ rationali conuenire videtur; ſiquidem nulla alia eſt principium primum viuendi, ſentiendi, mouendi, & intelligendi coniunctim, ſeu copulatiuè, prout Ariſtoteles illa enumerat. Quod ſi prædicta verba non copulatiuè, ſed diſiunctiuè ſint accipienda, ita vt particula & idem valeat, ac partica *vel* (quod ſæpè apud Ariſtotelem vſurpari ſolet) erit illa potiùs diuiſio animæ in communi in ſuas ſpecies, quàm definitio, & genus definiatur per differentias diuidentes illud, quod abſurdum eſt, & inſuper ſi prædicta definitio per diuiſionem, & enumerationem ſpecierum detur, ſuperfluè quatuor membra numerantur, cum animarum ſpecies tres tãtum ſint; nam principium vitalis motus localis non eſt aliud à principio ſentiendi, nec ab illo ſeparatur; quia localis motus non eſt actio vitalis, niſi quatenus à ſenſu, & appetitu dimanat. Tertia, quia cum omne, quod ſentit, viuat, ſufficiebat dicere, anima eſt principium, quo primo ſentimus, &c. & ſic illa particula, *quo primò viuimus*, in principio poſita ſuperflua iudicanda eſt.

3 His tamen non obſtantibus tenendum eſt cum communi ſententia, ſupradictam definitionem animæ optimam, & exactam eſſe. Nam per ipſam explicat Ariſtoteles naturam animæ in communi per diuerſas, & varias operationes, quas animæ exercere poſſunt: quod non meliùs explicari, & probari poteſt, quàm per eius particulas diſcurrendo, & ſimul ſatisfaciendo rationibus du-

Digitized by Google

dubitandi in contrarium adductis.

4 Nam in primis in prædicta definitione ponitur particula *principium* loco generis, in quo conuenit anima cum omnibus cauſis efficientibus. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ. Et per particulam *quo*, qua denotatur, animã non eſſe principium, quod viuit, ſentit, &c. ſed principium quo viuẽtia, ſentientia, &c. cõſtituuntur formaliter, & intrinſecè potentia elicere operationes viuẽdi, ſentiendi, &c. differt anima ab ipſis viuentibus, quæ etiãſi ſint principium viuendi, ſentiendi, &c. ſed non principiũ *quo*; ſicut eſt anima, ſed potiùs principiũ *quod*. Et multò magis differt ab intelligentia, quæ non eſt principiũ, *quo* motus cęlorũ, ſed potiùs principium *quod*; & inſuper motus, quo mouẽtur cæli non ſint vitales. Et per hoc patet ad primam rationem dubitandi.

5 Per particulam *primò* diſtinguitur anima à ſuis potentijs; quia etiamſi ſint in viuentibus principium, quo formaliter, & intrinſecè cõſtituuntur proximè potentia elicere operationes viuendi, ſentiendi, &c. ſed nõ primum, cum prædictæ potentiæ cõueniant viuenti ratione animæ, à cuius eſſentia profluunt, ſeu dimanant, & ſic non ipſæ, ſed eſſentia animæ eſt primum, & radicale principiũ, à quo viuentia formaliter, & intrinſecè conſtituuntur potẽtia elicere operationes viuendi, ſentiendi, &c.

6 Adduntur in definitione illæ particulæ, *viuimus, ſent.mus, mouemur, & intelligimus*; quia etiamſi iſtæ operationes nõ ſint de eſſentia animæ; ſunt tamen connotata illius intrinſeca, per quæ eſſentia animæ, quæ nos latet, non ſolùm optime declaratur, ſed etiam ab omnibus alijs formis ſubſtantialibus inanimatorum diſtinguitur; quia etiamſi non conueniant ſemper animatis, conueniunt tamen diſtributione accommodata omnibus, & ſolis, & ſic ſunt propria ipſorum, ſaltẽ tertio modo ex quatuor modis proprij à Porphyrio capite de proprio enumeratis, qualis eſt, quod conuenit, omni, ſoli, ſed non ſemper.

7 Ex quibus facilè ſolvi poſſunt ſecunda, & tertia ratio dubitandi. Nam ad ſecundam dicimus, prædictas particulas nõ eſſe copulatiuè, ſed diſtributiuè diſtributione accommodata intelligenda, ita vt ſenſus ipſorum ſit, anima eſt principiũ, quo primò viuunt omnia, quæ habẽt vitam vegetatiuam; quo primo viuunt, & ſentiunt, quæ habent vitam vegetatiuam, & ſenſitiuam; quo primo viuunt, ſentiunt, & mouentur, quæ habent vitam vegetatiuam, ſenſitiuam, & loco motiuam; quo primò viuunt, ſentiunt, mouẽtur, & intelligunt, quæ habent vegetatiuam, ſenſitiuam, loco

motiuam, & intellectiuam.

8 Neque ex hoc infertur id, quod prædicta ſecunda ratio dubitandi in contrarium obijciebat, videlicet, quòd prædicta verba potiùs continerent diuiſionem animæ in communi in ſuas ſpecies, quàm eius definitionem; ſicuti nec etiam infertur id, quod ſuper hunc locum intulit Ægidius, ſcilicet, hanc non eſſe vnicam definitionem, ſed quadruplicem, vnamquamque pro ſua anima, ſanè contra Ariſtotelem, qui hoc capite 2. aſſerit, ſe velle aſsignare aliam definitionem animæ notiorem prima, & per quā prima meliùs cognoſcatur, & aliquo modo reddat cauſam eius: quod nullo modo præſtitiſſet, ſi hæc ſecunda definitio non proportionaretur cū prima, tam in definito, quàm in vnitate; ſed quod debet inferri, eſt id, quod num. 6. ſtatuimus, ſcilicet, hanc definitionem eſſe datam per varias, & diuerſas operationes, quas experimur in viuentibus; quæ operationes, etſi non ſint de eſſentia animæ; ſunt tamen connotata illius intrinſeca, per quæ eſſentia animæ, quæ nos latet, non ſolùm optimè declaratur; ſed etiam ab omnibus alijs formis ſubſtantialibus inanimatorum diſtinguitur.

9 Ad tertiam dicimus, *viuere* dupliciter ſumi poſſe; vno modo abſtractè, & in communi; alio modo pro eo, quod eſt primum in genere viuendi, & ipſo communi nomine vitæ nominatur; quia eſt fundamētum ad reliquas omnes vitas; in qua acceptione iuxta mentem Ariſtotelis principium, quo viuimus, idem eſt, ac principium, quo vegetamur. Vndè non ſuperfluè poſita eſt in definitione, illa particula, *quo primò viuimus*; nam per illam non intelligit Ariſtoteles quodlibet opus vitæ (vt non rectè ſenſit Caietanus) ſed operationes animæ vegetatiuæ, vt optimè annotauit Diuus Thomas hic textu 24. lectione 4. quo pacto diuerſum eſt viuere, & ſentire, licet vnum aliud præſupponat.

10 Secundum dubium eſt, an hæc definitio ſit eſſentialis, an accidentalis? Etſi eſt eſſentialis, an ſit quidditatiua, an deſcriptiua? Et pro clara reſolutione eius præſuppono, verba huius definitionis, ſcilicet, *anima eſt principium, quo primò viuimus, ſentimus, &c.* dupliciter ſumi poſſe; primò pro actuali principio; ſecundò pro principio aptitudinali; & hoc adhuc dupliciter, ſcilicet, pro principio aptitudinali proximo, & quod dici ſolet potentia formalis; vel pro principio aptitudinali remoto, quod dici ſolet potentia radicalis.

11 Hoc præſuppoſito dico primò; ſi verba huius definitionis ſumātur pro principio actuali, prędicta definitio nō eſt eſſētia-

lis,

lis,ſed accidẽtalis:eſt communis ſententia,& ratio eſt clara, quia illa definitio nõ eſt eſſentialis,ſed potiùs accidentalis, quæ explicat id, quod accidit definito ; ſed eſſe principium actuale , quo primò viuimus, ſentimus, &c. accidit animæ; ergo ſi verba huius definitionis ſumantur pro principio nõ aptitudinali,ſed actuali,prædicta definitio nõ erit eſſentialis, ſed potiùs accidentalis;non ſecus, ac eſſet accidentalis definitio hominis,*homo eſt animal actualiter ratiocinans.*

12 Dico ſecundo;ſi verba huius definitionis ſumantur pro principio aptitudinali proximo,quod dici ſolet potẽtia formalis;Thomiſtæ,& alij,qui affirmant,potẽtias animę eſſe accidẽtia,ſpectantia ad ſecundam ſpeciẽ qualitatis,conſequenter debẽt dicere,hanc definitionẽ eſſe accidẽtalem, & non eſſentialem,cum in ipſorum principijs, etſi explicet quid propriũ animæ; ſed nõ ei eſſentiale,ſed accidẽtale.Nos verò,qui cum Scoto ſuſtinemus (vt ex infra dicendis conſtabit) potentias animæ non eſſe accidẽtia prædicamentalia, ſpectantia ad ſecundam ſpeciem qualitatis, diſtinctas realiter ab anima ; ſed eſſe proprias paſſiones animæ; non ſecus,ac riſibilitas eſt propria paſſio hominis ; & conſequenter non ſolùm eſſe idẽ realiter cum anima, & reductiuè poni in prædicamento ſubſtãtiæ, ſicuti ponitur ipſa anima, ſed etiam,etſi non ſint de conceptu quidditatiuo animæ,eſſe tamen illi intrinſecas,& eſſentialiter conuenientes,licet non in primo,ſed in ſecundo modo dicendi per ſe ; conſequenter dicimus, quòd ſi verba huius definitionis ſumantur pro principio aptitudinali proximo, quod dici ſolet potẽtia formalis;hanc definitionem,etſi non ſit quidditatiua,ſed deſcriptiua; non tamen eſſe accidentalem,ſed potiùs intrinſecam,& eſſentialem;nõ ſecus,ac eſt iſta definitio hominis, *homo eſt animal aptum ad ridendum.*

13 Dico tertiò; ſi verba huius definitionis ſumantur pro principio aptitudinali remoto, quod dici ſolet potentia radicalis , omnes admittere tenemur,hanc definitionẽ non eſſe accidẽtalem;ſed intrinſecam, & eſſentialem , cum aptitudo radicalis,quæ conuenit animæ eſſendi principium,quo primò viuimus,ſentimus,&c. in omnium ſententia non ſit accidens, ſed quid intrinſecum , & eſſentiale animæ:& ſolùm eſſe poteſt cõtrouerſia inter auctores in explicando,an ratio primi principij aptitudinalis, & radicalis ſit de conceptu quidditatiuo animæ; & conſequenter definitio ſit appellãda quidditatiua, & data per verum genus ? An verò ſolum ſit propria illius paſſio,& conſequenter prædicta definitio nõ inter

quidditatiuas; ſed inter deſcriptiuas, & datas per paſſionem communem loco generis numeranda?

14. Thomiſtæ, & alij, qui (vt vidimus quæſtione præcedenti num. 42.) loquendo de prima definitione animæ affirmabant, aptitudinem radicalem ad actuandum, ſeu informandum corpus, vel materiam primam eſſe de conceptu quidditatiuo formarum ſubſtantialiũ, & quid conueniens eis in primo modo dicendi per ſe, & conſequenter primam definitionem animæ, traditam ab Ariſtotele in 1. capite huius libri, eſſe quidditatiuam, & datam per verum genus, dum ad explicandam iſtam ſecundam definitionem accedunt, plures ſuſtinẽt, rationem principij aptitudinalis, & radicalis, quo primo viuimus, ſentimus, &c. eſſe de conceptu quidditatiuo animæ; & conſequenter, ſi verba huius definitionis intelligãtur de hoc principio, prædictã definitionem eſſe quidditatiuam; quia datur per verum genus; ita Rubius tractatu de ſubſtantia animæ, quæſt. 9. & alij, quos ipſe citat.

15 Nos autem, qui loco citato num. 44. ex doctrina Scoti ſtatuimus, aptitudinẽ ad actuãdum, ſeu informãdum corpus, vel materiam primam non eſſe de conceptu quidditatiuo formarum ſubſtãtialium; ſed propriam ipſarum paſsionem, & quid re vera intrinſecum, & eſſentiale, ſed nõ in primo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe; & conſequenter primã definitionẽ animæ, etſi ſit intrinſeca, & eſſentialis; ſed nõ quidditatiuam, ſed deſcriptiuam appellandam eſſe; quia non eſt data per verum genus, ſed per propriam paſſionem communẽ, tam animæ, quàm alijs formis loco generis: ita modo dicimus, rationem formalẽ principij aptitudinalis, & remoti, quo primò viuimus, ſentimus, &c. quæ in relatione ſecũdum eſſe conſiſtit, non poſſe eſſe de conceptu quidditatiuo animæ, quæ quid abſolutum eſt; quia implicationem involvit, quòd relatio ſecũdum eſſe, ſiue prædicamentalis, ſiue tranſcendẽtalis ſit de conceptu quidditatiuo rei abſolutæ: ſed eſſe propriam paſsionem animæ, quæ, etſi intrinſecè, & eſſentialiter animæ conueniat; ſed non in primo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe; & conſequenter, ſi verba huius ſecundæ definitionis intelligantur de principio aptitudinali, & radicali, etſi ſit intrinſeca, & eſſentialis appellãda; ſed non inter quidditatiuas numerandam, ſed potiùs inter deſcriptiuas; quia nõ datur per verum genus, ſed per propriam paſsionem in communi, loco generis.

16 Sed dubitabis, in quonam ex prædictis ſenſibus ſumpſerit Ariſtoteles verba huius defini-

Digitized by Google

tionis? Plures affirmant, ſumpſiſſe illa in primo ſenſu, ſcilicet, pro principio actuali, quo primò viuimus, ſentimus, &c. vndè conſequenter dicunt, hãc definitionem, vt de facto tradita eſt ab Ariſtotele, eſſe accidẽtalem. Fundamentum ipſorum eſt, quia Ariſtoteles 2. capite huius libri ait, ſe definijſſe prima definitione animam ex nobis obſcuris; & ideò velle iterum illã definire ex nobis manifeſtioribus; ſed nobis manifeſtiora ſunt operationes actuales animæ; ergo definiuit Ariſtoteles animam in hac ſecunda definitione, in quantum eſt actuale principium, quo primò viuimus, ſentimus, &c.

17 Sed hæc expoſitio menti Ariſtotelis repugnat, eius auctoritati derogat, & leui nititur fundamento. Repugnat menti Ariſtotelis; quia per hanc ſecundam definitionem fatetur Ariſtoteles in dicto 2. capite huius libri demonſtrari primã, quam 1. capite tradiderat: ergo ex mente Ariſtotelis hæc ſecũda definitio non poteſt eſſe accidentalis, & contingens animæ, vt re vera eſſet (ipſis aduerſarijs conſentientibus) ſi prædicta verba ſumantur in primo ſenſu, ſcilicet, pro principio actuali: ſequela patet, nam ex vna propoſitione contingenti non poteſt inferri cõcluſio neceſſaria, quæ ſemper debeat in demonſtratione concludi; nam concluſio (vt Dialectici docẽt) ſemper ſequitur debiliorẽ partem; & ita ſi aliqua ex præmiſſis fuerit contingens, non poterit demonſtratiuè, & neceſſarium aliquid concludi.

18 Derogat auctoritati Ariſtotelis, quia ei attribuitur, non exactè naturam animæ per hãc ſecundam definitionem declaraſſe; nam definitiones, quæ dãtur per accidentia, nõ ſunt omninò exactæ, vt patet in hac prædicta definitione, in qua, ſi verbum *principium*, quo primò viuimus, ſentimus, &c. intelligeretur de principio actuali, quod quid accidentale eſt reſpectu animæ; prædicta definitio non conueniret animæ rationali in ſtatu ſeparationis à corpore.

19 Nititur leui fundamento; nam etiamſi connotatum, per quod datur hæc ſecunda definitio, ſint vitales operationes viuẽdi, ſentiendi, &c. quæ nobis notiores ſunt, quàm corpus phyſicum, & organicum, potentia vitam habens, quod eſt connotatum primæ definitionis; & ideò hæc ſecunda definitio data ſit ex nobis notioribus, quàm prima; tamẽ ex hoc non rectè infertur, quòd nomẽ *principium*, quod in ea ponitur loco generis, debeat intelligi de principio actuali, & non de principio aptitudinali iſtarum vitalium operationum; imò potiùs infertur oppoſitũ; nam vt receptum eſt inter Dialecticos, verba in definitione non di-

dicũt actum,ſed aptitudinem.

20 Imò addo, Ariſtotelem in hac ſecunda definitione non ſolùm non ſumpſiſſe nomen *principium* pro principio actuali, ſed neque pro principio aptitudinali proximo, quod dici ſolet potẽtia formalis; ſed pro principio aptitudinali remoto, & quod dici ſolet, potentia radicalis; nam vt num. 5. dicebamus, per particulam *primò* poſitam in prædicta definitione excluſit Ariſtoteles ipſas potentias formales animæ, quæ etiamſi ſint in viuentibus principium, quo formaliter, & intrinſecè conſtituuntur potentia elicere operationes viuendi, ſentiendi, &c. ſed non primum, & radicale, quale debet eſſe anima. Vndè dicendũ eſt, Ariſtotelem in dicta definitione ſumpſiſſe nomen *principium* in tertia cõſideratione, ſcilicet, pro principio aptitudinali remoto, & radicali, quo viuimus, ſentimus, &c. & conſequenter hanc ſecundam definitionem animæ, vt tradita eſt ab Ariſtotele, etſi ſit intrinſeca, & eſſentialis, ſed non inter quidditatiuas, ſed inter deſcriptiuas numerandam; quia non eſt data per verum genus, ſed per propriam paſſionem in communi, loco generis, non ſecus, ac de prima definitione philoſophati ſumus. Imò quoad hoc vltimum, multò potiori ratione, quia etiamſi reſpectu animæ in cõmuni ſumptæ, tam eſſe actũ primum corporis phyſici, &c. quàm eſſe principiũ, quo primò viuimus, ſentimus, &c. ſint propriæ paſsiones, ſed priùs natura illi cõpetit eſſe actum primũ corporis phyſici, &c. quàm eſſe principiũ, quo primò viuimus, ſentimus, &c. ac per cõſequens, ſi primũ nõ eſt de cõceptu quidditatiuo animæ, neque verũ genus reſpectu illius; multò potiori ratione hoc ipſum erit affirmãdum de poſteriori.

21 Tertium dubium eſt, quomodo hæc poſterior definitio animæ diuerſa ſit à priori; nam re vera has definitiones eſſe diuerſas negari non poteſt, cum hoc fateatur Ariſtoteles 2. capite huius libri, dum ait, ſe velle iterum animam definire ex notioribus nobis; quia priori definitione illam definierat ex nobis obſcuris, & per quã prior definitio demonſtretur.

22 Auctores illi, qui, vt quæſtione præcedenti, num. 33. vidimus, coacti ſunt aſſerere, verba illa primæ definitionis, *potentia vitam habentis*, non poſſe intelligi de potentia paſsiua ad vitam ſubſtantialem recipiendam; quia cum in ipſorũ principijs corpus organicum, tam in eſſe corporis, quàm in eſſe ſubſtãtialiter organici formaliter conſtituatur per animam, in cuius effectu formali conſiſtit vita ſubſtantialis; ſicuti prædictum corpus organicum non poteſt dici in iſtorum principijs, quòd ſit in potentia ſubiectiua

Digitized by Google

ctiua ad recipiendum effectum formalem animæ, ſed potiùs, quòd actu illum recipit: ita neque dici poterit, quòd ſit in potentia ſubiectiua ad recipiendam vitam ſubſtantialem; ſed potiùs, quòd actu illam recipit, ſeu habet; ſed eſſe intelligenda de vita accidentali, quæ formaliter in operatione vitali conſiſtit, reſpectu cuius prædictum corpus eſt in potẽtia actiua, eo ipſo, quòd ſupponitur informatũ anima: difficilè ſanè poſſunt hanc ſecundã definitionem à prima ſecernere; nam habitudo animæ ad vitam accidentalem, quæ per vtramque definitionem declaratur, vnica tantùm eſt; ergo etiamſi in verbis ſit aliqua diuerſitas in his definitionibus, idem omninò, & ſub eadem ratione per vtramque definitionẽ explicabitur. Nec obſtat, quòd prior per potentiam habendi vitam accidentalem, & poſterior per actũ viuendi, ſentiendi, &c. tradatur; quia, vt dici ſolet, verba in definitione non dicunt actũ, ſed aptitudinem; & ideò in ſupradictis, vt certum ſtatuimus, cum in hac ſecũda definitione dicitur, animam eſſe principiũ, quo primò viuimus, ſentimus, &c. verba iſta non eſſe de principio actuali intelligenda, ſed de aptitudinali, nõ qualicumque, ſed de aptitudinali remoto, & radicali.

22 Nos autem, qui loco citato num. 34. nixi doctrina Scoti, quæ ſuſtinet corpus phyſicum, & organicum, neque in eſſe corporis, neque in eſſe ſubſtantialiter organici formaliter cõſtitui per animam, in cuius effectu formali conſiſtit vita ſubſtantialis, ſed per formas ſubſtantiales diſtinctas ab anima, quæ dicuntur corporeitatis; cõſequenter ſtatuimus, verba illa prioris definitionis, *potentia vitam habentis*, intelligenda eſſe, non de vita accidẽtali, vt intelliguntur verba poſterioris definitionis *principium, quo primò viuimus, ſentimus, &c.* ſed de vita ſubſtãtiali, reſpectu cuius in ſupradictis principijs Scoti corpus phyſicum, & organicum eſt in potentia proxima ſubiectiua, non ſecus, ac eſt in potentia proxima ſubiectiua, vt informetur anima. En quam facilè diuerſitatem inter priorem, & poſteriorem definitionem, quam ſtatuit Ariſtoteles, declaramus.

23 Dicimus enim, prædictas definitiones inter ſe differre; quia cum anima natura ſua duplicem habeat rationem cauſæ, ſeu principij (teſte Ariſtotele cap. 4. huius libri) formalis, ſcilicet, & efficiẽtis: prima definitio explicat naturam animæ per habitudinẽ cauſæ formalis reſpectu corporis phyſici, & organici, quam exercet actuando illud, & conferendo illi effectum formalem viuentis: hoc enim ſignificant illa verba prioris definitionis,

eſt actus primus corporis phyſici, &c. At verò ſecunda definitio explicat naturam eiuſdem animæ per habitudinem cauſæ efficientis, quam exercet reſpectu operationum vitalium ſaltem, *vt quo*: hoc enim ſignificant illa verba poſterioris definitionis, *eſt principium, quo primò viuimus, ſentimus, &c.* & ideò iſtæ duæ definitiones diuerſæ ſunt; quia etiamſi vtraque explicet naturam animæ; ſed non per eamdem, ſed per diuerſas animæ proprietates, non ſecus, ac differunt iſtæ duæ definitiones hominis, *eſt animal capax diſciplinæ; eſt animal aptum ad ridendum.*

24 Quartum, & vltimum dubium eſt, an prima definitio à priori; an verò à poſteriori demonſtrata fuerit ab Ariſtotele per ſecundam definitionem? Quod dubium, vt certum ſupponit, voluiſſe Ariſtotelem in 2. capite huius libri priorem definitionem animæ per poſteriorem demonſtrare: nam & id proponit ſtatim in principio capitis, & exequitur in fine illius, hanc efficiens demonſtrationem, *Id, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, eſt actus primus corporis phyſici, & organici; ſed anima eſt id, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus: ergo anima eſt actus primus corporis phyſici, & organici.* Maiorem ſic probat Ariſtoteles; tria ſunt in viuente, corpus, anima, & compoſitũ; ſed compoſitum nõ eſt id, quo viuimus, ſed id, quod viuit; neq; etiam corpus eſt id, quo viuimus; quia per corpus nõ diſtinguitur viuens à nõ viuẽte: ergo anima, ſeu actus corporis phyſici, & organici eſt, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus: & per conuerſionem ſimplicem; id, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, eſt actus primus corporis phyſici, & organici, quæ demonſtratio ſine dubio optima, & efficax eſt; neque de illa eſt controuerſia inter expoſitores. Dubitatur autem, an prædicta demonſtratio ſit propter quid, ſeu à priori; an quia ita ſit, ſeu à poſteriori?

25 Prima ſententia affirmat, demõſtrationẽ hanc eſſe propter quid, ſeu à priori: pro hac ſententia citat Suarez libro 1. de anima, capite 3. puncto 3. Græcos expoſitores, & Albertum magnum lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 25. & videtur eſſe Caietani hîc, quæſtione 4. & probabilem reputat Bañez 1. part. quæſt. 75. art. 1.

26 Et probari poteſt primò ex ipſomet Ariſtotele, qui capite 2. huius libri docet, in hac ſecunda definitione contineri cauſam primæ definitionis: ergo demonſtrans Ariſtoteles primam definitionem per hanc ſecundam, demonſtrauit illam per cauſam; & conſequen-

quenter propter quid, & à priori.

27 Nec ſatisfacit, ſi dicas, Ariſtotelem ibi non loqui de cauſa in eſſendo, ſed ſolùm de cauſa in cognoſcendo, ſeu operando; nam loquitur de cauſa, cur aliquid apparet nobis notius, quod potius competit effectibus, quàm cauſis in eſſendo. Nam etiamſi cauſæ in eſſendo ſint notiores, ſeu priùs notæ natura ſua, quàm effectus earum; tamen quoad nos notiores, ſeu priùs noti ſunt effectus, quàm ipſarum cauſæ.

28 Nam contra hoc eſt, quòd Ariſtoteles volens reddere rationem, ob quam animam iã definitam in 1. capite, iterum definiat in hoc ſecundo capite; hanc aſsignat, nimirum, quòd ratio definitiua non ſolùm eſſe, ſed etiam cauſam, tã eſſendi, quàm cognoſcendi, ſeu apparendi debet oſtendere: ergo loquitur de vtraque cauſa, tam eſſendi, quàm cognoſcendi, ſeu apparendi; verba Ariſtotelis ſunt, *Non enim ſolum, quod ſit, oportet definitiuam rationem oſtendere; ſed cauſam in eſſe, & apparere.* Vbi etiam ſi per particulam *apparere* intelligatur cauſa cognoſcendi; tamẽ per particulam *in eſſe* manifeſtè intelligit cauſam eſſendi, idque confirmauit exemplo quadrationis quadranguli, tradens duas eius definitiones, vnam explicantem, quid ſit, alteram explicantem cauſam eius.

29 Secundò probari poteſt hac ratione; demonſtratio ſupra facta ab Ariſtotele eſt per cauſam animæ; ergo eſt à priori, & propter quid. Antecedens probatur, quia datur per cauſam finalem animæ, quæ eſt prima omnium cauſarum. Et aſſumptum oſtenditur, quia vnumquodque eſt propter ſuã operationem, tamquam finẽ, teſte Ariſtotele *lib. 2. de cœlo cap. 3. textu* 17. Ergo anima eſt propter ſuas operationes; ſed dicta demonſtratio datur per medium includens ordinem ad operationes animæ; ergo datur per cauſam finalem animæ, ac ſubindè eſt demonſtratio à priori, & propter quid.

30 Secunda, & verior ſententia docet, hanc demonſtrationem non eſſe propter quid, ſeu à priori, ſed potiùs quia eſt, ſeu à poſteriori; ita D. Thomas hic lectione 3. Suarez loco ſupra citato, puncto 3. num. 16. Curſus Carmelitanus diſput. 3. quæſt. 3. §. 2. & quàm plures alij: imò videtur expreſſa Ariſtotelis: nam initio 2. capitis huius libri enitendum eſſe dicit, ita priorem definitionem per poſteriorem oſtendere; ſicut ſolet id, quod ſecundum ſe notius eſt, nobis autem obſcurius, per ea, quæ ſunt nobis notiora, elucidari. Nam in huiuſmodi proceſſu, in quo à notioribus nobis progredimur, ad probandum ea, quæ nobis obſ-

obſcura; in ſe autem notiora ſunt, ſemper progredimur à poſteriori per effectus, qui notiores nobis eſſe ſolent, latentes cauſas, quæ per ſe notiores ſunt, manifeſtando: ergo hunc modum probationis ibi Ariſtoteles promittit, & conſequenter eundem poſtea in fine capitis executus eſt.

31 Et ratio efficax eſt, quia, vt ex ſupra dictis num. 23. cõſtat, prima definitio explicat naturam animæ per habitudinem cauſæ formalis reſpectu corporis phyſici, & organici, quam exercet anima actuando illud, & conferendo illi effectum formalem vitæ ſubſtantialis. Secunda verò definitio explicat eandem naturam animæ per habitudinem cauſæ efficientis, quam exercet, *vt quo* reſpectu operationum vitaliũ, in quibus vita accidentalis cõſiſtit; inter quas habitudines hoc eſt diſcrimen, quòd etiãſi vtraque ſit intrinſeca animæ, nam vt dictum eſt, ſunt duæ propriæ paſsiones animæ, idem realiter cum illa, & conſequẽter inter ſe; nihilominus habitudo cauſæ efficientis, *vt quo*, per quam datur ſecunda definitio, eſt natura poſterior habitudine cauſæ formalis, per quã datur prima definitio; ergo demonſtratio primæ definitionis facta ab Ariſtotele per ſecundam definitionem, non erit facta per aliquod prius natura; ſed per aliquod poſterius, & conſequenter non à priori, ſed à poſteriori.

32 Porrò habitudinem cauſæ efficientis, *vt quo*, per quam datur ſecunda definitio, eſſe poſteriorem natura habitudine cauſæ formalis, per quam datur prima definitio, dubitari non poteſt. Tum quia ſicut priùs natura eſt eſſe, quàm operari; ita priùs natura erit forma, per quam aliquid conſtituitur in eſſe viuentis, quàm forma, per quam conſtituitur potens operari vitaliter. Tum etiam quia hæc cauſalis eſt vera, quia corpus informatur anima, eſt principium vitaliter operandi; non verò è cõtra, quia eſt principium vitaliter operandi, informatur anima: præcedit ergo natura habitudo cauſæ formalis, per quam datur prima definitio, habitudini cauſæ efficiẽtis, *vt quo*, per quam datur ſenunda definitio; & conſequẽter demonſtratio primæ definitionis, facta ab Ariſtotele per ſecundam, non erit à priori, ſed à poſteriori.

33 Ad auctoritatem Ariſtotelis in contrarium adductam num. 26. optimè reſponſum eſt num. 27. quòd cum Ariſtoteles aſſerit, ſecundam definitionem continere cauſam primæ definitionis, ſolùm loquitur de cauſa in operando, ſeu cognoſcendo, vt ex dictis numer. 30. ex mente Ariſtotelis manifeſtè conuincitur. Neque verba illa Ariſtotelis num. 28.

in

Digitized by Google

in contrarium adducta, *Non enim ſolùm, quod ſit, oportet definitiuam rationem oſtendere, ſed cauſam in eſſe, & apparere*, oppoſitum cõuincunt; nam prædicta verba, quæ in dicto capite 2. præmiſit Ariſtotel. generalia ſunt, & applicari, ſeu diſtribui debent demonſtrationibus diſtributione, vt dici ſolet, accommodata, vt eleganter docuit Diuus Thomas lectione 3. citata; nam in ſcientijs, in quibus obiecta abſtrahunt à materia ſenſibili, vt inter alias numerantur Mathematicæ, cũ prædicta obiecta ſint notiora ſua natura, demonſtrationes, quæ in ipſis fiunt, fieri debent per cauſas eſſendi, & à priori; & hoc eſt, quod Ariſtotel. probauit exemplo illo mathematico quadrationis quadranguli. In ſcientijs autem, in quibus eorum obiecta non abſtrahunt à materia ſenſibili, vt ſunt libri iſti de anima, & in vniuerſum omnes partes philoſophiæ naturalis, cum prædicta obiecta ſint notiora quoad nos; demonſtrationes, quæ in ipſis fiũt, fieri debent per ordinem ad effectus; quia iſti quoad nos notiores ſunt, quàm ipſorum cauſæ; & conſequenter nõ à priori, ſed à poſteriori: & hoc eſt, quod Ariſtoteles in initio 2. capitis promiſit, & in fine eiuſdem capitis exequutus eſt, tradens ſecundam definitionem animæ, vt per ipſam, tanquam per aliquid nobis magis notum, & conſequenter à poſteriori, primam definitionẽ, quæ nobis minùs nota erat, demonſtraret, vt numero 33. explicuimus.

34 Ad rationem num. 29. in contrarium adductam negamus aſſumptum, ſcilicet, hanc ſecũdam definitionem eſſe datam ab Ariſtotele per cauſam finalem animæ; cum potiùs ſit data per ordinem, ſeu habitudinem ad effectus vitales eius. Et cũ obijcitur; eo ipſo, quòd hæc definitio ſit data per ordinem ad effectus, ſeu operationes vitales eius, eſſe etiam datã per cauſam finalem eius; quia ex Ariſtotele vnumquodque eſt propter ſuam operationem, tanquam finem; reſpondemus, quòd etiamſi hoc ſit verum loquendo de potentijs animæ, tã ſenſitiuis, quàm intellectiuis; tamen loquẽdo de ipſa ſubſtãtia, ſeu eſſentia animæ, quæ eſt, quam notificare intendit Ariſtoteles ſupra dicta definitione, falſum eſſe, operationes vitales eſſe cauſam finalem animæ, cum potiùs ipſa anima ſit finis *cui* ſuarum operationum, teſte ipſomet Ariſtotele cap. 4. huius libri. Et quamuis anima ordinetur ad ſuã operationẽ; ſed non tanquam ad finẽ *qui*, ſed tanquam ad medium, quo acquiritur finis *qui*, ſcilicet, obiectum operationis, in cuius aſſequutione conſiſtit vltima perfectio accidentalis animæ. Et hinc colliges; cor-

po-

potentiæ animæ dicantur ſumere ſpecificationem ex actibus earum; ſecus verò anima ex ſuis operationibus; nimirū, quia reſpectu potētiarum animæ actus ſunt cauſa finalis; ſecus verò operationes animæ reſpectu ipſius animæ.

DISPVTATIO SECVNDA.

De pluralitate animarum, & de modo, quo informant corpus.

CIrca numerum animarum, & modum, quo informant corpus, de quibus diſputat Ariſtoteles tertio capite huius libri, ſex diſcutienda ſunt; primum, *de numero animarum, animatorum, & potentiarum.* Secundum, *an in eodem viuenti reperiantur plures animæ?* Tertium, *an anima rationalis ſit formaliter ſenſitiua, & vegetatiua?* Quartum, *vtrùm omnes animæ eiuſdem ſpeciei ſint æqualis perfectionis indiuidualis?* Quintum, *vtrùm omnes animæ ſint indiuiſibiles?* Sextum, *vtrùm anima informet omnes, & ſingulas partes corporis?*

QVÆSTIO PRIMA.

De numero animarum, animatorum, & potentiarum.

1 ARiſtoteles 3. capite huius libri tres diuiſiones tradidit, vnā animarum, animatorum alterā, potentiarum vitalium tertiam. Prima diuiſio talis eſt, anima in communi ſumpta, vna eſt vegetatiua, quę reperitur in plantis; altera ſenſitiua, quæ reperitur in animalibus, & alia rationalis, quæ reperitur in ſolis hominibus.

2 Secunda diuiſio; animatorum vnum genus eſt vegetantium, vt plantarum; aliud eſt ſenſitiuorum habentium ſenſum, & appetitum tantùm, vt eſt animalium imperfectorum lapidibus affixorum, vt ſunt oſtrea, & conchylia. Tertium eorum, quæ præter ſenſum, & appetitum habent virtutē, per quam vitaliter moueri poſſunt motu progreſſiuo, vt ſunt bruta animalia. Quartum eorū, quæ ſupra dicta, habent virtutem ratiocinandi, vt genus, ſeu ſpecies hominum.

3 Tertia diuiſio; potentia vitalis in communi ſumpta; alia eſt

eſt vegetatiua, alia ſenſitiua, alia appetitiua, alia loco motiua, & alia intellectiua. Quæ triplex diuiſio, vt Ariſtotelica, ac per conſequens, vt exacta ab omnibus interpretibus recipitur: & ideo in hac quæſtione, ſine controuerſia rationes ſufficientiæ harum diuiſionum ad ipſarum plenam intelligentiã adducendæ ſunt.

4 Primæ diuiſionis ratio ſufficiẽtiæ deſumitur ex eo, quòd anima, vt ex ſecunda definitione tradita ab Ariſtotele, conſtat, eſt principium, *quo* radicale vitalium operationum, & per hoc diſtinguitur ab alijs formis ſubſtantialibus inanimatorum, quæ etiamſi ſint principiũ *quo* radicale alicuius operationis, ſed non vitalis. Sed tribus tantùm modis communibus, ſeu vniuerſalibus poteſt anima eſſe principiũ, *quo* radicale vitalium operationum; ergo tria tantùm ſunt genera animarum; minor non meliùs probari poteſt, quàm aſsignando iſtos tres modos.

5 Primus, & omnium imperfectiſsimus eſt, cum ita eſt principium *quo* radicale vitalium operationum, vt nullam cognitionem præſupponat, & animæ, quæ ſic ſunt principium vitalium operationum, dicuntur vegetatiuæ, tales ſunt animæ plantarum. Secundus modus, & perfectior præcedẽti eſt, cum ita anima vitalium operationum eſt principium, vt cognitionem habeant, imperfectã tamen, & ſenſitiuam; vel ſaltem illam præſupponant (vt comprehendantur operationes appetitus ſenſitiui, ab eadẽ anima, tamquam à principio *quo* radicali prouenientes; atque etiam motus progreſsiui, qui media iſta cognitione, & appetitu ſenſitiuo fiunt) & animæ, quæ ſic ſunt principium *quo* radicale vitalium operationum, dicuntur ſenſitiuæ: tales ſunt omnes animæ animalium irrationalium, tam perfectorum, quàm imperfectorum; tam eorum, quæ habent motum progreſsiuum, quàm eorum, quæ tali motu carẽt. Tertius modus, & omnium perfectiſsimus eſt, cum ita anima eſt principium *quo* radicale operationum vitalium, vt cognitionem habeat perfectiſsimã; ac per conſequens non elicitam per organum corporeum, neque per potẽtiam in eo exiſtentem, ſed immediatè in ipſa anima, vel ſaltem illam præſupponat (quod dico propter actus voluntatis, ab eadem anima, tamquam à principio radicali prouenientes) & animæ, quæ hoc pacto ſunt principium *quo* radicale vitalium operationũ, dicũtur rationales, vt ſunt omnes, & ſolùm animæ hominũ. Conſtat autem præter hos generales modos eſſendi animam principium *quo* radicale operationum vitalium, nullum alium poſſe aſsignari; ergo diui-

uiſio animæ in communi in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, ab Ariſtotele tradita optima, & ſufficiens eſt.

6 Secũdæ diuiſionis ratio ſufficientię deſumitur ex eo, quòd Ariſtoteles appellat diuerſum genus, ſeu gradum animatorum illud, in quo aliquæ potentiæ animæ ſeparatæ ab alijs poſſunt exiſtere, vt omnes interpretes colligunt ex ipſomet Ariſtotele, qui cap. 3. huius libri ideo docuit appetitiuum non conſtituere diuerſum genus, ſeu gradum animatorum à ſenſitiuo; nimirum, quia appetitiuum nunquam reperitur ſine ſenſitiuo; neque è contra ſenſitiuum ſine appetitiuo. Ex hoc enim principio euidenter ſequitur, eſſe quatuor genera, ſeu gradus animatorum, nec plura, nec pauciora, non obſtante, quòd animarum tantùm ſint tria genera; ſiquidem dari poſſunt quatuor genera animatorum, ſeu viuentium, nec plura, nec pauciora, in quibus aliquæ potentiæ exiſtunt ab alijs ſeparatæ, vt patebit, illa enumerando.

7 Primum genus, ſeu gradus animatorum eſt eorum, in quibus ſolùm ſunt potentiæ vegetatiuæ, quæ ſunt nutritiuæ, augmentatiuæ, & generatiuæ: huius generis, ſeu gradus ſunt omnes plantæ. Secundum genus, ſeu gradus animatorum eſt eorum, in quibus reperiuntur potentiæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ ſine locomotiuis, & intellectiuis: huius generis ſunt animalia imperfecta, quæ carent motu progreſsiuo, videlicet, quæ ſemper lapidibus ſunt affixa, vt oſtrea, & conchylia. Tertium genus, ſeu gradus animatorum eſt eorum, in quibus reperiuntur potentiæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & locomotiuæ ſine potentia intellectiua: huius generis ſunt omnia animalia irrationalia, quæ habent motum progreſsiuum. Quartum, & vltimũ genus, ſeu gradus animatorum eſt eorum in quibus præter potentias, vegetatiuas, ſenſitiuas, & locomotiuas, reperitur etiam ſimul potentia intellectiua: huius generis ſunt omnes, & ſoli homines.

8 Tertiæ diuiſionis ratio ſufficiẽtiæ ſumitur ex eo, quòd genera potentiarum vitalium diſtinguuntur ex diuerſis modis operandi circa ſua obiecta; ſed quinque tantùm, nec plures, nec pauciores ſunt modi generales operandi potentiarum vitalium circa ſua obiecta: ergo quinque tantum, nec plura, nec pauciora erunt genera vitalium potentiarum; minor probatur aſsignando iſtos quinque modos operandi.

9 In primis cum omnes potentiæ vegetatiuæ operentur ſine præuia cognitione, efficiunt vnum modum operandi, & conſequenter vnum genus potentiarũ vitalium. Secũdo cum omnes potentiæ ſenſitiuæ operen-

tentur cognoſcendo imperfectè, & per organum corporeū, omnes affirmant habere eumdem modum operandi, & conſequenter reduci ad idem genus potentiarum, diſtinctum à præcedenti. Tertiò potentiæ appetitiuæ, etiamſi numquam reperiantur ſine ſenſitiuis, vel è cōtra ſenſitiuæ ſine appetitiuis, & ideò non conſtituant diuerſum genus animatorum à ſenſitiuis, conſtituunt tamen diuerſum genus potentiarum à ſenſitiuis, eo quòd modus operandi ipſarum eſt diuerſus; nam ſenſitiuæ, cū ſint cognoſcitiuæ, operantur attrahendo ad ſe ſolùm per ſpecies ipſarū obiecta; appetitiuæ verò operantur nō attrahendo ad ſe obiecta; ſed tendendo, & inclinando ad illa, & ſub hoc genere potentiarum continentur, non ſolùm appetitus ſenſitiui, ſed etiam rationales; nam etiamſi inter ſe differant ſpecie, eo quòd ſequantur diuerſas in ſpecie cognitiones; ſunt tamen eiuſdem generis, cum eumdem modum operandi habeant. Quartò potētiæ locomotiuæ conſtituunt quartum genus potentiarum, nō ſolùm diuerſum à genere potentiarum ſenſitiuarum, & appetitiuarum, cum diuerſum modū operandi habeant, vt per ſe manifeſtum eſt; ſed etiam à genere potentiarum vegetatiuarum; nam potentiæ locomotiuæ vitales, licet non ſint cognoſcitiuæ, ſequuntur tamen cognitionem, & appetitum; quæ non ſequuntur potentiæ vegetatiuæ. Quintò potentiæ intellectiuæ conſtituunt quintum, & vltimū genus potentiarū, ab omnibus ſupradictis diſtinctum; quia etiamſi in genere cognoſcitiuę potentiæ videantur conuenire cum potentijs ſenſitiuis, longè tamen diuerſum genus, & modū cognoſcendi habent, ac illæ, cū potentiæ intellectiuæ nō ſint organicæ, nec actus earum pendeat à corpore in ſui productione; ſed ſolùm quantum ad adminiſtrationem ſpecierū: at verò ſenſitiuæ organicæ ſunt, & actus earū à corpore in ſui productione dependent, & inſuper potentiæ ſenſitiuæ operantur per ſpecies materiales, & corporeas, per quas nō poſſunt attingere cognitionem rerū ſpiritualium; imò neque rerum corporalium in vniuerſali, ſed rerum tantum ſingularium; intellectiuæ verò omnia, & omnibus modis cognoſcunt.

QVÆSTIO II.

Vtrùm in eodem viuente ſint plures animæ?

1 IN hac quæſtione refutādi ſunt duo extremi errores, qui fuerunt inter aliquos Philoſophos circa vnitatem, vel pluralitatem animarum.

2 Primus error fuit eorum, qui non multiplicabant animas ad multiplicationē corporum, ſed vnam numero tantùm con-

Digitized by Google

conſtituebāt pro omnibus corporibus; licet inter ipſos aliqua fuerit differentia; nam aliqui, quos refert Albertus magnus *in ſumma de homine*, hanc vnicam numero animam ponebāt pro omnibus viuentibus, tam rationalibus, quàm irrationalibus. Alij verò ſolùm vnicam numero animam ponebant in animalibus rationalibus, ſcilicet, in hominibus. Et in hoc ſecundo ſenſu ſequutus eſt hunc errorem commentator Auerroes 3. libro de anima commēto 5. & in deſtructionibus deſtructionum contra Algazelē, & plures alij, qui cum ipſo ſuſtinuerunt intellectum, ſeu animam rationalem non informare corpus, ſed eſſe formam illi aſsiſtentem, ſicut nauta in naui; imò neque conſtituere hominem; & conſequenter illum non diſtinguere à brutis; ſed hominem dicebant conſtitui per quandam animam ſenſitiuam, quam cogitatiuā vocabant, quæ erat anima informans corpus, & alterius ordinis, quā animæ ſenſitiuæ aliorum animalium; de anima ergo intellectiua, ſeu rationali ſuſtinuit commentator, non eſſe diuerſam numero in diſtinctis hominibus, ſed eamdem numero in omnibus hominibus aſsiſtere.

3 Mirandulanus libro 31. *de euerſione cuiuſdam certaminis*, ſectione 1. & libro 32. ſectione 2. & 6. & Achilinus libro *de intelligentijs*, etſi affirment, de fide eſſe tenendum in ſingulis hominibus eſſe ſingulas, & diuerſas numero animas, non per aſſiſtentiam, ſed per informationem corporis reſidentes; nihilominus ſuſtinent ſecundum principia Ariſtotelis, & naturalis philoſophiæ eſſe ſuſtinendum id, quod docuit commentator, ſcilicet, animam rationalem non multiplicari ad multiplicationem hominum, ſed vnicam tantum eſſe, non per informationem corporū, ſed per aſſiſtentiam in omnibus hominibus; & probant ſequenti diſcurſu.

4 Ex Ariſtotele 8. libro Phyſicorum generationes rerum omnium ſunt ab æterno, & ſimiliter ex eodem Ariſtotele 3. libro Phyſicorum impoſſibile eſt dari infinitum in actu, & præterea ex eodem Ariſtotele in diuerſis locis horum librorum; & 12. Metaphyſices textu 19. anima rationalis non corrumpitur ad corruptionem hominis, ſed eſt immortalis, & incorrupta perſeuerans; ſed ex his Ariſtotelis principijs neceſſariò infertur, vnam eſſe animam rationalem pro omnibus hominibus, & non ſingulas pro ſingulis; ergo ſecundum principia Ariſtotelis, & naturalis philoſophiæ dicendum eſt cum eius commentatore, animam rationalem non multiplicari ad multiplicationem hominum; ſed vnicam

tan-

Digitized by Google

tantùm eſſe non per informationem corporum, ſed per aſſiſtentiam in omnibus hominibus.

5 Minorē huius diſcurſus ſic probāt; ſi generationes rerum, vt docet Ariſtoteles, eſſent ab æterno, abſque dubio præceſſiſſent infiniti homines, qui licet corrupti ſunt, & ideò non dentur infiniti in actu, darentur ſaltem in actu infinitæ animæ, ſi verum eſſet, in ſingulis hominibus eſſe ſingulas, & diuerſas numero animas rationales, cum ex Ariſtotele animæ rationales non corrumpantur ad corruptionem hominum; ſed ſint immortales, & incorruptæ perſeuerantes: ergo fatendum eſt, vel Ariſtotelem in ſuis aſſertis philoſophicis ſibimet fuiſſe contrarium, quod non eſt credibile, vel quod verius eſt, Ariſtotelem non admiſiſſe in ſingulis hominibus ſingulas, & diuerſas numero animas rationales; ſed vnam tantùm numero eſſe in omnibus hominibus, non per informationem corporum, ſed per aſſiſtentiam in ipſis, vt ſuſtinet eius commentator, & alij pro eius ſententia citati.

6 Sed ſupra dictus error, non ſolùm eſt contra fidem, ſed etiā eſt contrarius, tam Ariſtoteli, quàm veræ Philoſophiæ naturali. Eſt contra fidem, nam in Concilio Lateranēſi ſub Leone X. ſeſſione 8. tanquam de fide ſancitum eſt, eſſe ſingulas animas rationales pro ſingulis hominibus, non aſſiſtentes, ſed informantes corpora: & prætereа hoc colligitur ex pluribus locis Scripturæ, in quibus expreſsè diſtinctio, ſeu pluralitas animarum rationalium traditur, vel ſupponitur, & ſufficiat illud Lucæ 16. vbi dicitur, animam Lazari delatam eſſe in ſinum Abrahæ, diuitis verò ſepultam eſſe in inferno: *iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. Sapient. 3.*

7 Eſt contrarius Ariſtoteli; nam Ariſtoteles 1. de anima textu 53. & libro 2. textu 8. aſſerit, non quamlibet animam informare quodlibet corpus; ſed determinatam determinatum; & ideò reprehendit inſanam poſitionem Pitagoricam de tranſmigratione animarum ex vno corpore in aliud; & libro 12. Metaphyſices textu 20. negat, animas antecedere corpora; ſi autem vnam tantùm eſſet, anima certè corpora antecederet.

8 Et demum eſt contrarius veręphiloſophiæ naturali; quę vt ſupra diſputat. 1. huius libri quæſtione 1. à numero 50. vidimus, docet, animam rationalem non eſſe formam aſſiſtentem in corpore, ſed illud informantem. Et quod non ſit eadem numero in omnibus hominibus, ex eadem philoſophia nunc oſtendi poteſt; nam ex philoſophia habemus, nihil poſſe eſſe naturaliter in

duobus locis totalibus, & adæquatis diſcontinuis, non ſolùm circunſcriptiuè, ſed neque definitiuè, ſicut eſſet anima, ſi eadem numero, quæ eſt in Petro, eſſet in Ioanne. Et ſimiliter ex eadem philoſophia habemus, idem numero ſubiectum non poſſe ſimul affici duobus contrarijs indiuiſibiliter oppoſitis, vt ſunt actus ſcientiæ, & actus erroris circa idem omninò obiectum; ſed contingere poteſt, vt ſimul in eodem tempore anima vnius hominis habeat actum ſcientificum circa vnum obiectum, & quod anima alterius hominis circa idem omninò obiectum habeat actum erroris: ergo ſecundum veram philoſophiam naturalem non poteſt affirmari, eamdem eſſe numero animam iſtius, & alterius hominis.

9 Ad diſcurſum factum à Mirādulano ex tribus aſſertis Ariſtotelis ad conuincendum ex mente Ariſtotelis, animam rationalem non multiplicari ad multiplicationem hominum, reſpondemus, prædictum diſcurſum nihil conuincere in ſententia eorum, qui ſuſtinent, animas rationales ex mente Ariſtotelis non eſſe immortales. In ſententia vero eorum, qui ſuſtinent in ſententia Ariſtotelis, animas rationales eſſe immortales, difficilè ſanè eſſe, non quod nos aſſerimus, ſcilicet, ex mente Ariſtotelis animas rationales multiplicari ad multiplicationem hominum cum locis numero 7. citatis hoc expreſsè aſſerat; ſed quo pacto Ariſtoteles ab implicatione in dictis liberari poſſit, qui ex vna parte poſuit, generationes hominum fuiſſe ab æterno, & conſequenter infinitas præceſsiſſe; & ex alia negat, dari poſſe infinitum in actu; ad quam difficultatem 3. libro Phyſicorum, diſputat. 2. quæſtione 3. numero 19. reſpondimus, Ariſtotelem non ſe implicaſſe in dictis; quia quando aſſeruit, non dari infinitum in actu, ſolùm loquutus eſt de infinito in actu rerum permanentium corporalium; nō verò ſpiritualium, vt ſunt animæ rationales. Porrò Ariſtotelem ſolùm negaſſe infinitum in actu rerum corporalium permanētium; nō verò infinitum in actu rerum ſucceſsiuarum, & ſimiliter rerum permanentium ſpiritualium, indicat Diuus Thomas 2. contra gentes cap. 81. & manifeſtè colligitur ex his, quæ docet ipſemet Ariſtoteles 3. Phyſicorum textu 39. & 75.

10 Secundus error fuit Platonis in *Timæo*, & libro 9. *de republica*, qui animam vegetatiuam, & ſenſitiuam, & rationalem, non ſolùm diſtinctas realiter poſuit in homine, ſed etiam in diuerſis locis corporis hominis collocauit; nimirum, intellectiuam in cerebro, ſenſitiuam in corde, & vegetatiuā in

Digitized by Google

in epate; quem ſequutus eſt Galenus libro 8. *de vſu partium* capite 1. Et quoad diſtinctionem realem trium prædictarum animarum ſequuti ſunt eamdem ſententiam Philoponus 1. de anima textu 91. Zabarela libro de *facultate animæ* cap. 8. Gandabus 7. Phyſicorum, quæſtione 8. Iandunus libro 1. quæſtione 12. Paulus Venetus *ſumma de anima* cap. 5. qui ponit in homine duas animas totales, realiter diſtinctas, ſenſibilem corruptibilem, & rationalem immortalem, & vltra has multas vegetatiuas, ſpecie diſtinctas, & vnam in oſſe, & aliam in carne, &c.

11 Probant primò; quia ex Ariſtotele 2. *de generatione animalium* capite 3. dum generatur homo, embryo in vtero matris priùs viuit vita plantæ, deinde vita animalis, & tandem vita hominis; ergo priùs habet animam vegetatiuam, deinde ſenſitiuam, & tandem rationalem; ſed ſenſitiua non expellit vegetatiuam, neque rationalis ſenſitiuam, cum nullo modo oponantur; ſed potiùs ſubordinentur; ergo omnes tres animæ manent in homine realiter diſtinctæ, ſicuti ſunt realiter diſtinctę, cum producuntur.

12 Secūdò probāt, quia in nobis experimur, operationes generare diſtinctas, vt ſunt vegetare, ſentire, & intelligere, quæ procedunt à potentijs genere diſtinctis; ergo in nobis ſunt tres animæ, non ſolùm numero, ſed etiam genere diſtinctæ, à quibus, tanquam à principio *quo*, primo, ſeu radicali prouenniant.

13 Tertiò probant, quia anima rationalis non eſt generabilis, nec corruptibilis, neque educitur de potentia materiæ; ſenſitiua verò, & vegetatiua generabiles, & corruptibiles ſunt, & de potentia materiæ, ſcilicet, corporis, educuntur; ergo anima rationalis diuerſa eſt realiter in homine, tam à ſenſitiua, quàm vegetatiua; aliàs de eadem numero re verificarentur duo contradictoria, ſcilicet, non eſſe generabilem, nec corruptibilem, nec eductam de potentia materiæ, & eſſe generabilem, & corruptibilem, & eductam de potentia materiæ.

14 Sed vera ſententia affirmat, in homine vnicam tantùm eſſe animam tribuentem ei omnem gradum vitæ, ſcilicet, rationalem, ſenſitiuum, & vegetatiuum: ita Scotus in 4. diſtinct. 44. numero 7. & in 2. diſtinct. 1. quæſtione 6. & diſtinct. 11. artic. 2. quæſtione 1. Diuus Thomas 1. part. quæſt. 76. art. 4. & 2. libro contra gētes capite 58. eſtque communis, & recepta non ſolùm apud Scholaſticos, tam Theologos, quàm Philoſophos; ſed etiam apud ſanctos Patres, quos citat, & ſequitur Rubius hìc tra-

ſtatu *de modo, quo anima informat corpus*, quæſt. 5. num. 143. & eſt expreſſa Ariſtotelis in hoc 2. libro textu 31. vbi ait, vegetatiuum eſſe in ſenſitiuo, & hoc in intellectiuo; ſicut figura inferior in ſuperiori, verbi gratia, trigonus, in tetragano, & libro 1. textu 91. reprehendit Platonem ponẽtem plures animas in vno.

15 Probari poteſt hæc vera, & communis ſententia rationibus philoſophicis: prima; naturaliter repugnat dari in vno compoſito ſubſtantiali duas, vel tres formas ſubſtantiales totales, & adæquatas; ſed anima vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis ſunt formæ ſubſtantiales totales, & adæquatæ; ergo non poſſunt eſſe ſimul in vno compoſito ſubſtantiali, ſi ſunt realiter inter ſe diſtinctæ.

16 Neque obſtat, ſi obijcias, hanc rationem, vel nihil concludere, vel ſi concludit, etiam concludere (contra Scotum, & contra nos) in viuentibus, præter animam, non dari formam corporeitatis; ſiquidem forma corporeitatis ſecundum Scotum, & nos, eſt forma ſubſtantialis diſtincta realiter ab anima; nam forma corporeitatis, etſi ſit ſubſtantialis, & diſtincta realiter ab anima; ſed non eſt forma totalis, & adæquata, ſeu completa; ſicut ſunt anima vegetatiua, & ſenſitiua; quod inde colliges, quia forma corporeitatis natura ſua ſolùm deſeruit ad hoc, vt ex ipſa, & materia prima conſtituatur illud ſubiectum ſubſtantiale, quod debet anima actuare; & ideò ablata anima non multùm perſiſtit; ſed manet in ſtatu corruptionis: at anima, tam vegetatiua, quàm ſenſitiua natura ſua ſunt formæ ſubſtantiales perſiſtentes, cum dari poſſit in ſtatu debitæ diſpoſitionis anima vegetatiua ſine ſenſitiua, vt contingit in plantis, & anima ſenſitiua ſine rationali, vt contingit in animalibus brutis.

17 Secunda, quia ſi in homine alia eſſet anima, per quam eſt viuens ſenſibile, & alia, per quam eſt homo, ſeu rationalis, ſequeretur hanc prædicationem, homo eſt viuens ſenſibile, non eſſe formalem, nec quidditatiuam, ſed materialem, & accidentalem, & propter concomitantiam plurium animarum in eodem corpore; non ſecus, ac iſta prædicatio, in lacte album eſt dulce, non eſt formalis, neque quidditatiua; ſed materialis, & accidentalis propter concomitantiam duarum qualitatum albedinis, ſcilicet, & dulcedinis in eodem ſubiecto; & ſimiliter non ſecus, ac hæc prædicatio in Chriſto Domino, hic homo eſt Deus, non eſt formalis, neque quidditatiua, ſed materialis, & (vt dici ſolet) per communicationem idiomatũ, propter concomitantiam, & vnionem duarum.

Digitized by Google

rum naturarum, diuinæ, ſcilicet, & humanæ in eadem perſona, ſeu ſuppoſito.

18 Tertia, & à priori eſt, quia non ſunt multiplicandæ animæ in homine ſine vrgente neceſsitate; ſed ab eadem numero anima rationali poſſunt prouenire, tanquam à principio *quo*, primo, & radicali, non ſolùm operationes intellectiuæ; ſed etiam operationes ſenſitiuæ, & vegetatiuæ (vt patebit ſoluendo rationes in contrarium) ergo præter animam rationalem non ſunt ponendæ in homine anima ſenſitiua, & vegetatiua, ab illa realiter diſtinctæ.

19 Ad auctoritatem Ariſtotelis num. 11. adductam in contrarium, auctores, qui negant, in viuentibus dari ſimul cum anima formas ſubſtātiales corporeitatis ſubſtantiales diſtinctas ab anima; ſed tam eſſe corporeum, quàm eſſe organicum ſubſtantiale recipere viuentia formaliter ab anima, communiter reſpondent, embryonem, dum generatur homo, dici ab Ariſtotele, priùs tempore viuere vita plantæ, deinde vita animalis, & demum vita hominis; quia materia ſeminis, ex qua generatur homo, priùs tempore informatur anima vegetatiua, deindè ſenſitiua, & tandem anima rationali; non tamen indè ſequi manere in homine ſimul omnes iſtas tres animas; quia etiāſi non ſint oppoſitæ, ſed potiùs ſubordinatæ; nihilominus cum ſint formæ ſubſtantiales, & ſenſitiua virtualiter, & eminenter in ſe contineat vegetatiuam, & rationalis, tam ſenſitiuam, quàm vegetatiuam, ad introductionem ſenſitiuæ corrumpitur vegetatiua, & ad introductionem rationalis corrumpitur ſenſitiua. Ita Diuus Thomas 1. part. quæſt. 118. artic. 2. ad 2. & quæſt. 76. artic. 3. ad 3. & omnes eius diſcipuli, & eſt doctrina apud Medicos recepta.

20 Hæc ſolutio ſtādo in iſtorum principijs ſufficientiſsima eſt: neque obſtat, quòd aliqui objiciunt, ſequi ex ea, quòd in generatione hominis ſemen priùs ſit planta, & poſt brutum, & tādem homo; negatur enim ſequela, quia iſtæ animæ in generatione hominis nō ſunt natura ſua completæ, & permanentes, ſicut ſunt animæ plantarum, & brutorum; ſed potiùs incompletæ, & trāſeuntes, diſponenteſque ad perfectiorem animam, qualis eſt rationalis, & ſic non faciunt propriè plātam, neque brutum, ſed embryones vtriuſque.

21 In ſententia verò noſtra, & Scoti, quæ in viuentibus ponit præter animam formas ſubſtātiales corporeitatis, ſcilicet, formam carnis, formam oſsis, &c. realiter diſtinctas ab anima, à quibus materia ſeminis, non ſolùm in eſſe corporis, ſed

etiam in eſſe corporis ſubſtantialiter organici formaliter cōſtituitur, facillimè ad auctoritatem Ariſtotelis reſpondetur (cum noſtro Alexandro Alenſi 2. part. quæſt. 87. membro 2. artic. 6. Alberto magno *in ſumma de homine*. Philopono ſuper prædictum locum Ariſtotelis, & pluribus alijs) in generatione hominis nullam animam introduci in materia ſeminis ante animam rationalem; ſed in illo inſtanti, in quo prædicta materia, virtute ſeminis *diſpoſitiuè*, virtute generatiua matris effectiuè, & virtute formarum ſubſtantialium corporeitatis *formaliter* conſtituitur, non ſolùm in eſſe corporis, ſed etiā in eſſe organici requiſito ad introductionem animæ, infundi, ſeu vniri ad prædictum corpus, ſic vltimatè organizato, ſeu diſpoſito animam rationalem, quæ, cum in corpore illo organico priùs exerceat (vt principium *quo*, primum, & radicale) operationes vegetatiuas, deinde ſenſitiuas, & tādem rationales, in quibus conſiſtit ſecundū Ariſtotelem vita accidentalis (vt patet ex dictis diſp. 1. quęſt. 1. numero 32.) optimè dixiſſe Ariſtotelem loco citato, loquendo, vt loquitur, non de vita ſubſtantiali, quæ in effectu formali animæ conſiſtit; ſed de vita accidentali, in generatione hominis embryonem, id eſt, corpus phyſicum, & organicum priùs viuere vita plantæ, deinde vita animalis, & tandem vita hominis.

22 Ad ſecundum, quod ſi quid probaret, probaret etiam in homine non eſſe vnam potentiam intellectiuam; ſiquidem experimur, in homine non ſolùm eſſe intellectiones diuerſas, ſed etiam oppoſitas, vt ſunt aſſenſus, & diſſenſus circa eamdem concluſionē, ſaltem in diuerſis temporibus; & idem probaret de potentia voluntatis; reſpondetur, diuerſas in genere operationes, quando ſunt in diuerſis ſubiectis, arguere quidem diuerſas formas genere diſtinctas, à quibus, vt à principio *quo*, primo, & radicali procedant: at ſi ſunt in eodem numero ſubiecto, vt in præſenti contingit, ſolùm arguere formam altioris, & eminentioris naturæ, virtute plura continentem, diuerſiſque vtentem potentijs.

23 Ad tertium dicimus, animam vegetatiuam, & ſenſitiuam extra hominem, generabiles, & corruptibiles eſſe, & ſimiliter educi de potentia materiæ, ſeu corporis; non verò in homine, quia in homine ſunt idem realiter cum anima rationali, quæ ingenerabilis, & incorruptibilis eſt, & de potentia materiæ, ſeu corporis phyſici, & organici non educitur.

24 Sed inquires, an ſententia, quæ ponit plures animas in homine, ſed non plures rationales; ſed vnam rationalem, & aliam

Digitized by Google

aliam ſenſitiuam, aliamque vegetatiuam, ſit cenſura digna? Toletus hìc quæſt. 7. & Herbæus tractatu *de vnitate formarum*, quæſt. 28. dicunt, eſſe erroneam, & probant, quia in Clementina vnica de ſumma Trinitate, & in Concilio generali 8. quod eſt Conſtantinopolitanum 4. anathematizantur omnes aſſerentes duas animas in homine. Sed hæc cenſura facilè reijcitur; nam Clementina, & octaua Synodus loquuntur de pluralitate animarum rationalium, nempè dari vnam informantem, & aliam aſſiſtentem: vel aliter vnam bonam factam à bono Deo, & aliam malam factam à Deo malo, vt poſuerunt Manichæi.

25 Conimbricenſes libro 1. de generatione, cap. 4. quæſtione 21. artic. 2. affirmant, non eſſe tutam; quia Patres pluribus in locis docent, vnicam tantùm animam eſſe in homine; imò in ſcriptura ſatis aperte hoc inſinuatur, & pro nunc ſufficiat illud Matthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non poßunt occidere*; ſed hæc etiam cenſura non benè fundatur, quia patres loquuntur de vnitate animæ rationalis; nec de alijs animabus tractant: & per idem patet ad loca ſcripturæ. Nec facilè cenſurari debet ſententia, quæ etiamſi in vera philoſophia falſa ſit; imò his temporibus ab ſcholis relegata; nihilominus graues doctores ex antiquis illam defendunt, & præter citatos, ponunt plures animas, non rationales, ſed vnam rationalem, & ſenſitiuam, & vegetatiuam alias, Ochamus in 4. quæſtione 7. & quodlibeto 2. quæſtione 10. Mayronius in 2. diſtinct. 17. quæſt. vnica; Mirandulanus libro 33. *euerſionis ſingularis certaminis*, ſectione 2. Thomas Garbius libro 1. tractatu 5. quæſtione 49.

26 Sed obijciunt Conimbricenſes: ſi in Chriſto Domino præter animam rationalem, eſſet etiam anima ſenſitiua à rationali realiter diſtincta, vel in ſeparatione animæ rationalis à corpore, quæ facta eſt in morte Chriſti, maneret anima ſenſitiua in corpore, vel periret: ſi maneret, viueret vita ſenſitiua corpus Chriſti in ſepulchro, quod eſt contra fidem: ſi periret, reproduceretur in reſurrectione, quod affirmare nõ eſt tutum.

27 Sed licet hoc, & ſimilia argumenta optimè probent, valdè veriorem eſſe ſententiã communem, & receptam, ſcilicet, in homine animam ſenſitiuam, & vegetatiuam non eſſe animas realiter diſtinctas ab anima rationali; non tamen probant, oppoſitam ſentẽtiam eſſe cenſura dignam. Reſponderent vtique auctores oppoſitæ ſententiæ, quòd in ſeparatione

ratione animæ rationalis à corpore Chriſti, quæ facta eſt in morte Chriſti, periret ſine dubio anima ſenſitiua; quia ab eiſdem diſpoſitionibus penderet in ſuo eſſe, à quibus vnio animæ rationalis; & ideò ſicut cum hac ſimul incipit, etiam deſinit; atque adeò non ſequeretur, quòd corpus Chriſti viueret in ſepulchro vita ſenſitiua. Et quamuis in hac reſponſione optimè inferretur contra ipſos, quòd in reſurrectione Chriſti reproduceretur eius anima ſenſitiua; tamē non video, qua de cauſa hoc aſſertum non eſſet tutum in fide, aut aliqua cenſura dignum.

28 Idem, quod dictum eſt de homine, ſcilicet, in ipſo animā ſenſitiuam, & vegetatiuam nō eſſe realiter diſtinctas ab anima rationali, dicendum etiam eſt cū proportione debita de bruto, ſcilicet, in eo animam vegetatiuam non eſſe realiter diſtinctam à ſenſitiua, & propter eaſdem rationes, quibus primum oſtenſum eſt.

QVÆSTIO III.

An anima rationalis ſit formaliter vegetatiua, & ſenſitiua?

1 DIximus quæſtione præcedenti, in homine ſolùm eſſe vnicam animam, ſcilicet, rationalem, quæ ei tribuit omnem gradum vitæ, ſcilicet, rationalem, ſenſitiuum, & vegetatiuum; & ideò meritò nunc inquirimus, quo pacto habeat anima rationalis in ſe eſſe ſenſitiuum, & vegetatiuū, an, ſcilicet, actu, & formaliter, an verò ſolùm virtualiter, & in potentia? Nam aliquo ex his modis habere indubitatū eſt, cum nihil poſſit alteri tribuere id, quod in ſe non habet. Et quod inquirimus de anima rationali reſpectu ſenſitiui, & vegetatiui, etiam inquiri poteſt de anima ſenſitiua reſpectu vegetatiui.

2 Prima ſententia affirmat, animam rationalem non eſſe ſenſitiuā, & vegetatiuam actu, & formaliter, ſed virtualiter, & in potentia; non ſecus, ac ſol dicitur calidus, ſiue habere in ſe calorem: idem docet de anima ſenſitiua reſpectu gradus vegetatiui: ita Iabellus 2. libro de anima. Caietanus 1. parte quæſt. 75. art. 4. & 2. libro de anima cap. 3. quæſt. 1. Toletus quæſt. 3. & 7. Diuus Thomas 1. part. quæſt. 76. art. 4. imò videtur etiam eſſe ſententia Scoti, qui in 2. diſtinct. 15. quæſt. vnica explicās, quo pacto formæ elementorum maneant in forma miſti, dicit manere eodem pacto, ac anima ſenſitiua, & vegetatiua manent in anima rationali, ſcilicet, virtute, & potentia.

3 Probari poteſt hæc ſententia ex Ariſtotele, qui capite 3. huius libri affirmat, vegetatiuum includi, & eſſe in ſenſitiuo,

tuo; & vtrumque in rationali, ſicut figuræ priores, ſeu inferiores continentur in poſterioribus, ſeu ſuperioribus, v. g. ſicut triangulus includitur, & continetur in quadrangulo: ſed triãgulus, teſte ipſomet Ariſtotele libro citato, non continetur in quadrangulo actu, & formaliter, ſed ſolùm virtute, & potentia; ergo virtute, & potentia ſolùm, & non actu, & formaliter cõtinetur vegetatiuum in ſenſitiuo, & vtrumque in rationali ex mente Ariſtotelis.

4 Secundò probari poteſt hac ratione: vna ſpecies infima nõ poteſt includi in alia actu, & formaliter, vt patet in homine, & leone, quorum vnum non poteſt includere aliud actu, & formaliter; ſed anima in communi diuiditur in vegetatiuã, ſenſitiuam, & rationalem, tamquam in ſpecies infimas; ergo anima vegetatiua non poterit actu, & formaliter includi in ſenſitiua, neque vtraque in rationali.

5 Secunda ſententia docet, animam rationalem actu, & formaliter eſſe vegetatiuam, & ſenſitiuam; & ſimiliter ſenſitiuam actu, & formaliter eſſe vegetatiuam; ac per conſequens vegetatiuum in ſenſitiuo, & vtrumque in rationali non eſſe in virtute, & potentia, ſicut eſt calor in ſole; ſed potiùs actu, & formaliter, ſicut ſunt materia, & forma in compoſito ſubſtantiali, & animal in homine, & equo: ita communiter recentiores.

6 Ratio pro hac ſententia deſumitur ex diſcrimine, quod verſatur inter cauſam efficientem, & formalem; nam cauſa efficiens, cum ſit extrinſeca, & non producat effectum ſeſe illi communicãdo, ſed illum producendo, poteſt optimè effectũ cauſare, quem formaliter in ſe non habet; ſed ſolũ virtualiter, & in potentia effectiua, vt contingit in omnibus cauſis æquiuocis, vt eſt Sol reſpectu caloris, & Deus reſpectu omnium creaturarum: at verò cauſa formalis, cum ſit cauſa intrinſeca, & cauſet ſuum effectum formalem, ſe ſe ipſam communicando ſubiecto, non poteſt tribuere formalem effectum, cuius eſſe formaliter in ſe nõ habet, ſed ſolùm virtute, & potẽtia, vt videre eſt in ſole, cuius forma, cum actu, & formaliter non ſit calor, etiamſi illum habeat in virtute, & potentia actiua, non poteſt tribuere ſoli, quem formaliter conſtituit, quòd ſit actu, & formaliter calidus: ſed anima rationalis tribuit homini in genere cauſæ formalis, quòd ſit actu, & formaliter vegetatiuus, & ſenſitiuus; & ſimiliter anima ſenſitiua tribuit bruto, quòd ſit actu, & formaliter vegetatiuum: ergo ſignum euidens eſt, quòd anima rationalis actu, & formaliter eſt ſenſitiua, & vegetatiua; & anima ſenſitiua bruti actu, & for-

formaliter ſit vegetatiua, & nō ſolum in virtute,ſeu potentia.

7 Pro ſolutione huius quæſtionis nota, ſenſitiuum, & vegetatiuum dupliciter ſumi poſſe; primò, prout ſunt rationes communes, & genera, ſeu ſpecies ſubalternæ, abſtrahentes ab ſpeciebus infimis plantarū, & brutorum. Secundo prout ſunt contracta, & determinata per differentias ſpecificas ad eſſe ſpecificum infimum plantarum, vel brutorum.

8 Hoc prænotato, ad propoſitam quæſtionem ſub hac diſtinctione reſpōdendū eſt: ſi vegetatiuū, & ſenſitiuum ſumantur ſecundo modò, qua ratione ſumpſerunt illa Ariſt. & Scotus locis citatis, & fataſsis omnes alij auctores adducti pro prima ſententia; dicendum eſt cum auctoribus primæ ſententiæ, neque vegetatiuum in ſenſitiuo, ſcilicet, platam in bruto; neque vegetatiuum, & ſenſitiuum in rationali, ſcilicet, plantā, & brutum in homine actu, & formaliter contineri: ſed ſolùm virtualiter, ſeu eminenter; & hoc probat exemplum continentiæ trianguli in quadrangulo adductum ab Ariſtotele, & ſimiliter exemplum continentiæ formarum ſubſtantialium elementorum in forma ſubſtantiali miſti, quo vſus eſt Scotus, & ratio pro prima ſententia adducta hoc efficaciter cōuincit.

9 Si verò vegetatiuum, & ſenſitiuū ſumantur primo modo, qua ratione inō dicunt ſpecies infimas, ſed gradus communes metaphyſicos, in ſerie prædicamētali eſſentialiter ſubordinatos, dicendum eſt cum auctoribus ſecundæ ſententiæ vegetatiuum in ſenſitiuo, & vtrumque in rationali materialiter ſumptis, nō ſolùm actu, & formaliter, ſed etiam quidditatiuè includi; non ſecus, ac in bruto non ſolùm actu, & formaliter, ſed etiam quidditatiuè includitur ratio viuentis, & in homine ratio viuentis, & ſenſibilis; ac per conſequens animam ſenſitiuam actu, & formaliter eſſe vegetatiuam, & animam rationalem actu, & formaliter eſſe vegetatiuam, & ſenſitiuam; & hoc efficaciter conuincit ratio facta pro ſecunda ſententia: & ſolùm eſt aduertendum, quòd dum dicimus, animam brutorum eſſe actu, & formaliter ſenſitiuam, & animam rationalem eſſe actu, & formaliter vegetatiuam, & ſenſitiuam, non eſſe intelligendum *vt quod*, ſed vt *quo*; homo enim eſt, qui denominatur, *vt quod* vegetatiuus, & ſenſitiuus; anima verò ſolū ſuſcipit has denominationes, *vt quo*, cū ſit forma, qua homo eſt vegetatiuus, & ſenſitiuus. Ex quibus omnibus patet, duas ſententias adductas in diuerſis ſenſibus eſſe ſimul veras, neque eſſe contrarias, ſed ſubcontrarias; quia etiamſi vna affirmet, & altera ne-

Digitized by Google

neget; ſed non ſunt vniuerſales, ſed particulares.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm omnes animæ ſint eiuſdem perfectionis?

1. CErtum eſt apud omnes, animas diuerſæ ſpeciei, vt ſunt anima hominis & anima leonis non eſſe eiuſdem perfectionis eſſentialis; quia ex Ariſtotele ſpecies ſunt, ſicut numeri, id eſt, inæquales in perfectione eſſentiali. Similiter eſt certum, perfectionem ſpecificam, ſeu eſſentialem eſſe æqualem in omnibus animalibus eiuſdem ſpeciei, cum omnia prædicata quidditatiua, & eſſentialia, quæ conueniunt vni animæ, conueniant etiam alteri; aliàs ſi vnum prædicatum quidditatiuum conueniret vni, & non alteri, eo ipſo non eſſent eiuſdem ſpeciei. Solum igitur eſt difficultas de animabus eiuſdem ſpeciei, & de perfectione ſubſtantiali indiuiduali.

2. Prima ſentētia ſuſtinet, omnes animas eiuſdem ſpeciei, eſſe æqualis perfectionis indiuidualis: ita Durandus in 2. diſtinctione 32. quæſtione 3. Argentina ibidem quæſtione 1. artic. 2. Toletus 3. libro de anima quæſtione 18. vbi aſſerit, non ſolùm hanc ſententiam eſſe veram, ſed oppoſitam eſſe periculoſam in fide, & nullo modo tenēdam; & plures alij, quos refert Rubius tractatu de pluralitate animarum, quæſt. 3. num. 56.

3 Probari ſolet hæc ſententia, primò, ex Ariſtotele, qui 3. Metaphyſices, cap. 3. textu 11. dubitat, cur ſpecies, cum prædicetur in quid de multis, non dicatur genus? Cui dubitationi reſpondet, rationem eſſe, quia in genere eſt prius, & poſterius, id eſt, eorū, quæ ſub ipſo continētur, vnum eſt perfectius alio; at in ſpecie non eſt prius, & poſterius, id eſt, eorum, quæ continentur ſub ipſa, vnum non eſt perfectius alio.

4 Secundo, ex aliquibus inconuenientibus, quæ ex oppoſita ſententia ſequerentur: primum, quod vna anima rationalis non eſſet eiuſdem ſpeciei cum alia anima rationali; & conſequenter, quòd etiam duo homines non eſſent eiuſdem ſpeciei, quod eſt abſurdum. Sequelam probant, quia ſecūdum rectam philoſophiam, ſeu metaphyſicam illa eſt differētia ſpecifica, quæ gradum perfectionis ſubſtātialis addit. Secundum, quod iam ſubſtantiæ, verbi gratia, animæ ſuſciperent magis, & minus ſecundum intenſionem, quod eſt cōtra Ariſtotelem cap. de ſubſtātia. Tertium, quod vnus homo haberet perfectiorem intellectum, & ſimiliter perfectiorem voluntatem, quàm alius; & cōſequenter voluntatem, magis li-

liberum; nam perfectio voluntatis in libertate conſiſtit, quod videtur abſurdum, nam ex eo ſequeretur, alium hominem non eſſe perfectè liberum.

5 Secunda ſententia vera, & à nobis tenenda tenet oppoſitũ, ſcilicet, non omnes animas eiuſdem ſpeciei, eſſe æqualis perfectionis indiuidualis; ſed vnam animam (v.gr. rationalem) eſſe ſecundum ſuam ſubſtantiam, & entitatem indiuidualem perfectiorem alia anima rationali; & conſequenter habere etiam potentias indiuidualiter perfectiores: ſic ſtatutum eſt per facultatem Theologicam Pariſienſem his verbis, *Si quis dicit, omnes animas ab origine eſſe æquales, errat; quoniam alias anima Chriſti non eſſet perfectior, quàm anima Iudæ*: & hanc ſententiam ſequuntur cum Magiſtro ſententiarum in 2. diſtinctione 17. ferè omnes ſcholaſtici; Bonauentura, & Ricardus art. 4. quæſt. 1. Ægidius quæſt. 3. Diuus Thomas quæſt. 2. art. 3. & 1. part. quæſt. 85. artic. 7. Caietanus, & Bañez hoc loco; Ferrara 1. libro contra gentes cap. 13. Iabellus 8. Metaphyſ. quæſt. 6. eſtque recepta communiter à recentioribus.

6 Eſt præterea ſententia iſta noſtri Doctoris ſubtilis, & principijs eius valdè conſonans: nam 8. Metaph. quæſt. 3. inquirens, an formæ ſubſtantiales ſuſcipiunt magis, & minus? Ponit tres concluſiones: prima; in perfectione quidditatiua, & eſſentiali formæ ſubſtãtiales eiuſdem ſpeciei nõ ſuſcipiunt magis, & minus. Secũda; ſi formæ ſubſtantiales conſiderentur, vt indiuiduæ ſunt, inter formas ſubſtantiales eiuſdem ſpeciei datur magis, & minus ſecũdum perfectionem ſubſtãtialem indiuidualem. Tertia; eadem numero forma ſubſtantialis non intenditur, nec remittitur, ſed hoc eſt proprium qualitatum. Item pluribus in locis, præcipuè in illis, in quibus diſputat de lumine gloriæ, & de viſione, & fruitione beatifica, vt certũ præſupponit, inter intellectus hominum dari alios in perfectione indiuiduali alijs perfectiores; quod non ſupponeret, vt certum, niſi idem iudicaret de animabus.

7 Probatur hæc ſentẽtia, primò, quia non alia ratione colligimus à poſteriori, animas eſſe diuerſas in ſpecie, niſi ex diuerſitate operationum, quas in illis, qui conſtant animis experimur; ſed intra eamdem ſpeciem experimur, in diuerſis indiuiduis operationes indiuidualiter perfectiores, & imperfectiores; nam vnus homo perfectiùs intelligit, quàm alius, & inter homines, quidam dantur rudiores alijs: ergo cum iſtæ differentiæ non poſſint prouenire ſolum ex meliori diſpoſitione organorum; dicendũ eſt, principaliter euenire ex perfectiori, vel imperfectiori intellectu,

Digitized by Google

lectu, & conſequenter ex perfectiori, vel imperfectiori anima; cum perfectior, vel imperfectior intellectus ſignum euidens ſit perfectioris, vel imperfectioris animæ.

8 Secundò probatur ratione Scoti (quæ non ſolùm id probat de animabus; ſed in vniuerſum de quibuſcumque formis ſubſtantialibus) quando qualitas, quæ naturaliter conſequitur ad indiuidua vnius ſpeciei, eſt perfectior in ſubſtātia vnius indiuidui, quàm ſubſtantia alterius, ſignum euidens aſt, quòd illa indiuidua ſubſtantiæ ſecūdum ſuum eſſe ſubſtantiale ſunt indiuidualiter inæqualia; ac per conſequens vnum maioris perfectionis indiuidualis, quàm aliud: ſed plures qualitates naturaliter conſequentes indiuidua vnius ſpeciei reperiuntur cum maiori perfectione, & intenſione (ſeclusis omnibus impedimentis) in vno indiuiduo illius ſpeciei, quàm in alio; ergo ſignum euidens eſt, quòd ſubſtantia illius indiuidui eſt perfectior indiuidualiter, quàm ſubſtantia alterius. Minor huius diſcurſus inductione patet; nam vnum indiuiduum ignis calidius eſt alio, adhuc exiſtente eadem quātitate materiæ in vtroque, & vnum indiuiduum lactis dulcius eſt alio, &c. Maior oſtenditur ex duobus præſuppoſitis; primum, quòd qualitates, quæ naturaliter cōſequūtur indiuidua vnius ſpeciei, immediatè manant à formis ſubſtantialibus indiuiduorum, excluſo quocumque extrinſeco, vt patet in frigiditate aquæ. Secundum, quòd cauſæ naturales non impeditæ agunt ad vltimum de potentia. Ex his enim præſuppoſitis euidens eſt maior diſcurſus Scoti, cum manifeſtum ſit, præſtantiā effectus in cauſis immediatis non impeditis, & ad vltimū de potentia agentibus, ſolùm poſſe prouenire ex præſtantia, & maiori perfectione cauſæ.

9 Ad auctoritatem Ariſtotelis adductam pro prima ſententia reſpondetur, non eſſe ad rem; nam ibi loquitur Ariſtoteles non de perfectione indiuiduali; ſed de perfectione quidditatiua, & eſſentiali, de qua etiam nos fatemur, eſſe æqualem in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei.

10 Ad primum ex inconuenientibus negamus, ſequi ex noſtra ſententia vnam animā rationalem non eſſe eiuſdem ſpeciei cum alia anima rationali; & ad probationem dicimus, ſecundum veram metaphyſicam nomen *ſubſtantia*, dupliciter ſumi poſſe; primò pro quidditate cuiuſcumque rei, qua ratione ſumpſit *ſubſtantiā* Ariſtoteles cap. *de vniuocis, & æquiuocis* cum definiens vniuoca vniuocata dixit, eſſe illa, *quorum nomen eſt commune; ratio verò ſubſtantiæ, vt nomine communi ſignificatur, eadem*; in qua accep-

Digitized by Google

acceptione nomen *ſubſtantia* trãſcendit per omnia prædicamẽta. Secundò ſumi poteſt pro eo, quod habet eſſe per ſe; qua ratione ſubſtantia diſtinguitur ab accedenti, quod habet eſſe non per ſe, ſed in alio; in qua acceptione ſumpſit Ariſtoteles nomen *ſubſtantia*, cum ens reale finitum prima ſui diuiſione diuiſit in ſubſtantiam, & accidens. Si nomen ſubſtantia primo modo accipiatur, fatemur libenter, ſecundum rectam metaphyſicam illam eſſe differentiam ſpecificam, quę addit gradum perfectionis ſubſtantialis: at verò ſi nomen *ſubſtantia* ſumatur ſecundo modò, vt in præſenti ſumitur, bona venia, non eſt recta metaphyſica, illã eſſe differentiam ſpecificam, quæ addit gradum perfectionis ſubſtantialis, cum ſolùm eſſe poſſit differentia indiuidualis, vt in præſenti contingit.

11 Ad ſecundum reſpondemus ex doctrina Scoti ſupra allata, vnam ſubſtantiam indiuiduam in ordine ad aliam eiuſdem ſpeciei ſecundum intenſionem, & perfectionem indiuidualem in prima ſui productione ſuſcipere magis, & minùs, cum vna producatur indiuidualiter perfectior, vel imperfectior altera; tamen poſtquam ſemel producta eſt, non ſuſcipere magis, & minus ſecũdum intenſionem, & perfectionem indiuidualem: ſicut contingit in qualitatibus; quia hic modus ſuſcipiendi magis, & minus, (qui non fit mutatione inſtantanea, ſed ſucceſsiua) eſt propriùs quarto modo qualitatum, & quem negat Ariſtoteles conuenire ſubſtantiæ cap. *de ſubſtantia*.

12 Ad tertium dicimus, quòd ſicut nullum eſt inconueniens, quòd vnus homo habeat animam in indiuiduali perfectione perfectiorem alio, ſed ſolùm eſt inconueniens, quòd habeat illam perfectiorem perfectione eſſentiali, & quidditatiua; ita nullum reputamus inconueniens, quòd vnus homo perfectione indiuiduali habeat perfectiorem intellectum, & voluntatem, quàm alius; quia ex hoc ſolùm ſequitur, quòd habeat perfectiorem libertatẽ perfectione indiuiduali; non verò perfectione ſpecifica. Ex eo autẽ, quòd vnus homo habeat perfectiorem libertatem, quàm alius perfectione indiuiduali, ſolùm poteſt inferri, aliũ hominem intra ſpeciem perfectæ libertatis non eſſe ſummè perfectum; non verò id, quod inferebat argumentum, ſcilicet, aliquem hominem non eſſe perfectè liberum; quia negatio perfectionis libertatis abſolute prolata ſupponitur pro negatione perfectionis libertatis ſpecificæ.

(?)

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

Vtrùm omnes animæ ſint indiuiſibiles?

1 NON eſt ſermo de diuiſibilitate in partes eſſentiales phyſicas; quia certũ eſt, animas non conſtare materia, & forma, & conſequenter eſſe indiuiſibiles in partes eſſentiales phyſicas. Nec ſimiliter eſt ſermo de diuiſibilitate in partes eſſentiales metaphyſicas; quia etiam eſt certum, omnes animas cõſtare in ſua linea genere, & differentia, & conſequenter non eſſe indiuiſibiles in partes eſſentiales metaphyſicas. Sermo igitur eſt de diuiſibilitate in partes integrales. Et quia animæ ſunt in triplici differentia, vt ex dictis quæſt. 1. huius diſputationis conſtat; nam quædam ſunt ſolùm vegetatiuæ, vt plantarum; quædam vegetatiuæ, & ſenſitiuæ ſimul; & ex his quædam ſunt perfectæ, vt animæ animalium perfectorum, vt ſunt equi, leones, canes, &c. & quædam imperfectæ, vt animæ (teſte Ariſtotele libro de iuuentute, & ſenectute) apum, formicarum, & reptilium ferè omnium, & demum quædam ſimul vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationales, vt animæ omnium hominum; quæſtio propoſita procedit de omnibus his generibus animarum.

2 Et vt à notioribus incipiamus, certum eſſe debet apud Catholicos, animas rationales eſſe indiuiſibiles in partes integrales. ita ſentiunt omnes interpretes Ariſtotelis, tam veteres, quàm recentiores capite 3. huius libri: ita omnes Theologi in 1. diſtinctione 8 & in 2. diſtinctione 6. & Diuus Thomas 2. contra gentes cap. 82. & 1. part. quæſtione 76. artic. 8. ita Sancti Patres, quorum plures refert Rubius tractatu *de modo, quo anima informat corpus* quæſt. 1. Quod ſi plures ex Stoicis, quos refert Diuus Gregorius Nyſſenus lib. 2. de anima, oppoſitum affirmarũt, hoc fuit, quia impiè, & ſtultè exiſtimabant, animas rationales mortales, & perituras eſſe, ſicut alias omnes formas ſubſtantiales.

3 Probatur hęc catholica doctrina ex tribus principijs fidei: primum eſt, animam rationalem eſſe ſpiritualem, quod non poſſet eſſe verum, ſi eſſet diuiſibilis in partes integrales; quia omnia diuiſibilia in partes integrales materialia ſunt, & apta nata affici quantitate molis.

4 Secundum eſt, animam rationalem non educi de potẽtia materiæ; ſed eſſe creatã à Deo, quod non poſſet eſſe verum, ſi anima rationalis eſſet diuiſibilis in partes integrales; nam quod eſt diuiſibile in partes integrales, commẽſuratur ſubie-

ćto, in quo eſt, & pendet ab illo in ſuo eſſe, & conſeruari; & cōſequenter, dum fit, non creabitur, ſed de potentia illius educetur.

5 Tertium eſt, animam rationalem eſſe immortalem, quod verum eſſe non poſſet, ſi eſſet diuiſibilis in partes integrales; quod ſic oſtendo, ſi anima rationalis eſſet diuiſibilis in partes integrales, per abſciſsionem brachij hominis abſcinderetur etiam pars illius animæ; ſed pars abſciſſa animæ corrumperetur: ergo anima rationalis, ſi eſt diuiſibilis in partes integrātes, non eſt immortalis. Minorem probo, quia pars illa animæ non permaneret ſeparata à materia; quia formæ diuiſibiles, & quæ commenſurantur corpori, non poſſunt naturaliter conſeruari ſeparatæ à materia; neque etiam permaneret in illa parte materiæ abſciſſæ; quia anima ad informandam materiam naturaliter petit, vt neceſſariam diſpoſitionē magnum apparatum organorum, qui non eſt in illa parte materiæ abſciſſæ: nec demum tranſiret ad informandas alias partes materiæ, ſeu corporis; nam cū aliæ partes materiæ, ſeu corporis ſint actu informatæ per alias formas partiales, ſi pars formæ abſciſſæ tranſiret ad illas informandas, illæ partes materiæ, ſeu corporis informarentur ſimul duabus formis, quod naturaliter eſt impoſsibile; ergo corrumperetur, quod eſt intentum.

6 Sed contra hanc veram, & catholicam doctrinam aliqua obiici ſolent; primum, ſequi ex ea, animam rationalem eſſe totam in toto corpore hominis, & totam in qualibet eius parte, quod capi non poteſt, quo modo fieri poſsit.

7 Secundum, ſequi etiam ex ea, quòd pes, vel manus hominis poſſet denominari intelligens; non ſecus, ac denominatur totus homo; ſiquidē anima, in qua immediatè reſidet intellectus, ita tota eſt in pede, & manu, ſicuti & in toto homine: imò ſequeretur, quòd ſolus pes, vel ſola manus poſſet denominari homo, & idem eſt iudicium de reliquis partibus.

8 Tertium, quia videmus partem hominis abſciſſam aliquo tempore ſe mouere: ergo viuit, & habet animam, poſtquam abſciſſa eſt; & conſequēter anima rationalis hominis diuiſibilis erit: imò de capite Diui Pauli, & Sancti Dionyſij refertur, longo tempore, & ſpatio hoc feciſſe.

9 Quartum denique, quia forma informās debet proportionari ſubiecto, quod informat; ſed corpus, quod eſt ſubiectum informationis animæ rationalis extenſum, & diuiſibile eſt in partes integrales: ergo etiam erit extenſa, & diuiſibilis in partes integrales ipſa anima rationalis.

10 Ad primam ex his obiectionibus reſpondetur concedendo ſequelam; ſed negamus capi non poſſe, quo pacto anima rationalis ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte; nam de Deo hoc etiã concedimus, ſcilicet, quòd ſit totus in toto mundo, & totus in qualibet parte eius. Et ſimiliter de Angelo fatemur, quòd ſit totus in toto ſpatio diuiſibili, in quo operatur, & totus in qualibet eius parte: cur ergo idem non poterimus excogitare de anima rationali reſpectu corporis, quod informat, cum etiam ſpiritualis, & indiuiſibilis ſit?

11 Ad ſecundam negamus ſequelam, & ad probationem dicimus, quòd etiam ſi tota anima ſit in pede, & in manu; ſed non, vt in ſubiecto adæquato, & totali illius; ſed vt in ſubiecto inadæquato, & partiali; & denominationes intelligentis non tribuuntur compoſito ex anima, & corpore partiali, ſed compoſito ex anima, & corpore totali; & idem eſt iudicium de denominatione hominis.

12 Ad tertiam dicimus, motũ illum partis hominis abſciſſæ non prouenire ab anima, quæ ibi ſit; ſed ab ſpiritibus vitalibus aliquantulũ ibi permanentibus, quòd ſatis clarè demonſtrat breuitas illius motus, vndè, quãdo diu durat ille motus, vt cõtingit in exemplis capitis Diui Pauli, & ſancti Dionyſij in contrarium adductis, tribuendum eſt virtuti diuinæ, quæ miraculosè, & per potentiam abſolutam, poteſt facere, quòd eadem forma, ſeu anima rationalis informet duas partes corporis diſcontinuas.

13 Ad quartam, & vltimã reſpondemus, formam informãtẽ debere proportionari ſubiecto, quod informat in hoc, quòd nata ſit actuare potentialitatem illius, quod habet anima rationalis reſpectu corporis phyſici, & organici, cum ſit natura ſua anima, & conſequẽter actus corporis phyſici, & organici; non verò eſt neceſſarium, quod proportionetur illi in extenſione, & diuiſibilitate; niſi quando forma eſt etiam extenſa, & diuiſibilis, ſicut eſt ſubiectum; & conſequenter dependens ab illo in fieri, & conſeruari, vt contingit in formis, vel animabus materialibus.

14 Similiter certum eſſe debet, animas vegetatiuas plãtarum, & ſimiliter animas ſenſitiuas imperfectorum animalium habere partes integrales entitatiuas, & conſequenter eſſe diuiſibiles ad diuiſionem corporum, quæ informant, eo ferè modo, ac formæ accidentales diuidũtur ad diuiſionem ſubiecti: ita expreſsè docuit Ariſtoteles libro de longitudine, & breuitate vitæ, capit. vltimo, & communiter eius interpretes, & Scholaſtici Theologi in 1. di-

ſtinct. 8. Scotus noſter in 4. diſtinct. 44. quæſtione 1. artic. 1. Diuus Thomas 1. part. quæſtione 76. art. 8. & recentiores omnes.

15 Et præter rationes à priori, quas infra adducemus ad idem probandum de animabus ſenſitiuis animalium perfectorum, quæ etiam applicari poſſunt ad propoſitum, oſtendi poteſt veritas huius communis ſententiæ manifeſtis experientijs; experimur enim, virgam ab arbore abſciſſam, ſi plantetur, germinare, quod fieri non poſſet, ſi virga illa partem animæ vegetatiuæ, quam antea habebat, non retineret; non poſſet autem illam retinere, niſi anima vegetatiua arboris, à qua abſciſſa eſt virga, diuiſibilis eſſet, & conſequenter diuiſa, & abſciſſa pars animæ ſimul cum virga.

16 Similiter experimur, aliqua animalia ex imperfectis, ſi in duas partes diuidantur, ſecundum vtramque partem viuere vita ſenſitiua; nam mouentur motu progreſsiuo, & ſentiunt, ſi pungantur: & Diuus Auguſtinus (cuius etiam eſt hæc ſententia) libro de quātitate animæ capite 31. narrat, ſe vidiſſe longum vermiculum diuiſum in duas partes, cuius vtraque pars tanta agitabatur velocitate, ac ſi eſſent duo integra animalia. Neque ad has experiētias reſponderi poteſt, illas partes diuiſas moueri ab ſpiritibus vitalibus in ipſis remanentibus, vt in ſimili de parte hominis abſciſſa ſupra reſpondebamus; nam motus cauſatus ab ſpiritibus vitalibus derelictis in partibus abſciſsis paruiſſimo tempore durat; at verò hæc reptilia abſciſſa per longum tempus mouentur, imò ſentiunt, ſi pungantur.

17 Sed obijciet aliquis; licet reptilia ſecta in duas partes poſſint moueri à ſe, ſecūdum vtrāque partem, & conſequenter viuere; non verò ſi ſecta ſint in plures, & minutas partes: ergo, etiamſi animæ horum animaliū ſint diuiſibiles in duas partes, non verò in pluribus, ſicut nos aſſerimus.

18 Reſpondetur, ex eo, quòd diuiſo animali in plures, & minutas partes, illæ partes non moueantur à ſe, & conſequenter non viuant, non rectè inferri animam illius animalis non eſſe diuiſibilem in plures, & minutas partes; nam aliud eſt, animam eſſe diuiſibilem in plures, & minutas partes; aliud verò eſſe diuiſibilem in plures, & minutas partes conſiſtentes: primum competit prædictis animabus, & hoc eſt noſtra aſſertio: ſecundum non poteſt competere, eo quòd viuentia, & ipſorum animæ requirunt ad ſuam conſeruationem, quantitatem materiæ determinatam, vt fuſè docuimus 1. libro Phyſicorum diſputat. 5. quæſt. 4. Quare non

li-

licet inferre ex eo, quòd aliqua anima ſit diuiſibilis in plures, & minutas partes, quòd poſſit, ſi in illas diuidatur, in ipſis cōſeruari: neque è contra, ex eo, quòd diuiſo animali in plures, & minutas partes non conſeruetur anima in illis partibus, licet inferre animam illam non eſſe diuiſibilem in plures, & minutas partes; nam eſt fallacia *accidentis*, velle colligere ex eo, quòd alicui conuenit ſecūdum vnam rationem, conuenire etiam aliud; quod etiamſi ei conueniat, ſed non ſecūdum eamdem, ſed ſecundum diuerſam rationem.

19 Loquendo de animabus ſenſibilibus animalium perfectorum, vt ſunt equorum, leonum, &c. non eſt certum; ſed in opinione poſitum, an prædictæ animæ ſint diuiſibiles, vt dictū eſt de animabus plantarum, & animalium imperfectorum? an indiuiſibiles, ſicut dictum eſt de animabus rationalibus, ita vt anima equi, v.g. ſit tota in toto equo, & tota in qualibet illius parte.

20 Prima opinio affirmat, has animas indiuiſibiles eſſe; ita Albertus magnus libro 1. de anima, cap. vltimo, Diuus Bonauentura in primum ſententiarum diſtinct. 3. in 2. parte diſtinctionis quæſt. 3. Herbæus quæſt. 4. Alexander Alenſis 7. Metaph. ad textum 56. Diuus Thomas 1. contra gentes capite 72. & 1. part. quæſtione 76. artic. 8. & eiſdem locis Ferrara, & Caietanus, & aliqui ex recentioribus.

21 Probari ſolet hæc opinio primò ex Ariſtotele, qui libro *de iuuentute, & ſenectute* cap. 1. poſtquam docuit, imperfecta animalia poſt diuiſionem viuere; ſubdit, perfecta animalia hoc non habere, & ideò eorum naturas maximè vnum eſſe. Secundò, quia experientia conſtat, partes animalium perfectorum ſeparatas à toto non viuere; ergo ſignum euidens eſt, quòd animæ ipſorum indiuiſibiles ſunt; probo conſequentiam, quia ſi eſſent diuiſibiles, viuerent prædictæ partes; non ſecus, ac viuunt partes animalium imperfectorum. Tertiò, quia ſi propter aliquam rationem animæ perfectorū animalium eſſent diuiſibiles, maximè quia in ſuo eſſe, & conſeruari pendent à ſubiecto diuiſibili, & ex eius potentia educuntur; ſed fides, gratia, cæterique habitus ſupernaturales educuntur de potentia ſubiecti, & ab illo in ſuo eſſe, & conſeruari dependent, & nihilominus ſunt entia indiuiſibilia; ergo prædicta ratio nihil obſtat ad hoc, vt animæ perfectorum animalium indiuiſibiles ſint.

22 Sed licet hæc opinio propter auctoritatem ſequentium probabilitate non careat; nihilominus affirmandum eſt, animas perfectorum animaliū eſſe diuiſibiles in partes integrales,

& conſequenter non eſſe totam animam in toto animali, & totam in qualibet illius parte; ſed totam in toto animali, & partem in parte: ita Alenſis, etſi non expreſsè, 2. part. quæſtione 62. membro 1. Ricardus in 2. diſtinct. 15. quæſt. 2. Durandus in 1. diſtinct. 8. in 2. parte diſtinctionis, quæſt. 3. Ægidius ibidem quæſt. vltima, Argentina quæſtione 2. Suarez in Metaph. diſputat. 15. ſectione 10. num. 32. etſi oppoſitum habeat 1. de anima cap. 13. Capreolus in 2. diſtinct. 15. quæſtione 1. ad vltimam contra vltimam concluſionem; Marſilius in 2. quæſtione 11. artic. 1. Iandunus 2. de anima quæſt. 6. eſt etiam Scoti noſtri, etſi ex profeſſo eam non tractet; nam in 4. diſtinct. 1. quæſtione 5. numero 8. affirmat, ſolam animam rationalem eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte; & diſtinct. 43. quæſt. 2. n. 7. & ſequentibus ait, ſolam animam rationalem eſſe immaterialem; & diſt. 44. quæſt. 1. n. 11. dicit, quòd ſola intellectiua informat nouas partes materiæ ſine eo, quòd ipſa accipiat partes nouas; & eā ſequuntur plures recētiores, inter quos Rubius tractatu *de modo, quo anima informat corpus*, quæſt. 3.

23 Fundamentum noſtrū eſt, quia negari non poteſt, animas perfectorum animalium educi de potētia materiæ, ſeu corporis, & ab illo pendere in genere cauſæ materialis in eſſe, fieri, & conſeruari, ſicut educuntur, & pendēt animæ imperfectorum animalium, & plātarum; ergo fateri neceſſe eſt, prædictas animas commenſurari corpori, de cuius potentia educuntur, & à quo dependent, ita vt tota anima ſit in toto corpore, & partes eius in partibus illius, quod fieri nō poſſet, ſi prædictæ animæ eſſent diuiſibiles in partes integrales: conſequētia patet, nam ſi prædicto modo non commenſurarētur corpori; ſed potiùs tota anima eſſet in toto corpore, & tota in qualibet illius parte, ſequeretur, quòd eadem numero anima ſecūdum ſe totam pēderet à toto corpore, & ex eius potentia educeretur; & ſimiliter, quod ſecundū ſe totā pēderet à qualibet illius parte, & de potentia cuiuslibet partis educeretur, quod ſaltem naturaliter in omnium ſententia eſt impoſſibile; non ſecus, ac eſt impoſsibile, quòd idē numero effectus ſimul, & actu depēdeat à pluribus cauſis materialibus totalibus, & adæquatis.

24 Confirmatur ampliùs; cū equus, v. g. nutritur, neceſſe eſt, vt materia alimenti, quod cōuertitur in ſubſtātiam equi, informetur anima equi, & in opinione contraria, quæ ſuſtinet, animam equi eſſe indiuiſibilē, & totam in toto equo, & totam in qualibet parte illius, neceſſariò fatendum eſt, hanc animam, qua de nouo informatur ma-

materia alimenti,quod cōuerſum eſt in ſubſtantiam equi,eſſe totam illam animam, quæ præexiſtebat ante nutritionem in ipſo equo,quod quàm impoſsibile ſit,ſic oſtendo: vel tota iſta indiuiſibilis anima,quæ ante nutritionē præexiſtebat in equo, educitur de potentia illius partis materiæ, ſeu corporis, quæ per nutritionē accreſcit in equo; vel non, ſed iam educta extenditur ad informādū illam: hoc vltimum nō poteſt affirmari, nam ſequeretur, animā equi informare partem materiæ,ſeu corporis,ex cuius potētia non eſt educta, & à qua in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari non dependet,quod in omniū ſententia ſolùm cōpetit animæ rationali, & omnibus alijs animabus repugnat Neque etiam poteſt affirmari primum; nam ſequeretur, quòd idem numero bis educeretur de potentia materiæ ad actum, ſeu quod idē eſt, quòd idem ſemel productū in rerum natura,iterum de nouo produceretur, quod naturaliter fieri non poteſt. Ne ergo in has anguſtias incidamus, fatendum nobis erit,animas perfectorum animaliū diuiſibiles eſſe in partes integrales,ac per conſequens in nutritione equi partem illam materiæ,ſeu corporis,quæ per nutritionē accreſcit in equo,nō informari ab anima præexiſtēti, ſed à parte quadam animæ de nouo educta per virtutem animæ præexiſtentis, ex potentia illius partis materiæ,ſeu corporis, quæ per nutritionē accreſcit in equo,quæ cōtineatur cū anima equi præexiſtente,& ſic vna anima equi maior extenſiuè; non ſecus, ac continuatur materia alimenti cum materia præexiſtenti equi, & reſultat vna materia maior extenſiuè.

25 Ad auctoritatem Ariſtotelis in contrarium adductā reſpondemus, quòd cū dixit, animas animaliū perfectorū, maximè eſſe vnas, loquutum fuiſſe (vt verba contextus indicāt) non abſolutè, ſed faciendo cōparationē inter illas & animas imperfectorum animalium; ac per conſequens per vnitatem non intellexiſſe indiuiſibilitatē in partes abſolutè, ſed indiuiſibilitatem in partes conſiſtētes; ſumendo enim vnitatem pro indiuiſibilitate in partes conſiſtentes, optimè docet Ariſtoteles, animas perfectorum animalium eſſe magis vnas, ſeu indiuiſibiles, quàm animas animalium imperfectorum, ſiquidem, vt ipſe teſtatur, animalia imperfecta poſt factam diuiſionem viuunt, & conſequenter animæ eorum ſunt diuiſibiles in partes conſiſtētes, quod non competit animalibus perfectis.

26 Ad experientiam, cōceſſo antecedenti, negamus conſequētiam; & ad probationem dicimus, quòd ſi partes animalium imperfectorum ſeparatæ vi-

viuunt, & non partes animalium perfectorum, hoc nō prouenire, ex eo, quòd animæ imperfectorum animalium ſint diuiſibiles, ſecus verò animæ animalium perfectorum; ſed ex eo, quòd animæ perfectorū animalium requirunt, tam ad ſui, quàm ipſarum partium cōſiſtētiam, ſeu conſeruationem magnum apparatum organorum; non verò animæ animalium imperfectorum.

27 Ad tertiam rationem dicimus, in ſententia noſtra, & Scoti falſum ſupponere, ſcilicet, habitus ſupernaturales, vt ſunt fides, gratia, &c. educi de potentia materiæ: probauimus enim libro 1. Phyſicorum, diſput. 4. quæſt. 4. ſectione 2. prædictos habitus non educi de potentia ſubiecti; ſed potiùs à Deo creari: in ſententia verò aliorum, quæ ſuſtinet, prædictos habitus nō creari, ſed educi de potentia materiæ, nihil concludere, quia ratio, ob quā negamus, animas animalium perfectorum non eſſe indiuiſibiles, ſed potiùs eſſe diuiſibiles in partes integrantes; non eſt præcisè, quia prædictæ animæ educuntur de potentia ſubiecti, & conſequenter ab eo pendent in eſſe, fieri, & conſeruari; ſed etiam, quia ſubiectum, ex cuius potentia educuntur, eſt diuiſibile in partes integrales, quod non competit ſubiecto ſupra dictorum habituum, cum ſit anima rationalis, vel Angelus, ſeu ipſorum potentiæ, quæ non diuiſibilia, ſed potiùs indiuiſibilia ſunt.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm anima informet omnes, & ſingulas partes corporis?

1. TRIPARTITA erit præſens quæſtio, eo quòd partes integrantes corporis, de quibus dubitari poteſt, an informentur anima, ſunt in triplici differētia: quædam enim ſunt pertinentes ad primariam conſtitutionem eius, quas ideò partes primarias integrantes corporis appellare poſſumus, tales ſunt partes ſolidæ, v. grat. carnes, oſſa, nervi, cartilagines, &c. Aliæ verò ſunt, quæ etiamſi nō pertineant ad primariam conſtitutionem corporis; ſunt tamen adeò neceſſariæ ad conſiſtentiam viuentis, vt ſine illis naturaliter conſiſtere non poſſit, neque per paruiſsimum tempus, quas ideò partes ſecundarias integrantes corporis appellare poſſumus; huiuſmodi ſunt partes fluidæ, ſic dictæ; quia per corpus mouentur, & fluunt, v. grat. ſanguis, flegma, atra bilis, &c. Tertiò denique ſunt partes illæ, quæ non pertinent ad conſiſtentiam viuentis, ſed ſolùm ad eius ornatum, vt ſunt capilli, & vngues; de his tribus generibus partium ſigillatim agendum eſt.

SE-

Digitized by Google

SECTIO I.

De partibus ſolidis.

2 DE partibus ſolidis prima ſententia affirmat, non omnes informari anima; ita Philoſophi illi antiqui, qui affirmabant, animam rationalem non eſſe in toto corpore, ſed in quadam illius parte principali, ſcilicet, vel in capite, vt ſuſtinuerunt (teſte Tertulliano in libro de anima) Xenocrates, Hippocrates, Strato, & Araſiſtratus: vel in corde, vt ſuſtinuerunt Ciſalpinus libro 5. *Peripateticarum quæſtionum*, q. 6. Simon Portius libro *de mente humana* cap. 7. & Philo Iudæus in libro, qui inſcribitur, *Quod deterius potiori inſidietur*; & tribuitur Galeno.

3 Probari ſolet hæc ſententia; primò ex Ariſtotele, qui libro *de motu animalium* cap. 7. inquit, quòd quemadmodum in republica benè ordinata, non opus eſt, Regem eſſe in omnibus partibus; ſed in ea, ex qua poſsit cæteras gubernare; ita non opus eſſe, animam eſſe in omnibus partibus corporis, ſed in quadam præcipua. Secundò hac ratione; anima eſt actus corporis organici; ſed non quævis pars ex ſolidis eſt organica; ergo anima non informat omnes partes ſolidas.

4 Sed nobis dicendum eſt cum communi ſententia, omnes partes ſolidas informari anima: ita Scotus noſter in 4. diſtinctione 1. quæſtione 5. numero 8. Sanctus Thomas 2. contra gentes cap. 72. & quæſtione de anima artic. 10. eſtque expreſſa Ariſtotelis hic capite 3. textu 20. quem omnes interpretes ſequuntur; & Scholaſtici in 2. diſtinctione 17. Et ratio efficax eſt, quia nihil corporeum viuit, niſi informetur anima; ſed omnes partes ſolidæ viuentis viuunt, cum ad minus nutriantur per intusſumptionē, ac per conſequens exerceant opus vitæ; ergo omnes partes ſolidæ viuentis informantur anima.

5 Aduertendum tamen eſt, quòd etiamſi anima informet omnes partes corporis ſolidas; ac per conſequens ſit in omnibus illis ſecundum ſuam entitatem, & ſubſtantiam, non tamen eſſe in omnibus illis quantum ad omnes potentias, & operationes vitales: quia cū ſit actus corporis phyſici, & organici, pro diuerſis potentijs, & operationibus, diuerſa petit organa, ſcilicet, ad videndum oculos, ad audiēdum aures, &c. in quo differt ab alijs formis ſubſtantialibus, quæ actus corporis phyſici, & organici non ſunt, vt forma ignis, terræ, &c. quòd iſtæ non ſolùm ſunt in qualibet parte materiæ, quam informant ſecundum ſuam entitatem, & ſubſtātiam,

ſed

ſed etiam ſecūdum omnes ſuas potentias,& operationes.

6 Ad Ariſtotelem reſpondemus, quòd cum loco citato, docet,non eſſe opus,quòd anima reſideat in omnibus partibus corporis; ſed ſufficere, quòd reſideat in aliqua præcipua,non loqui de anima quantū ad ſuam entitatem,ſeu ſubſtantiam; ſed quantum ad potentiam,& virtutem gubernādi omnia membra corporis.

7 Ad rationem conceſſo antecedenti,negamus conſequētiam:cuius ratio eſt,quia etiāſi omnes partes ſolidæ non ſint heterogeniæ, & organicæ; ſed potiùs aliquę ſint homogeneę, vt caro,os,&c.tamen cum heterogeniæ, & organicæ cōponantur ex homogeneis; eo ipſo,quòd anima eſt actus actuās, ſeu informans partes heterogenias,& organicas,debet etiā neceſſariò actuare, ſeu informare partes ſolidas homogeneas,ex quibus heterogeniæ,& organicæ coaleſcunt.

SECTIO II.

De partibus fluïdis.

8 DE partibus fluidis, vt ſunt ſanguis, cæterique humores prima ſententia ſ[illegible]ſtinet,informari anima:ita Conradus 1.2.quæſt.54.Hiſpalēſis in 2.diſtinct.15. quæſtione 2.Medina 3.part. quæſt.5.art. 2.Aſtudillo 1.de generatione, q.15.artic.2.Toletus hic q.4. Hurtado diſp.1.de anima ſect. 2.Arriaga eadem diſputatione ſect.9.ſubſectione 2.Bañez 1. de generatione, cap.4.quæſt. 8.art.5.Caietanus 3.p.quæſt. 5.art.1.& 1.part. quæſt.119. art.1.& Silueſter *in roſa aurea*, tract.31.quæſt.3. quamuis hi duo vltimi nō abſolutè de omni ſanguine loquantur: diſtinguit enim Caietanus in viuentibus ſenſitiuis duplicem ſanguinem, quemdam imperfectum,qui ad vltimā decoctionem nō peruenit,quem nutrimentalem appellat, eo quòd per ipſum nutriatur animal,& ad hoc ſolùm eſt neceſſarius: alterum perfectum,qui ad vltimam decoctionem peruenit, quem dicit non eſſe nutrimentalem, neque ad nutritionem requiſitum,ſed arterialem, & neceſſarium ad integritatem, & conſiſtentiam animalis, & ſolùm de iſto ſanguine perfecto dicit informari anima, & fuiſſe immediatè aſſumptum à Verbo diuino in ſua incarnatione, & ab omnibus corporibus in reſurrectione hominum mortuorum reaſſumendum eſſe in die iudicij;nam de ſanguine nutrimentali,& imperfecto oppoſitum affirmat, ſcilicet,neque informari anima, neque aſſumptum fuiſſe à Verbo diuino immediatè in ſua incarnatione,neque reaſſumēdum in reſurrectione mortuorum.

9 Pro-

9 Probari ſolet hæc ſententia, primò ex Ariſtotele qui lib. 3. de hiſtoria animalium, cap. 19. ait, quòd dum animal viuit, ſanguis eius animatur, & feruet.

10 Secundo, quia negari non poteſt, ſanguinem, cæteroſque humores eſſe partes ſpectantes ad integritatem animalis; hoc enim docuit Ariſtoteles 2. *de partibus animalium* c. 2. ſed omnes partes ſpectantes ad integritatem animalis informantur anima: ergo & ſanguis, cæterique humores.

11 Tertiò, quia in hoc diſtinguũtur animata ab inanimatis, quòd animata mouentur verſus omnem differentiam loci; ſecus verò inanimata; ſed ſanguis mouetur in corporibus animalium verſus omnem differentiam loci; nam pudore currit ad extra: timore ad intra, lætitia ſpargitur: ergo ſanguis, & cæteri humores, qui cum illo ſunt permiſti, animati ſunt.

12 Quartò, & eſt ratio Theologica; Verbum diuinum aſſumpſit immediatè ſanguinem corporis Chriſti; aliàs non fuiſſet infinitum pretium noſtræ redemptionis, vt docet Scriptura ſacra: & ſimiliter ſecundũ omnes Theologos Verbum diuinum non aſſumpſit immediatè duas naturas, vnam rationalem, & alteram irrationalẽ: ergo neceſſariò fatendum eſt, ſanguinem corporis Chriſti informari anima rationali illius: probo conſequentiam; nam ſi informaretur alia forma ab anima rationali, Verbum diuinũ immediatè aſſumeret duas naturas, vnam rationalem, & alteram irrationalem, quod eſt contra ſecundũ præſuppoſitũ.

13 Sed his non obſtantibus, tenẽdum eſt, omnes partes fluidas, vt ſunt ſanguis, & reliqui humores, & idem eſt iudicium de ſpiritibus vitalibus, & animalibus, non informari anima, ſed ſuis tantùm formis, omni anima inferioribus: eſt communis ſententia inter Scholaſticos; nam ipſam tenet noſter Scotus in 3. diſtinct. 13. quæſt. 2. & 4. & in 4. diſtinct. 10. q. 4. num. 3. & in Reportatis in 2. diſtinct. 33. Diuus Bonaventura in 4. diſtinct. 44. art. 1. q. 1. ad 2. & Durandus diſtinct 10. q. 1 Capreolus diſtinct. 44. art. 3. Ricardus art. 1. q. 2. Diuus Thom. 1. part. quæſt. vltima ar. 1. ad 3. Alenſis 1. part. quæſt. 29. & Galenus 2. de elementis, & lib. 4. de vſu partium, & ex recentioribus Suarez 2. de anima cap. 5. Vazquez tom. 3. in 3. part. diſput. 36 cap. 5. nu. 20. Rubius tract. *de modo, quo anima informat corpus*, quæſt. 8. n. 207. Conimbricẽſes lib. 2. de generatione, cap. 4. quæſt. 24. Murcia hic diſput. 1 quæſt. 5. & quàm plures alij, & colligitur ex Ariſt. lib. 2. de partibus animalium, cap. 3. & lib. 3. cap. 5. vbi ait, ſanguinem eſſe materiam corporis, & membrum

in

Digitized by Google

in potentia, & comparat illum aquæ irriguæ, quæ per varios ductus, & rivulos in olera mittitur.

14 Probari ſolet communiter hæc ſententia ex eo, quòd alimentum viuentis, debet carere forma viuẽtis, quæ eſt anima; alias nutritio non eſſet mutatio ſubſtantialis, ſi per eam de nouo non acquireret alimentum formam aliti: ſed ſanguis ex Ariſtotele loco *de partibus animalium* ſupra citato eſt alimentum viuentis; ergo caret forma illius, ſiue quod idẽ eſt, non informatur anima.

15 Nec obſtat, ſi cum Caietano reſpondeas, hoc argumentum probare ſanguinem nutrimentalem non informari anima; ſecus verò ſanguinem arterialem, ſeu animalem, ſolùm deſeruientem ad conſiſtentiam viuentis, & non ad nutrimentum eius; tum quia Ariſtoteles abſolutè, & ſine diſtinctione de omni ſanguine affirmauit loco citato eſſe alimentum viuentis: tum etiam, quia cum iſti ſanguines ex Caietano ſolùm differant penes hoc, quòd ſint magis, vel minùs depurati, erũt eiuſdem ſpeciei, & ſolùm different accidentaliter; quod ſi ſpecie non differunt, eadem forma ſubſtantiali afficientur, & non vnus anima, & alius forma inferiori anima.

16 Sed quamuis hæc probatio in ſententia Thomiſtarum, & aliorum, quæ ſuſtinet in viuentibus præter animam non dari formas ſubſtantiales corporeitatis, ab ipſa anima diuerſas; & conſequenter, quòd ſicut ab eadem anima habet caro, quòd ſit caro, & os, quod ſit os, &c. ita ſi ſanguis informaretur anima, haberet etiam, quòd eſſet ſanguis, magnam efficacitatem habeat; tamen in ſententia noſtra, & Scoti, quæ præter animam, quæ eſt forma à qua viuentia ſolùm habent, quòd ſint vegetatiua, vel ſenſitiua, vel rationalia, ponit in ipſis viuentibus formas ſubſtantiales corporeitatis, à quibus partes ſubſtantiales heterogeniæ corporis phyſici, & organici, ſcilicet, caro, os, neruus, &c. conſtituantur in eſſe carnis, oſsis, nerui, &c. prædicta probatio non eſt efficax ad intentum; nam in iſta ſentẽtia in hypotheſi, quòd ſanguis informaretur anima, ſicut informatur caro, & cæteræ partes ſolidæ, nihil ei obeſſet ad hoc, vt poſſet eſſe alimentum carnis, & cæterarum partium ſolidarum; nam in viuẽtibus ad hoc, vt vna pars habeat rationem alimenti, & alia rationem aliti, nihil obſtat, quòd vtraque informetur anima, dummodo heterogeniæ ſint, & conſequenter affectæ diuerſis formis ſubſtãtialibus corporeitatis, vt nos ponimus cum Scoto, quod non leuiter oſtendi poteſt.

17 Primò ex eo, quòd docent Medici, imò ipſa experiẽtia

tia demonſtrat, nimirum, nervos immediatè nutriri ex carne; & manifeſtum eſt ex dictis ſectione præcedenti, tam nervos, quàm carnem informari anima, cum tam nervi, quàm caro inter partes ſolidas animalis numerentur. Secundo, & eſt ratio à priori, quia ad hoc, vt aliqua ſe habeant, vt alimentum, & alitum, ſolùm requiritur, quòd habeāt diſtinctas formas ſubſtantiales in ſpecie; ſed in ſententia noſtra, & Scoti partes heterogeniæ eiuſdem viuētis, vt ſunt ſanguis, caro, nervus, &c. etiāſi informentur eadem anima, habēt formas corporeitatis ſubſtātiales diſtinctas in ſpecie: ergo poterunt ſe habere, vt alimentum, & alitum.

18 Similiter cōmuniter probari ſolet hæc noſtra ſententia hac ratione: naturaliter repugnat, quòd eadem numero forma ſubſtantialis informet partes diſcontinuas; ſed ſanguis cum nulla parte ex ſolidis continuatur, teſte Ariſtotele 2. *de partibus animalium* cap. 3. vbi ſic ait, *Non enim ſanguis continuus carni, neque cognatus; ſed in corde, & venis, quaſi in vaſis continetur*: ergo anima, quæ informat partes ſolidas, repugnabit naturaliter informare ſanguinem, cæteroſque humores illi admiſtos.

19 Sed hæc etiam probatio in ſententia noſtra, & Scoti, quæ ponit in viuentibus præter animam formas ſubſtantiales partiales corporeitatis, ſcilicet, carnis, oſsis, nervi, &c. non ſolùm ab anima diſtinctas, ſed etiam inter ſe ſubſtantialiter, & ſpecificè diuerſas, & conſequenter non continuas, ſed cōtiguas; quia ex Ariſtotele, & recepta ſententia res diuerſæ ſpeciei non poſſunt continuari; nullam poteſt habere vim; nam ſi partes ſolidæ, vt ſunt caro, os, nervus, &c. informantur anima, non obſtante, quòd in noſtra, & Scoti ſententia ſint ſubſtantialiter, & ſpecificè diuerſæ, & conſequenter non cōtinuæ, ſed ſolum contiguæ, cur denegari debet, ſanguinem nō informari anima, non ex alio capite, niſi quòd ſanguis non continuatur cum alijs partibus ſolidis, ſed ſolùm eſt illis contiguus?

20 Neque id, quod aſſumitur in maiori prædictæ probationis, oppoſitum conuincit; licet enim loquendo de formis ſubſtantialibus, quæ ſolùm ſunt actus materiæ primæ, vt ſunt omnes formæ ſubſtantiales inanimatorum, veriſsimum ſit, naturaliter repugnare, quòd eadem numero forma ſubſtantialis actuet, ſeu informet partes materiæ primæ diſcōtinuas; tamen loquēdo de formis ſubſtantialibus, quæ immediatè nō actuant materiam primam; ſed potiùs corpus phyſicum, & ſubſtantialiter organicum, vt ſunt ex doctrina Ariſtotelis ſupra tradita, omnes animæ,

nos-

potiùs requiritur oppoſitum, ſcilicet, quòd partes corporis phyſici, quas actuant, ſint ſubſtãtialiter heterogeniæ, ſeu diuerſæ rationis ſpecificæ (aliàs non eſſent ſubſtantialiter organicæ) & conſequenter non cõtinuæ, ſed ſolùm contiguæ. Vide, quæ diximus 1. libro de generatione, diſp. 2. quæſtione 4. num. 31. & 32.

21 Aliundè igitur probanda eſt noſtra ſentẽtia; primò, quia in ſanguine nullam operationem vitæ experimur, qua probari poſſit, illum viuere: ergo ſine fundamento ei tribuitur informari anima, ſeu viuere. Antecedens patet, quia neque ſentit, neque etiam vegetatur, cum non accreſcat per intus ſumptionẽ, ſed potiùs per iuxta poſitionem, ſicut vinum augetur in dolio per nouæ partis infuſionem. Et confirmatur, quia ex ſanguine generantur lac, & ſemen; ſed iſta non viuunt, nec informantur anima; ergo neque ſanguis, qui ipſa tempore, & natura antecedit.

22 Secundò, quia incredibile eſt, ſanguinem iam extractũ à corpore, animatum eſſe; ſed ſanguis extractus à corpore cõtinuari poteſt cum eo, qui eſt intra corpus per intermedium ſanguinem fluentem: ergo etiã ſanguis exiſtens intra corpus erit inanimatus; dicere autem, quòd in primo exitu diſcontinuetur à præexiſtente in corpore, friuolum, & contra experientiam eſt.

23 Ad auctoritatem Ariſtotelis in cõtrarium adductam reſpondemus, Ariſtotelem dixiſſe, ſanguinem, quamdiu animal viuit, animari, non in facto eſſe, ſed in fieri, id eſt, non quia antequam conuertatur in carnem viuentis animatus ſit; ſed quia per continuam nutritionem viuentis, ſicut continuè conuertitur in ſubſtantiam viuentis, ita continuè tunc animatur.

24 Ad ſecundam probationẽ dicimus, non omnes partes ſpectantes ad integritatem animalis informari anima; alias lac, & ſemen anima informarentur; ſed tantum illas, quæ ſpectant ad primariam conſtitutionem eius, vt ſunt partes ſolidæ, partes verò fluidas, vt ſunt ſanguis, cæterique humores, non informari anima; quia etiamſi ab Ariſtotele inter partes animalis numerentur, ſed non inter partes ſpectantes ad primariam conſtitutionẽ animalis; ſed inter partes, quæ requiruntur ad animalis conſiſtentiam.

25 Ad tertiam reſpondemus, differentiam animatorum ab inanimatis non conſiſtere præcisè in eo, quòd animata moueantur verſus omnem differentiam loci; ſed in eo, quòd moueantur verſus omnem differentiam loci, à ſe ipſis, quod non competit ſanguini exiſtẽti in corporibus animalium; quia

Digitized by Google

quia etiamſi moueantur verſus omnem differentiam loci, ſed non à ſe ipſo, ſed ab anima exiſtente in partibus ſolidis, medijs ſpiritibus vitalibus.

26 Ad quartam fatemur libenter, Verbum diuinū aſſumpſiſſe immediatè omnem ſanguinem corporis Chriſti, & ſimiliter fatemur, Verbum diuinum nō aſſumpſiſſe immediatè duas naturas, vnam rationalem, & alteram irrationalem, neque oppoſitum huius ſequitur ex eo, quòd aſſeramus, ſanguinem corporis Chriſti non fuiſſe animatū; nam ſicut nullus audebit dicere, in triduo mortis Chriſti Verbum diuinū immediatè ſumpſiſſe, ſeu vnitum hypoſtaticè fuiſſe duabus naturis, vni rationali, vt erat anima, & alteri irrationali, vt erat corpus ſeparatum ab anima, & nō alia ratione, niſi, quia corpus, & anima non ſunt entia totalia, ſed partialia, natura ſua ordinata ad vnam integrā naturam rationalem cōſtituēdam: ita nullus debet affirmare Verbum diuinum aſſumpſiſſe, ſeu vnitum hypoſtaticè fuiſſe duabus naturis, vni rationali, & alteri irrationali, ex eo quòd aſſumpſerit, vel vnitum hypoſtaticè fuerit ſanguini, qui non informatur anima rationali, ſicut informantur partes ſolidæ corporis humani, eo quòd ſanguis, & reliqui humores ſunt entia partialia, licet non ſpectantia ad primariam conſtitutionem hominis, ſaltem neceſſariò requiſita ad illius conſiſtentiam, vt in principio huius quæſtionis diximus.

SECTIO III.

De capillis, & vnguibus.

27 DE capillis, & vnguibus breuiter dicēdum eſt cum communiori ſentētia, informari quidem anima, qua informātur reliquæ partes corporis, cuius ratio eſt efficax, quia experimur ipſa augeri per intusſumptionē, quod eſt opus proprium vitæ, & dico notanter informari anima, qua informantur reliquæ partes corporis, ad excludendam opinionem, quæ tribui ſolet Diuo Bonauēturæ in 4. diſtinctione 44. quæſt. 2. tenentem, vngues, & capillos informari quidē anima, ſed non anima, qua informantur reliquæ partes corporis, ſed alia ſolùm vegetatiua, diſtincta à rationali, vel ſenſitiua; quæ opinio nō placet, quia abſque neceſſitate multiplicat animas in eodem compoſito.

28 Neque in contrarium vrget id, quod aliqui obijciunt, ſcilicet, vngues, & capillos non nutriri ex alimento aſſumpto, ſed potiùs ex excremētis illius; nam ſicut inter partes corporis viuentis quædam ſunt perfectæ, & aliæ imperfectæ, quæ ad perfectas comparatæ dicuntur excrementa, licet re vera ex-

cre-

Digitized by Google

excrementa non ſint, ſed ad ornamentum, & ad plures vtilitates viuentis neceſſariæ : ita inter partes alimenti, quædam ſunt puriores, quibus nutriũtur partes perfectæ animalis, & quædam impuriores, quæ, etſi reſpectu puriorũ partium excrementa dici poſsint; tamen excremẽta omnino non ſunt, ſed partes alimenti aſſumpti, quo partes imperfectæ nutriuntur.

DISPVTATIO TERTIA.

De potentijs animæ in communi conſideratis.

DE potentijs animæ in communi conſideratis duo examinanda ſunt; primum, *quo pacto ab anima, vel ab organis, in quibus reſident, diſtinguantur?* Secundum, *vtrum potentiæ ſpecificentur ab actibus & actus ab obiectis?* Quibus quæſtionibus plura alia, quæ ſigillatim diſcutiuntur à recentioribus de ſeparatione potentiarum ab anima; & de modo, quo ab illa procedant, examinabimus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quo pacto potentiæ animæ ab ipſa anima, vel ab organis ſubſtantialibus, in quibus reſident, diſtinguantur?

1 NOtanter dicitur in titulo huius quæſtionis, *ab ipſa anima, vel ab organis ſubſtantialibus, in quibus reſident,* quia potentiæ animæ ſunt in duplici differentia; quædam enim ſunt organicæ, ſic dictæ, quia non ſunt in ipſa anima immediatè, & tanquam in principio, quod operatur per ipſas; ſed vt ſic ſunt in organis corporeis viuentium, vt ſunt oculi, aures, &c. ipſi autem animæ ſolùm attribuuntur, quia ſicut ab anima habent prædicta organa, quòd ſint viuentia; ita & quòd ab ipſis pullulent, ſeu dimanent prædictæ potentiæ organicæ vitales. Quædam verò ſunt non organicæ, ſic dictæ, quia nullo modo ſunt in organo corporeo; ſed immediatè reſident in ipſa anima, tanquã in principio, quod operatur per ipſas; & huiuſmodi ſunt omnes, & ſolæ potentiæ animæ rationalis, vt rationalis eſt, nimi-

Digitized by Google

mirum, memoria, intellectus, & voluntas.

2 Et vt certum ab incertis ſeparemus, certum debet eſſe in omnium ſententia, potentias animæ organicas, vt ſunt omnes ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, eſſe realiter diſtinctas ab anima ipſa; & ſimiliter prædictas potentias ad inuicem comparatas eſſe ferè omnes etiam realiter diſtinctas: & dico notanter ferè omnes: quia de potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua aliqua cõtrouerſia eſt inter auctores, an diſtinguantur realiter, vt videbimus diſputatione ſequenti, quæſtione ſecũda, & ſignum euidens huius diſtinctionis realis eſt, quia anima exiſtere poteſt ſine ipſis, vt contingit in ſeparatione animæ rationalis à corpore; & ſimiliter vna poteſt exiſtere ſine alia, vt contingit in homine cæco, & ſurdo. Solum ergo in dubium reuocatur, quo pacto potentiæ nõ organicæ, vt ſunt in anima rationali memoria, intellectus, & voluntas diſtinguantur ab ipſa anima rationali? Et ſimiliter, quo pacto potentiæ organicæ, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, diſtinguantur vnaquæque ab organo ſubſtantiali corporeo & animato; in qua reſidet, ſeu quo pullulat, ſeu dimanat?

3 Separatis iam certis ab incertis, prima ſentẽtia ſuſtinet, omnes potentias animæ eſſe accidentia ſpectantia ad ſecundam ſpeciem qualitatis; ac perconſequens potentias non organicas, vt ſunt memoria, intellectus, & voluntas, diſtingui realiter ab anima rationali; & eadem diſtinctione diſtingui potentias organicas animæ, vt ſunt omnes ſenſitiuæ, & vegetatiuæ ab organo ſubſtantiali corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet, ſeu à quo pullulat, & dimanat: Ita Diuus Thomas prima parte, quæſtion. 77. artic. 1. & quæſtion. 54 artic. tertio, & quæſtion. de anima, art. 12. quem omnes diſcipuli ſequũtur, tàm veteres, quàm recentiores, & ex alijs Magiſter Sententiarum in primo, diſtinct. 3. Alexander Alenſis 2. part. quæſt. 66. membro 2. Conimbricenſes hic capit. 3. quæſt. 4. artic. 2. Suarez 1. tom. Metaphiſic. diſput. 18. ſect. 3. à numer. 13. Valentia 1. parte, diſput. 6. quæſt. 3. puncto 2. Rubius tractatu de potẽtijs, quæſt. 1. Murtia hic diſputatio 2. quæſtion. 1. & plures alij.

4 Plures ex recentioribus conantur hanc ſententiam ſuadere his rationibus; prima; implicat contradictionẽ, quòd res materialis, & corporea ſit idem realiter cum re ſpirituali; ſed anima rationalis eſt res ſpiritualis, potentiæ verò ſenſitiuæ, vt ſunt viſus auditus, &c. Sunt res materiales, &

Digitized by Google

corporeæ, cum ſubiectentur in organo corporeo: ergo implicat, quòd ſint idem realiter potētiæ ſenſitiuæ, & anima rationalis. Secunda, ſi potentiæ ſenſitiuæ animæ rationalis eſſent idem realiter cum illa, eſſent indiuiſibiles, ſicut & illa; ac per conſequens totæ in toto homine, & totæ in qualibet illius parte, quod cōſtat eſſe falſum; nam viſus ſolùm eſt in oculis, & auditus in auribus, & ſic de reliquis. Tertia, ſi potentiæ animæ rationalis eſſent idē realiter cum illa, manerent cū ipſa ſeparata à corpore, cuius oppoſitum docet Ariſtoteles ad finem capitis primi huius ſecundi libri de omnibus potentijs organicis.

5 Sed recentiores, qui his, & ſimilibus rationibus vtuntur, extra choros ſaltāt, & magna allucinatione laborant; nam rationes iſtæ probant optimè id, quod, vt certum in omnium ſententia num. 2. ſtatuimus, ſcilicet, potentias animæ organicas, vt ſunt omnes ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, diſtingui realiter ab anima. Non tamen probant id, quod in dubium reuocatur in præſenti difficultate, vtrùm, ſcilicet, potentiæ non organicæ, vt ſunt in anima rationali memoria, intellectus, & voluntas, diſtinguantur realiter ab illa? Et ſimiliter vtrùm potentiæ organicæ, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, diſtinguantur realiter, non ab ipſa anima (hoc enim, vt manifeſtū in omnium ſentētia præſupponimus) ſed ab illo organo ſubſtātiali, corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet.

6 Imò addo, in ſenſu, quo procedit præſens cōtrouerſia, rationes factas à recentioribus, ſi debitè applicentur, probare, ſeu conuincere oppoſitū illius, quod intentant; nā ſi potentiæ animæ non organicę, vt ſunt memoria, intellectus, & voluntas ad animā rationalem cōparentur, falſum eſt, eſſe res materiales, & corporeas, cum nō in organo corporeo; ſed potius in ipſa anima rationali immediatè exiſtant, quod cōtingere nō poſſet, ſi res ſpirituales non eſſent. Item falſum eſt, huiuſmodi potētias eſſe diuiſibiles, cū potiùs vnaquæque in indiuiſibili conſiſtat, ſicut & ipſa anima; ac per conſequens non mirum, quòd ſicut anima rationalis eſt tota in toto homine, & tota in qualibet illius parte, ita & iſtæ potentiæ. Et demū falſum eſt, prædictas potētias non manere in ipſa anima in ſtatu ſeparationis à corpore; aliàs animæ rationales ſeparatæ à corpore, nec habere poſſent memoriam præteritorum, neque poſſent intelligere, nec velle; quæ ſunt abſurda. Si verò potentiæ organicæ, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ ad organa ſubſtantialia corporea, & animata, in quibus vnaquæque reſidet, comparentur, neſcio,

Digitized by Google

cio, quo pacto ſupra allatę probationes applicari poſſent ad probandum diſtinctionē realem inter illa; nam ſi applicare vellent, potiùs conuincerēt oppoſitum; nam etiamſi verū ſit, potentias iſtas eſſe materiales, & diuiſibiles, non manere, vt docuit Ariſtoteles in ipſa anima rationali in ſtatu ſeparationis à corpore; tamen etiam eſt verum, organa ſubſtantialia, corporea & animata, in quibus reſident, eſſe materialia, & diuiſibilia, & non manere in ipſa anima rationali in ſtatu ſeparationis à corpore, Quid ad rem? certè oppoſitum eius, quod intentant

7 Magis directè, & magis ad rem antiquiores Theologi conati ſunt hanc ſententiam cōprobare; primò ex Ariſtotele, qui capite de *qualitate*, potentias naturales, vt ſunt potentiæ animæ, in ſecunda ſpecie qualitatis collocauit; ergo ſentit Ariſtoteles, potentias naturales animæ eſſe accidentia, & conſequenter diſtinctas realiter ab omni ſubſtantia, qualis eſt anima rationalis, in qua reſident memoria, intellectus, & volūtas: & ſimiliter ſunt organa ſubſtantialia, corporea, & animata, in quibus reſident potentiæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ. Item idem Ariſtoteles hic libro 1. textu 11. docet, intellectum *non eſſe actum corporis*: & libr. 2. cap. 1. definiens animam, ait, *eſſe actum corporis*, quæ duo loca contraria eſſent (inquit Rubius) niſi intellectus, & anima, cuius eſt potentia, realiter diſtinguerentur.

8 Secundò probant rationibus; prima eſt Diui Thomæ, & refertur ab Scoto in 2. diſtinct. 16. quæſt. vnica, actus, & potentia ex Ariſtotele 9. Metaph. textu 1. ſunt eiuſdem generis; ſed actus potentiarum animæ, vt ſunt intelligere, & velle, ſunt in genere qualitatis; ergo etiam potentiæ ipſis correſpōdentes, ſcilicet, intellectus, & voluntas, erunt in genere qualitatis, & conſequēter realiter diſtinctæ ab anima, quæ eſt ſubſtantia.

9 Secunda, & eſt etiam Diui Thomæ, & relata ab Scoto loco citato; ſi potentiæ animæ non organicæ, ſcilicet, intellectus & voluntas, eſſent realiter ipſa anima rationalis, ſequeretur, quod habens animam rationalem, ſemper actu intelligeret, & actu vellet; ſed hoc eſt falſum, vt experiētia manifeſtat; ergo intellectus, & volūtas non ſunt realiter ipſa anima rationalis, ſed potius quid realiter ab ipſa diſtinctum. Sequela probatur, quia ſicuti quia anima eſt actus primus vitæ, habēs animā, ſemper viuit; ita ſi eſſet potētia, ſeu actus primus intelligēdi, & volēdi, habēs ipſam, ſēper actu intelligeret, & vellet.

10 Tertia; aliæ ſubſtantiæ inanimatæ, vt ſunt, exempli gratia, ignis, & aqua operātur per

Digitized by Google

potentias, quæ ſunt qualitates, realiter diſtinctæ ab ipſis, vt ignis per calorem, aqua per frigiditatem; ergo idem dicendum erit de anima, cū non ſit maior ratio vnius, quā alterius.

11 Secunda ſententia vera, & à nobis tenenda ſubſtinet, potentias animæ non organicas, vt ſunt memoria, intellectus, & voluntas, non diſtingui realiter ab anima rationali, in qua reſident; ſed potius eſſe idem realiter cum illa, & conſequēter inter ſe, ſpectareque ad prędicamentum ſubſtantiæ, non ſecus, ac ſpectat anima rationalis, cū qua identificantur. Similiter potentias animæ organicas, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ; etſi ſint realiter diſtinctæ ab ipſa anima, & ferè omnes inter ſe (vt numer. 2. vt certum ſtatuimus) non tamen eſſe realiter diſtinctas ab illo organo ſubſtantiali corporeo, & animato, in quo vnaquæq; reſidet; ſed potius eſſe idē realiter cū illo, ſpectareque ad prędicamentum ſubſtantiæ, non ſecus, ac ſpectat organum, in quo vnaquæque reſidet, & cū quo realiter identificantur: ita Scotus noſter in 2. diſtinct. 16. quæſt. vnica. Et in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. quem omnes diſcipuli ſequuntur; Philippus Faber theoremate 74. Rada 2. tomo controuer. 13. art. 2. Lichetus ſuper prædicta loca Scoti, & ex alijs Nominales omnes, Gregorius in 2. diſt. 3. quæſt. 2. Gabriel quæſt. vnica artic. 2. Hurtado diſput. 4. *de potentijs animæ*, ſect. 4. vbi aliquas adducit, & expendit auctoritates, tam Diui Auguſtini, quàm Diui Bernardi, quæ ſatis expræſsè indicant, ex mente iſtorum Patrum potentias non organicas, vt ſunt memoria, intellectus, & voluntas, non diſtingui realiter ab anima.

12 Sed quamuis omnes iſti auctores vnanimiter affirmēt, potentias animæ non organicas, vt ſunt memoria, intellectus, & voluntas, non diſtingui realiter ab anima rationali, neque inter ſe; & ſimiliter potentias organicas nō diſtingui realiter ab illo organo ſubſtantiali corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet; differunt tamē in explicando, quod genus diſtinctionis verſatur inter illas; nā quòd aliquo genere diſtinctionis diſtinguantur, neceſſariò fatendum eſt; alias nō eſſet maior ratio, cur de eſſentia animæ formaliter sūpta affirmari debeat, quòd ſit *actus primus corporis phyſici, & organici, &c.* & ſimiliter quòd ſit *principium primum, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus*; non verò de memoria, intellectu, vel voluntate, ſi etiam iſtæ potentiæ, non realiter, ſed formaliter accipiantur; ſed potius affirmari debeat eius contradictoriū. Et ſimiliter non eſſet maior ratio, cur de potētia intel-

tel-

tellectiua formaliter ſumpta affirmari debeat, quòd ſit principium proximum, & formale intelligendi, non verò de potentia volitiua, etiam formaliter ſumpta, ſed potius eius cõtradictoriũ: & è contra de potẽtia volitiua, quòd ſit principiũ proximũ, & formale volendi, non verò de potẽtia intellectiua, ſed potius eius contradictorium.

13 Nominales ſupra relati affirmant, hanc diſtinctionem ſolùm eſſe rationis, & factam per intellectũ, ſed nõ rectè philoſophantur: nã contradictoria numerata, cũ non cõueniãt prædictis formalitatibus ſolùm per operationẽ intellectus, ſed etiã ex natura rei, & ante omnẽ intellectus operationẽ; neceſſariò expoſtulãt, vt prædictæ formalitates ſint ex natura rei, & ante omnẽ operationem intellectus diſtinctæ; licet non vt res à re, ſaltẽ, vt formalitates eiuſdem rei, vt ex profeſſo docuimus in Logica c. 1. de vniuerſalibus diſp. 1. q. 2. loquẽdo de diſtinctione, quæ verſatur inter naturas, quæ denominãtur genera, & differẽtiæ, quibus contrahuntur ad eſſe ſpecierũ.

14 Scotus verò, & omnes eius diſcipuli tenent, hãc diſtinctionem eſſe ex natura rei formalẽ, quæ eſt diſtinctio media inter diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis: de qua latè agimus in Logica loco citato, & qua in vniuerſũ omnis eſſentia realis diſtinguitur à ſuis proprijs paſsionibus, & ipſæ propriæ paſsiones inter ſe; & ratio efficax eſt, quia diſtinctio ex natura rei formalis dicitur illa, quæ verſatur inter formalitates reales, quæ etiamſi ſint eadem res, nihilominus vna non includitur in conceptu formali, ſeu quidditatiuo alterius: ſed potentiæ non organicæ animæ, ſcilicet, intellectus, & voluntas, etiãſi ſint eadem res cum anima rationali, nihilominus conceptus formales earũ, non includuntur in conceptu quidditatiuo animæ; neque è cõtra: & ſimiliter conceptus formalis intellectus nõ includitur in cõceptu quidditatiuo volũtatis, & è cõtra: ergo potẽtiæ non organicæ animæ, vt ſunt memoria, intellectus, & voluntas, etiamſi ſint eadem res cum anima; nihilominus diſtinguuntur tam ab illa, quàm inter ſe ipſas ex natura rei formaliter.

15 Ad probandum id, in quo omnes auctores huius ſecundæ, & veræ ſententiæ conueniunt, & directè opponũtur auctoribus primæ ſentẽtiæ, ſcilicet, potẽtias nõ organicas, memoriã, intellectũ, & voluntatem ab anima rationali realiter, & tanquam res ſpectantes ad prædicamentum qualitatis à re ſpectante ad prædicamentum ſubſtantiæ non diſtingui, & idem eſt iudicium de potẽtijs organicis, vt ſunt ſenſitiuæ,

Digitized by Google

& vegetatiuæ, facta comparatione ad organum ſubſtātiale, corporeum, & animatum, in quo vnaquæque reſidet, variæ rationes adduci ſolēt, ſed nobis ſufficit vnica ratio, qua vſus eſt Scotus loco ſecundi citato, quæ talis eſt: pluralitas non eſt admittenda ſine neceſsitate; ſed nulla neceſsitas nos cogit, ponere potentias non organicas animæ rationalis, vt ſunt memoria, intellectus, & volūtas, eſſe accidentia realiter diſtincta ab illa; & idem eſt iudicium de potentijs organicis, vt ſunt ſenſitiuę, & vegetatiuæ, facta comparatione ad organa ſubſtantialia, corporea, & animata, in quibus vnaquæque reſidet: ergo talis diſtinctio, ſeu pluralitas nullatenus admittenda eſt.

16 Diſcurſus eſt optimus; maior ab omnibus recepta; minor probatur: quia ſi aliqua neceſſitas ad hoc nos cogeret, maximè, quam ſæpè inculcant aduerſarij, nimirum, ſubſtantiam per ſe, & immediatè non eſſe operatiuam; & ideo indigere accidentibus, quibus medijs operetur; ſed hoc principium, quàm falſum ſit, latè, & ex profeſsò oſtendimus lib. 2. phyſicorum, diſp. 4. q 6. recolantur ibi dicta. Et inſuper confirmari poteſt ſoluendo omnia argumenta, quæ in contrariū adducta ſunt pro prima ſententia.

17 Ad primam auctoritatem Ariſtotelis ex duobus in contrarium adductis reſpondetur, nomen potentia tripliciter poſſe accipi; primò pro potentia Logica, quæ conſiſtit in nō repugnantia extremorum. Secundò pro vi, & facultate, quæ ineſt rebus ad aliquid producendum, vel ad aliquid recipiendum, quæ ideo diuidi ſolet in actiuam, quales ſunt intellectus voluntas, &c. reſpectu animæ, & in paſsiuam, qualis eſt in materia prima vis, ſeu facultas ad recipiendas formas ſubſtantiales. Tertio non pro vi, & facultate, quæ ineſt rebus ad aliquid producendum, vel recipiendum; ſed pro facilitate exiſtente à natura in virtutibus, ſeu facultatibus agendi, ſeu recipiendi ad aliquid expeditè agendum, vel recipiendum, vt facilitas ad currendū, ad pugnandum, ad reſiſtendū contrarijs, &c. & potentia in iſta tertia acceptione ſumpta, eſt, quæ ſpectat ad ſecundam ſpeciem qualitatis, vt cum Scoto ſtatuimus in Logica cap. de *qualitate*, diſp. vnica quæſt. 4. ſect. 2. Ad rem ergo, cum Ariſtoteles collocat potentiam naturalem in ſecunda ſpecie qualitatis, non ſumit potentiam in ſecunda acceptione, in qua intellectus, & voluntas, &c. dicuntur potentiæ animæ, ſed in tertia acceptione; & ſic aduerſarij in æquiuoco laborant, cum id, quod Ariſtoteles tribuit potentijs in tertia acceptione, ſcilicet, ſpecta-

Digitized by Google

ctare ad ſecundam ſpeciem qualitatis, attribuere conantur potentijs in ſecunda acceptione ſumptis.

18 Ad ſecundam auctoritatē Ariſtotelis dicimus, pugnare quidem contra Nominales, qui ita affirmant, intellectum, & animā eſſe eamdem rem, vt nolint inter formalitatem intellectus, & formalitatem animę ponere diſtinctionē aliquā ex natura rei, ſed ſolum rationis; non verò pugnare contra nos, qui cum Scoto admittimus, inter formalitatem intellectus, & formalitatem animę diſtinctionē ex natura rei formalem, mediam inter realem, & rationis; nam hæc diſtinctio ſufficiēs eſt ad hoc, vt id quod affirmatur de anima formaliter ſumpta, ſcilicet, eſſe actum primum corporis, verè negetur de intellectu, etiam formaliter ſumpto, abſque aliqua contradictione, non obſtante, quod anima, & intellectus ſint eadem res.

19 Ad ſecundam rationem, quæ erat Diui Thomæ, optimè reſpondet Scotus, illud dictum Ariſtotelis, *Actus, & potentia ſunt eiuſdem generis*, eſſe verum, & intelligendum de potentia, vt diſtinguitur contra actum, & de actu illi correſpondente, id eſt, de potentia obiectiua, & de actu, qui illi correſpōdet. Cum enim indiuiduum, quod nunc exiſtit actu, fuerit ipſummet in potentia obiectiua, hinc eſt (inquit Scotus) quòd potentia obiectiua, & actus illi correſpondens, non ſolùm ſint eiuſdem generis, ſed etiam eiuſdem ſpeciei; imò eiuſdem numeri; & ſolùm eſt diſcrimen, quòd prædictum indiuiduum, dum eſt in potentia obiectiua, ſolum habet eſſe poſſibile, & ſecundum quid; ac dum actualiter exiſtit, habet eſſe actu, & ſimpliciter: non verò eſſe intelligendum, neque verum de potentia, vt eſt principium operandi, qua ratione ſumpta potentia diuiditur ab Ariſtotele 5. & 9. Metaphyſ. in actiuam, & paſſiuā, & de actibus illis correſpondentibus, vt contendit ratio D. Thomæ.

20 Porrò prædictum affatum Ariſtotelis non poſſe intelligi de potentia, quę eſt principium operandi, ſiuè ſit actiua, ſiuè paſſiua, & de actibus illis correſpondentibus, probat Scotus 1. ex ipſomet Ariſtotele, qui 7. *Metaphyſices* in fine ait, quòd ſubſtantia non producitur in eſſe, niſi à ſubſtantia pręexiſtente in actu; ſed quantum, vel quale producitur in eſſe, nullo quanto, vel quali pręſuppoſito in actu, ſed in potentia; ergo ſubſtantia ſecundum Ariſtotelem ponitur immediatè effectiua accidentis. Secundò probat ad hominem; nam Diuus Thomas affirmat, eſſentiam animæ eſſe immediatum principium, &

proximum receptiuum ſuarum potentiarum, quæ ſecundum ipſum, vt dictum eſt, ſunt accidentia, & conſequenter, non eiuſdem generis cum anima, quæ eſt ſubſtantia. Et denique tertiò, quia nullus negare poteſt, dari aliquod accidens, quod immediatè actuet, ſeu inhæreat in ſubſtantia, aliàs daretur proceſſus in infinitum; ergo affatum illud Ariſtotelis, *Actus, & potentia ſunt eiuſdem generis*, neque eſt verum, neque intelligendum de potentia, quæ eſt principium operandi, ſiue ſit actiua, ſiue paſsiua, & de actibus illis correſpondentibus.

21 Ad ſecundam, quæ etiã erat Diui Thomæ, benè reſpondet Scotus negando ſequelam; & ad probationem dicimus cum eo, ideò habens animam ſemper viuere vita ſubſtantiali, non verò ſemper operari vitaliter, etiam in ſententia noſtra, quæ ſuſtinet, potentias animæ non organicas, eſſe idem realiter cum anima, & potentias organicas eſſe idem realiter cum organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet; quia viuere ſubſtantialiter tribuit anima viuenti in genere cauſæ formalis; operari verò vitaliter in genere cauſæ efficientis, & manifeſtum eſt, effectum formalem neceſſariò ſequi ad poſitionem formæ in ſubiecto; non verò effectum cauſæ efficientis ad poſitionem potentiæ effectiuæ; aliàs habens intellectum ſemper actu intelligeret, & habens potentiam generatiuam ſemper actu generaret.

22 Ad tertiam dicimus, ſubſtantias inanimatas duos effectus poſſe producere, vnum per accidens, vt eſt, v. grat. in igne calefacere, in aqua frigefacere, & ad hos effectus producendos, eo ipſo, quòd non producunt illos per ſe, ſed potius per accidens, indigere ſubſtantias inanimatas potentijs, quæ ad ipſas comparatæ ſint accidentia, & ab ipſis realiter diſtinctæ, vt ſunt calor reſpectu ignis, & frigus reſpectu aquæ: alium producere per ſe, vt eſt, v.g. in igne generatio alterius ignis, & in aqua generatio alterius aquæ, & ad hos effectus producendos, eo ipſo, quòd non producunt illos per accidens, ſed per ſe, indigere potentijs, quæ ad ipſas comparatæ non ſint earum accidentia, ſed potius ſubſtantiæ; idem realiter cum ipſis, vt eſt, v.g. in igne virtus generatiua alterius ignis, & in aqua virtus generatiua alterius aquæ. Ex hac autem doctrina, ſi à ſimili ſubſtantiarum inanimatarum ſumere velimus argumentum, vt deſumunt aduerſarij, quod inferri debet, non eſt, quòd ipſi inferunt, ſcilicet, potentias animæ eſſe accidentia, & quid realiter diſtin-

ſtin;

Digitized by Google

ſtinctum ab anima, vel ab illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo organicæ reſident: ſed quod inferri debet, eſt oppoſitum, ſcilicet, non eſſe accidentia, & quid realiter diſtinctum; nam actus vitales, ad quos eliciendos dantur hæ potentiæ, non ſunt effectus accidentales animatorum, aliàs non eſſent vitales, ſed ſunt effectus per ſe.

23 Ex dictis facilè reſolui poſſunt duo dubia, quæ ſatis diffusè exagitantur à recentioribus; primum, *Vtrùm potentia Dei abſoluta poſſit Deus realiter ſeparare potentias animæ, ſi non ſunt organicæ, vt intellectus, & voluntas ab ipſa anima? Et ſi ſint organicæ, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, ab illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet?* Secundum eſt, quo pacto ſit intelligendum illud vulgare proloquiũ, *Potentiæ animæ non organicæ, vt ſunt intellectus, & voluntas, profluunt, & dimanant ab ipſa anima? Potentiæ animæ organicæ, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ profluunt, & dimanant ab illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet?*

24 Nam ad primum dubium reſpondemus, etiam potentia Dei abſoluta, neque intellectum, & voluntatem ab anima rationali, neque potentias organicas ab illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet, poſſe realiter ſeparari, licet propter læſionem prædictorum organorum, aut defectum ſpirituum vitalium, ſeu animalium poſsint, adhuc naturaliter earum operationes impediti. Et ratio efficax eſt, quia implicationem inuoluit, quòd idem realiter ſeparetur à ſe ipſo. Oppoſitum affirmare tenentur auctores primæ ſententiæ, qui affirmant, potentias animæ eſſe accidentia ſpectantia ad ſecundam ſpeciem qualitatis, & conſequenter tam intellectum, & voluntatem ab anima rationali, quã potentias organicas ab organo ſubſtantiali, in quo vnaquæque reſidet, realiter diſtinguunt.

25 Ad ſecundum dubium dicimus, potentias animæ, nõ organicas, vt ſunt intellectus, & voluntas, dici fluere, & dimanare ab illa, & ſimiliter potentias organicas; vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, dici fluere, & dimanare ab illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo reſident, & in vniuerſum omnes proprias paſsiones ab eſſentia, cuius ſunt paſsiones, non quia inter ipſa intercedat aliquis influxus, qui ſit vera, & realis actio: quia idem realiter non poteſt per veram, & realem actionem influere in ſe ipſum; aliàs idem eſſet cauſa realis ſui ipſius: ſed quia ratio formalis animæ na-

naturaliter præſupponitur ad rationes formales ſuarum potentiarum, intellectus, ſcilicet, & voluntatis, & eadem numero actione, ſeu influxu, quo producitur anima, producuntur etiam potentiæ eius, intellectus, ſcilicet, & voluntas; licèt priùs natura terminetur prędicta actio, ſeu influxus ad animam, quàm ad eius potentias, intellectum, ſcilicet, & voluntatem: & idem eſt iudicium de potentijs organicis, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, comparatis ad illud organum ſubſtantiale, & animatum, in quo vnaquæque reſidet; & in vniuerſum de proprijs paſsionibus reſpectu eſſentiarum, quarum ſunt propriæ paſsiones. Oppoſitum affirmare tenentur auctores primæ ſententiæ, qui affirmant, potentias animæ eſſe accidentia ſpectantia ad ſecundam ſpeciem qualitatis, & cōſequenter tam intellectum, & voluntatem ab anima rationali, quàm potentias organicas ab organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo reſidēt, & in vniuerſum omnes proprias paſsiones ab eſſentijs, quarum ſunt propriæ paſsiones, realiter diſtingui, licet propter difficultates, quæ emergunt ex hoc aſſerto, ſtando in ipſorum principijs, aliqui ipſorum aliter ſentiant.

(∴)

QVÆSTIO II.

Vtrùm potentiæ ſpecificentur ab actibus, & actus ab obiectis?

1 IN hac quæſtione aliqua ſunt certa, & aliqua in dubium reuocantur: Primū certum eſt, potentias aliquo modo ſpecificari ab actibus, & actus aliquo modo ſpecificari ab obiectis: hoc enim expreſsè docuit Ariſtoteles in hoc 2. libro de anima textu 22. & 23. dum dixit, potentias diſtingui per actus, & actus per obiecta, & eſt axioma ab omnibus Philoſophis receptum.

2 Secundum certum eſt, potentias non ſpecificari, neque ſumere ſuam diſtinctionē ſpecificam ab actibus ſuis inadæquatis: poſſunt enim ab eadem potentia in ſpecie oriri actus inadæquati, diſtincti in ſpecie, vt ab eodem in ſpecie intellectu actus fidei, actus ſcientiæ, & actus opinionis, qui ſunt diuerſi in ſpecie. Et ſimiliter ab eadem in ſpecie potentia viſiua, viſio albi, & viſio nigri, qui ſunt actus viſionis in ſpecie diſtincti.

3 Tertium certum eſt, actus non ſpecificari, & conſequenter neque potentias ab obiectis materialibus, ſed ab obiectis formalibus: & hæc eſt ratio, cur circa idem non ſolùm in ſpecie, ſed etiam numero ens poſ-

poſſunt verſari actus diuerſarum potentiarum, vt ſunt actus intellectus,& actus voluntatis, nimirum, quia illud ens, inquantum ens, eſt obiectum formale actus intellectus; & inquantum bonum eſt obiectum formale actus voluntatis.

4 Quartum certum eſt, potētias non diſtingui per actus adæquatos,neque actus per obiecta formalia,tāquam per cauſas,vel differentias intrinſecas: ita Scotus quodlibeto 13. quē omnes diſcipuli ſequuntur: tenet etiam Diuus Thomas 1.p. quæſt.77.artic.1.ad primum; Caietanus ibidem,art.3. & recipitur ab omnibus recentioribus: & ratio efficax eſt,quia nihil poteſt diſtingui,tanquam per cauſas, vel differentias intrinſecas,per id, quod eſt ipſo poſterius, vel ſaltem extra ipſum; conſtat autem actus eſſe poſteriores potentijs, à quibus procedunt, & obiecta eorum eſſe tam extra actus, quàm extra potentias.

5 Primum, quod vertitur in dubium eſt, quæ ſit ratio, ob quam potentiæ ſpecificentur ab actibus adęquatis, & actus ab obiectis ipſorum formalibus,ſuppoſito, quod vt dictum eſt, actus non ſunt intrinſecæ differentiæ potentiarum, neque obiecta formalia actuum; ſed potius ſunt entitates extrinſecæ,& realiter diſtinctæ actus à potentijs, & obiecta ab actibus.

6 Caietanus loco ſupra citato præſuppoſitæ dubitationi reſpondet, rationem eſſe; quia potētiæ in ſua intrinſeca & quidditatiua ratione includunt relationem ad ipſarum actus; & actus in ſua intrinſeca, & quidditatiua ratione includunt relationem ad ipſorum obiecta formalia; & receptum eſt apud omnes, relationem ſpecificari à ſuis terminis formalibus, & adæquatis; quia etiamſi termini ſint, quid èxtrinſecum relationibus; tamen relationes intrinſecè conſiſtunt in habitudine, & ordine ad terminum, & ſic licet illum intrinſecè nō includant, illum tamen intrinſecè reſpiciunt: quam doctrinā ſequuntur omnes Thomiſtæ recentiores, addentes has relationes, quas intrinſecè, & quidditatiuè includunt potentię ad ſuos actus, & actus ad ſua obiecta, non eſſe prædicamentales, ſed tranſcendētales, quod etiā adnotauit Caietanus.

7 Sed hæc doctrina Caietani, & Thomiſtarum, ſi de relationibus, ſeu relatiuis ſecundū eſſe intelligatur (vt neceſſariò intelligenda eſt, vt aliquid cōcludat) nam ſola relatiua ſecūdum eſſe ſunt per ſe, & formaliter relatiua, & de quibus verificari poteſt, *quòd totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere*; nam relatiua ſecundùm dici per ſe, & formaliter abſoluta ſunt; neque de ipſis verificari poteſt, *quòd totum ſuum eſſe ſit ad aliud ſe* ha-

habere; ſed ſolum, *quòd id, quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vt albi albedo, capitati caput, &c.* vt docuit Ariſtoteles cap. de ad *aliquid*, & nos in Logica in annotationibus circa prædictum caput expendimus) ſupponit falſum, ſcilicet, potentias animæ, & ſimiliter actus vitales earũ, quæ tam in noſtra, quàm in ipſorum ſententia per ſe, & formaliter entia abſoluta ſunt, & ſolum poſſunt appellari relatiua ſecundum dici, in ſuo eſſentiali, & quidditatiuo conceptu includere relationem aliquã, ſecundum eſſe, ſiuè prædicamentalis, ſiuè tranſcendentalis ſit. Nã vt optimè obijcit Scotus quodlibeto 13 citato, § *de tertio articulo*, num 24. implicationem involuit, quòd res abſoluta includat in ſuo conceptu quidditatiuo, & eſſentiali relationem: aliàs idem eſſet eſſentialiter ad ſe, & eſſentialiter ad alterum; neque abſolutum, & relatio poſſunt includi in aliquo per ſe vno, ſic per ſe vno, quòd ſit vnius generis, & quod poſsit vnica definitione quidditatiua definiri: ſicut poteſt quælibet potentia animæ, & ſimiliter quilibet actus illius.

8 Dicendum igitur nobis eſt, ex his, quæ docet Scotus quodlibeto 13 citato num. 31. potentias ſpecificari, & eſſentialiter diſtingui à ſuis actibus adæquatis: quia cum potẽtiæ ſolùm datæ ſint propter ipſarum actus, ipſarum eſſentia conſiſtit in coaptatione, ſeu commenſuratione aptitudinali, ſeu potentiali cum ſuis actibus adæquatis, & conſequenter pendebit ab illis, tamquam à fine, ſeu termino extrinſeco, qui terminat dependentiam ipſarum eſſentialem, & ita ex vnitate, vel diuerſitate actuum adæquatorum optimè colligi à priori, & tãquam à cauſa formali extrinſeca vnitatem, vel diuerſitatem ſpecificam potentiarum. Neque obſtat, quod aliquì obijciunt, ſcilicet, potẽtias eſſe cauſas, ſaltem vt *quo*, efficientes ſuorum actuum; nã cum cauſæ efficientes non reſpiciant eſſentiam, ſed exiſtentiam ſuorum effectuum, quod ex hoc infertur, ſolùm eſt, potentias non poſſe dependere à ſuis actibus adæquatis in genere cauſæ efficientis, & quoad ſuam exiſtentiam; non verò, quod non poſsint dependere à ſuis actibus adæquatis, tamquã à termino, ſeu cauſa formali extrinſeca quoad ſuam eſſentiam, vt nos aſſerimus; nã exiſtentia potentiarum non eſt de ipſarum eſſentia.

9 Similiter dicendum eſt, actus ſpecificari, & eſſentialiter diſtingui per ſua obiecta formalia, non quia ab obiectis formalibus procedant, in genere cauſæ efficientis (vt aliqui cõtendunt) tum, quia, vt modo dicebamus, cauſæ efficientes non reſpiciunt ſuos effectus

Digitized by Google

quoad eſſentiam; ſed ſolùm quoad exiſtẽtiam; tum etiam, quia actus tam potentiæ appetitiuæ, quàm augmentatiuæ non pendent à ſuis obiectis formalibus in genere cauſæ efficientis; ſed quia actus, cum ſolùm dentur ad hoc, vt per ipſos potentiæ actualiter attingãt ipſorum obiecta formalia, de intrinſeca, & eſſentiali ratione ipſorũ erit actualis coaptatio, ſeu commenſuratio cum ſuis formalibus obiectis; & conſequenter eorum eſſentia pẽdebit à ſuis obiectis formalibus; tanquam à fine, ſeu termino extrinſeco terminante dependentiam eſſentialem ipſorum; & ita ex diuerſitate obiectorum formalium, optimè colligi à priori, & tanquam à cauſa formali, extrinſeca diuerſitatem actuum.

10 Secundum, quod vertitur in dubium eſt, an potentia viſiua hominis, & potentia viſiua leonis (exempli gratia) ſint potentiæ diſtinctæ in ſpecie? Huic dubio reſpondet Rubius tractatu de *potentijs animæ*, quæſt. 8. num. 123. prædictas potentias non diſtingui ſpecie, ſed eſſe abſque dubio eiuſdem ſpeciei; & eius fundamẽtum eſt, quia actus adæquatus, qui eſt à quo potentiæ ſumunt ſuam ſpecificationem, eſt eiuſdem ſpeciei.

11 Sed ego non capio, quo pacto ſit poſsibile, quòd animę diuerſæ ſpeciei, vt ſunt animæ hominis, & leonis, habeant potentias eaſdem in ſpecie, ſuſtinendo, vt ſuſtinere tenemur; potentias animæ eſſe proprias paſsiones eius, & proprietates ei quarto modo cõuenientes. Nec refert, quòd reſpondet Rubius, prædictas potentias viſiuas non emanare ab anima hominis, & leonis, vt ſunt formæ diſtinctæ in ſpecie, ſed vt ſunt formæ eiuſdem generis; nam etiamſi potentia viſiua hominis non emanet ab illius anima, vt rationalis eſt; ſed vt ſenſitiua eſt; tamen anima ſenſitiua hominis ſpecie diſtincta eſt ab anima ſenſitiua leonis: ac per conſequens iſtæ potentiæ viſiuæ leonis, & hominis ab animabus diſtinctis in ſpecie emanabunt, et. ãlĩ vtraque ſenſitiua ſit, & ſub eodem genere contenta.

12 Ad fundamentum Rubij reſpondemus, quòd cum dicimus, potentias ſpecificari ab actibus adęquatis, & ſimiliter actus ſpecificari ab obiectis formalibus, intelligendum eſſe completiuè, & quaſi in genere cauſæ formalis; tamen initiatiuè, & quaſi in genere cauſæ materialis potentias ſpecificari, ab eſſentijs, è quibus profluunt, & actus à potentijs, quarum ſunt actus; & ideò potentiam viſiuam hominis, & potentiã viſiuam leonis eſſe diſtinctas in ſpecie; quia animæ, ſeu eſſentiæ, à quibus profluũt, diſtinctæ in ſpecie ſunt.

13 Ne-

Digitized by Google

13 Neque hic modus philoſophandi de potentijs ſingularis eſt; nam etiam de relationibus idem docuimus in Logica capite de relatione, diſput. 3. quæſt. 2. ſcilicet, ſpecificari à terminis formalibus completiuè, & quaſi in genere cauſæ formalis, & à fundamentis initiatiuè, & quaſi in genere cauſæ materialis: imò de ente naturali fatentur omnes ſuam ſpecificationem accipere non ſolum à forma, ſed etiam à materia, ex quibus eſſentialiter conſtat; ſed cum hoc diſcrimine, quòd à forma ſumit ſuam ſpecificationē completiuè, & in genere cauſæ formalis; à materia verò initiatiuè, & in genere cauſæ materialis.

14 Et ſi aliquis obijciat, ſequi ex hoc, eodem modo eſſe philoſophandum de viſionibus actualibus, quibus homo, & leo vident idem formale in ſpecie obiectum, ſcilicet, aliquod album, nimirum, prædictas viſiones eſſe diſtinctas in ſpecie. Reſpondemus actualem viſionem dupliciter expectari poſſe, ſcilicet, materialiter, & in eſſe rei; & formaliter, & in eſſe repręſentationis formalis, & expreſsæ ſui obiecti. Si materialiter, & in eſſe rei actuales viſiones ſupradictæ conſiderentur, verum eſt eſſe diſtinctas in ſpecie propter eaſdem rationes, quibus idem probauimus de potentijs viſiuis hominis, & leonis: at ſi cōſiderentur formaliter, & in eſſe repręſentationis formalis, & expreſſæ ſui obiecti, eſſe eiuſdem ſpeciei, non ſecus, ac eſt eiuſdē ſpeciei obiectum, quod formaliter, & expreſsè repræſentant; quod poſſumus declarare, & comprobare exēplo duarum ſtatuarum Cæſaris, vna lignea, & altera lapidea, quæ ſi materialiter, & in eſſe rei conſiderētur, diuerſæ ſunt in ſpecie; at verò ſi conſiderentur formaliter, & in eſſe repræſentationis formalis, & expreſſæ ſui obiecti, eiuſdem ſunt ſpeciei. Et ſimiliter exemplo creationis Angeli, & creationis animæ rationalis, quę ſi materialiter, & in eſſe rei conſiderentur, diuerſæ ſunt in ſpecie; ſecus autem ſi conſiderentur formaliter, & in eſſe modali actionis: ſicuti ė cōtra ſæpè dictum eſt generationem, & reſurrectionem hominis materialiter, & in eſſę rei conſideratas eiuſdem eſſe ſpeciei; ſecus verò ſi formaliter, & in eſſe mutationum expectentur.

15 Tertium, & vltimū, quod vertitur in dubium, eſt, vndènā dignoſcendum ſit, quod actus ſit adæquatus potentiæ, vel inadæquatus? Cui dubitationi (omiſsis pluribus alijs modis philoſophandi) reſpondemus, hoc dignoſcendum eſſe ex modo, quo obiecta mouent potētias ad eiiciēdos actus circa ea; nam ſi plura obiecta formalia moueant potētiam ſub eadem communi ratione, vt contin-

gīt

git in albedine, & nigredine; mouent enim potentiam viſiuam ratione coloris, quæ eſt ratio vtrique communis, ac tunc, quem elicit potentia viſiua circa quodlibet ipſorum, erit inadæquatus potentiæ viſiuæ, non obſtante, quòd viſio albedinis, & viſio nigredinis ſint viſiones diſtinctæ in ſpecie. Si verò plura obiecta formalia non poſſint mouere potentiam ſub aliqua ratione, ipſis communi; ſed potiùs diuerſa, vt contingit in obiectis formalibus intellectus ex vna parte, & obiectis formalibus voluntatis ex alia; obiecta enim intellectus mouent illum ſub ratione entis; voluntatis verò ſub ratione boni; actus, quos ellicit intellectus circa ſua obiecta, erunt ipſi adæquati: ſicuti & voluntati actus, quos elicit circa ſua obiecta. Quo autem pacto potentię vitales generaliter ſumptæ, vt ſunt vegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, locomotiua, & intellectiua diſtinguātur interſe, explicuimus ſup. diſput. 2. huius libri, q. 1. num. 9.

DISPVTATIO QVARTA.

De potentijs animæ vegetatiuæ, & de actibus eius.

EGIMVS de anima, & de potentijs eius in communi; ordo doctrinæ poſtulat, vt incipiamus agere de animabus, & de potentijs, actibuſque earum in ſpeciali. Incipimus autem ab anima vegetatiua, & à potētijs, & actibus eius; quia hæc in omnibus viuentibus reperitur. Diſputat autem Ariſtoteles de potentijs, & actibus animæ vegetatiuæ cap. 4. huius libri. Et cùm experientia conſtet, dari in viuentibus potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam, quæ ſunt potentię, quæ animæ vegetatiuæ correſpondent; experimur enim, viuentia per intus ſumptionem augeri, nutriri, & generare ſibi ſimile; ideò non eſt, cur in dubium reuocemus harum potētiarum exiſtentiam: quinque autem in dubium reuocari poſſunt; Primum, *quid ſit potentia nutritiua?* Secundum, *Vtrùm potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua realiter diſtinguātur?* Tertium, *Quidnam ſit ſubiectum nutritiuæ, augmentatiuæ, & generatiuæ potentiæ?* Quartum, *Quid ſit generatio viuentis?* Quintum, *In quo ſenſu generare ſibi ſimile ſit naturaliſſimum opus viuentis?*

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit potentia nutritiua?

1 NOmine potētiæ nutritiuæ non intelligimus facultates illas, quæ nutritioni deſeruiunt, videlicet, attractiuam, & retentiuam alimenti, concoctiuam illius, & expulſiuam excrementorum; quia in nullo ex his actibus conſiſtit formaliter nutritio; ſed ſolùm diſpoſitiuè, vt latius diximus 1. libro de generatione, diſp. 4. q. 1. ſed intelligimus ſolam facultatem vi cuius alimentū, iam vltimatè diſpoſitum conuertitur in ſubſtantiam aliti; quia in ſola iſta actione, vt loco citato diximus, cōſiſtit formaliter nutritio. Et quamvis quæſtionem hanc maioris claritatis, & breuitatis cauſa, ſolùm de potentia nutritiua diſcutiamus; nihilominus quod circa illam dictum fuerit, id ipſum de alijs duabus potentijs vegetatiuis, augmentatione, ſcilicet, & generatione intelligendum eſt.

2 Auctores, qui loquentes de potentijs animæ in communi, affirmabant (vt diſputatione præcedenti, q. 1. vidimus) eſſe accidentia, ad ſecundam ſpeciem qualitatis ſpectātia, dum ad explicandum, quid ſit potentia nutritiua accedunt, conſequēter affirmant, eſſe quoddam accidens, ſpectans ad ſecundam ſpeciem qualitatis: ſed in explicando, quæ ſit hæc qualitas, in qua potentia nutritiua conſiſtit, valdè inter ſe diſſident.

3 Quidam ex eis affirmant, hanc qualitatem non eſſe diuerſam, ſeu diſtinctam à temperamēto quatuor primarum qualitatum elementorum, quę ſecundum iſtos auctores formaliter manent in miſto, & præcipuè dicunt conſiſtere in calore non diſtincto ſpecie ab elementali: ita Commentator 4. Metaph. cap. 12 Zimarra theoremate 73. Suarez libro 2. de anima cap. 9. & probant.

4 Primò ex Ariſtotele, qui concoctionem alimenti attribuit calori naturali cap. 4. huius libri, text. 50. imò augmentationem, & conſequenter nutritionem, quæ neceſſariò augmentationem antecedit, calori attribuit libro de ſenſu, & ſenſibili, cap. 4.

5 Secundò probant rationibus; prima, ad introductionē formæ ſubſtantialis aliti in materiam alimenti, ſufficit producere in alimento temperamen-

mentum primarum qualitatũ, diſponens vltimatè materiam alimenti ad introductionem formæ ſubſtantialis aliti; ergo hoc etiam erit ſufficiens ad nutritionem; ſiquidem nutritio formaliter conſiſtit in introductione formæ ſubſtantialis aliti in materiam alimenti; ſed virtus, ſeu potentia producens in alimento temperamẽtum primarum qualitatum, neceſſarium ad introductionẽ formæ ſubſtantialis aliti, eſt ipſummet temperamentum primarum qualitatum, reſidens in viuente, quod nutritur; ergo in prædicto temperamento conſiſtet formaliter potentia nutritiua, ſecluſa quacumque alia qualitate.

6 Secunda; ad vnicam actionem ſufficit vna potentia; ſed nutritio eſt vnica actio, & calor, ſeu temperamentum primarum qualitatum, ex Ariſtotele locis ſupra citatis, eſt potẽtia, ſeu inſtrumentum nutritionis; ergo ſuperfluè quæritur aliud principium, quod ſit potentia nutritiua.

7 Alij vero ex ſupradictis auctoribus ſuſtinent, hanc qualitatem, in qua potentia nutritiua conſiſtit, non eſſe tẽperamentum quatuor primarum qualitatum elementorũ, quæ formaliter manent in mixto, neque calorem elementalem; ſed quandam aliam qualitatem ſuperiorem omnibus primis qualitatibus elementorum, & temperamento earum, vtentem calore, aut temperamento primarum qualitatum, tanquam inſtrumentis in ipſa nutritione: ita recentiores Thomiſtæ; Patres Carmelitani diſputat. 8. quæſtio. 4. §. 2. Ioannes à Sancto Thoma, quæſt 3. articul. 2. Rubius tractatu *de potentijs animæ vegetatiuæ*, quæſt. 1. & deſumpſerunt ex Diuo Thoma 2. contra gentes, capit 61. & 1. part. quæſtio. 78. articul. 2. ad 2. & quæſt. 118. art. 1. ad 3. & probant.

8 Primò ex Ariſtotele, qui 2. libro de *generatione* animalium, capit. 4. expreſsè affirmat, quòd virtus, ſeu potentia vegetalis efficit in viuentibus augmentum, vtendo caliditate, & frigiditate, quaſi inſtrumento; ergo ſupponit Ariſtoteles, potentiam augmentatiuam; & conſequenter nutritiuam diſtingui à calore, ſeu à temperamento primarum qualitatum elementaliũ; aliàs non rectè diceretur, vti calore, ſeu temperamento primarum qualitatum, vt inſtrumento.

9 Secundò probant rationibus: prima; nutritio eſt actio vitalis; ergo potentia nutritiua, à qua proximè, & immediatè procedit, debet eſſe vitalis; ſed calor, ſeu temperamentum primarum qualitatum elemẽtorum, quæ formaliter (in ſententia cõtraria) manẽt in mixto,

Digitized by Google

non ſunt aliquid vitale; ergo potentia nutritiua neque in calore, neque in temperamento primarum qualitatum elementorum, poterit formaliter conſiſtere.

10 Secunda: potentiæ vitales oriuntur, ſi ſunt non organicæ, vt intellectus, & voluntas, ab eſſentia animæ, vt propriæ paſsiones illius; & ſi ſunt organicæ, vt ſunt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, ab eſſentia illius organi ſubſtantialis, corporei, & animati, in quo reſident; ergo ſunt eiuſdem ordinis, vel cum ipſa anima, vel cum illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo reſident; ſed calor, ſeu temperamentum primarum qualitatum elementorum non ſunt eiuſdem ordinis, neque cum anima, neque cum organo ſubſtantiali, corporeo, & animato; nam reperiuntur in rebus inanimatis, quæ ſunt ordinis inferioris; ergo neque potentia nutritiua, neque potentia illa vitalis poterit formaliter conſiſtere in calore, ſeu temperamento primarum qualitatum elementorum.

11 Tertia, & eſt ratio ad hominem: auctores contrariæ ſententiæ ſuſtinent, calorem, ſeu temperamentum primarum qualitatum, quod eſt in homine, non diſtingui ſpecie à calore, ſeu temperamento primarum qualitatum elemētorum, quod eſt in equo; ſed potentia nutritiua, quæ eſt in homine, eſt ſpecie diſtincta, à potentia nutritiua, quæ eſt in equo, non ſecus, ac ſunt ſpecie diſtinctæ anima hominis, & equi, cuius ſunt propriæ paſsiones; nequit ergo potentia nutritiua cuiuſcumque viuentis in calore, ſeu temperamento primarum qualitatum elemētorum, formaliter, & intrinſecè conſiſtere.

12 Nos autem, qui loquentes de potentijs animæ in communi cum Scoto, & alijs firmiter ſtatuimus diſputatione precedenti quæſt. 1. potentias animæ non eſſe accidentia, ſed facultates ſubſtantiales, ſi non ſunt organicæ, vt intellectus, & voluntas, idem realiter cum anima, & ſolùm tam ab illa, quàm inter ſe ex natura rei formaliter diſtinctas: ſi verò ſunt organicæ, vt vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, idem realiter cum illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet, & ſolùm ab illo ex natura rei formaliter diſtinctas; nunc de potentia nutritiua in ſpeciali loquentes, conſequēter aſſerimus, potentiam nutritiuam formaliter, & intrinſecè non conſiſtere in calore, ſeu tēperamento primarum qualitatum elementorum, vt priores auctores ſuſtinebant; neque in aliqua qualitate ſuperiori, & ſpecie diſtincta ab omnibus primis qualitatibus, quam auctores poſteriores confingunt, & ipſam voluntariè vitalē appel-

Digitized by Google

pellant; ſed formaliter, & intrinſecè conſiſtere in quadam facultate ſubſtantiali, quæ eſt idem realiter cum organo ſubſtantiali corporeo, & animato, quæ eo ipſo vitalis erit, & ſolùm ab eo ex natura rei formaliter diſtincta.

13 Hoc aſſertum probandũ eſt eiſdem rationibus, quibus diſputatione præcedenti, quæſtio. 1. idem probauimus de omnibus potentijs animæ. Videantur ibi dicta. Imò loquẽdo in ſpeciali de potentia nutritiua, cum ſit productiua ſubſtantiæ partialis, ſi poneretur eſſe accidens, & non ſubſtantia; ſequeretur, accidens, ſaltem inſtrumentaliter attingere effectiuè productionem ſubſtantiæ; quod etſi ab aduerſarijs deuoretur; ſed rem crudam devorare, latè cum Scoto oſtendimus libro 2. Phyſicorum diſp. 4. q. 7. videantur ibi dicta.

14 Ad ea, quæ adducta ſunt in contrarium in priori modo philoſophandi, reſpondemus; ad primam auctoritatem Ariſtotelis dicimus, concoctionem alimenti non eſſe formaliter nutritionem; ſed diſpoſitionem ad formalem nutritionem præviè requiſitam: vnde ex eo, quòd Ariſtoteles tribuat calori naturali concoctionem alimenti, ineptè ſatis inferri, calorem naturalem eſſe formaliter potentiam nutritiuã; nam potentia nutritiua non conſiſtit formaliter in principio, ſeu virtute diſponente ad nutritionem; ſed in principio, ſeu virtute effectiua ipſius nutritionis. Ad ſecundam auctoritatem reſpondemus, Ariſtotelem attribuere augmentationem, & nutritionem calori naturali, tamquam principio diſponenti alimentũ ad augmentationem, & nutritionem requiſito; non vero tãquam principio effectiuo ipſius nutritionis, & augmentationis, quod eſt, in quo formaliter debet cõſiſtere potentia nutritiua, & augmentatiua.

15 Ad primam rationem dicimus, ad introductionem formæ ſubſtantialis aliti in materiam alimenti in genere cauſæ diſpoſitiuæ ſufficere quidem producere in alimento temperamentum primarum qualitatum, diſponens vltimatè materiam alimenti ad introductionem formæ ſubſtantialis aliti; non tamen in genere cauſæ effectiuæ; ſed ad hoc deſiderari quandam facultatem in viuẽti, vi cuius talis forma ſubſtantialis aliti in materiam alimẽtiam vltimatè diſpoſitã, effectiuè introducatur; & in hac facultate, quæ vitalis eſſe debet, & conſequenter ſubſtantialis, idemque realiter cum organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo reſidet, potẽtiam nutritiuam formaliter, & intrinſicè conſiſtere; non verò in temperamento aliquo pri-

Digitized by Google

marum qualitatum, neque in aliqua alia qualitate, quæcũque contingatur.

16 Ad ſecundam fatemur, nutritionem eſſe vnicam actionem, & ſimiliter ad vnicam actionem ſufficere vnam potentiam; ſed negamus, ex Ariſtotele calorem, ſeu temperamentum primarum qualitatum eſſe potentiam efficiẽter attingentem nutritionem; quia, vt ſupradictum eſt ex Ariſtotele, ſolùm habemus, calorem naturalem, ſeu temperamentum ortum ex primis qualitatibus eſſe principium attingens diſpoſitionem neceſſariam ad nutritionem; & ideò non ſuperfluè, ſed neceſſariò quæri aliud principium, efficienter attingens nutritionem, in quo potentia nutritiua formaliter, & intrinſecè cõſiſtat.

14 Ad argumenta adducta in contrarium in ſecundo modo philoſophandi, qui communis, & receptus eſt apud Thomiſtas, reſpondemus, probare optimè primam partem noſtri aſſerti, ſcilicet, potẽtiam nutritiuam non poſſe formaliter, & intrinſecè conſiſtere in calore, ſeu temperamento primarum qualitatum; ſed in aliquo ab his diſtincto; non tamen probare, quod contendunt ipſi Thomiſtæ, ſcilicet, id diſtinctum, in quo formaliter, & intrinſecè conſiſtit potentia nutritiua, eſſe quamdam qualitatem diſtinctam, & ſuperiorem omnibus primis qualitatibus, & temperamentis earum; ſed potius, quod conuincunt, eſſe id, quod nos in vltima parte aſſerimus, ſcilicet, quandam facultatem nutriendi ſubſtantialem idem realiter cum organo ſubſtantiali, corporeo & animato, in quo reſidet, & ſolùm ab eo ex natura rei formaliter diſtinctam. Et quod hoc ſit verum, patet, quia illa tria, quæ in prędictis argumentis ſupponuntur; primum, *potentiam nutritiuam eſſe vitalem*: ſecundum; *potentiam nutritiuam eſſe eiuſdem ordinis cum illo organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, à cuius eſſentia, vt propria paſſio dimanat*: tertium, *potentiam nutritiuam, quæ eſt in homine, eſſe ſpecie diſtinctam à potentia nutritiua, quæ eſt in equo*, optimè omnia, & abſq; vlla difficultate verificantur de facultate nutritiua, quæ ſit ſubſtantia non diſtincta realiter ab organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, ſed ſolum ex natura rei formaliter: ſecus verò de facultate, quæ ſit qualitas, & accidens realiter diſtinctum ab organo ſubſtantiali, corporeo, & animato, in quo reſidet potentia nutritiua; etiamſi hæc qualitas eminentior, & ſuperior omnibus primis qualitatibus, & omnibus temperamentis earum con-

confingatur, dummodo in linea qualitatum, & accidentiũ relinquatur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua realiter, & eſſentialiter diſtinguantur?

1 PRO meliori intelligentia eorum, quæ attingenda ſunt in hac quæſtione circa diſtinctionem potentiarum animæ vegetatiuæ inter ſe, notandum eſt, hoc eſſe diſcrimen inter potentias animæ intellectiuas, appetitiuas, & ſenſitiuas ex vna parte, & potentias vegetatiuas, vt ſunt, nutritiua, augmentatiua, & generatiua ex alia; quòd priores ex his potentijs, cum non ſolum ſint productiuæ ſuorum terminorum, puta intellectionum, volitionum, viſionum, &c. ſed etiam ſint operatiuæ circa aliquod obiectum (recipiendo enim in ſe, vt de facto recipiunt ſuos terminos, ſeu operationes, quas producunt; ab illis habent in genere cauſæ formalis reſpicere, ſeu operari circa obiecta prædictarum operationum, denominanturque formaliter intelligentes, volentes, videntes, &c.) hinc eſſe, vt iſtæ priores potentiæ non ſolùm ſpecificentur à terminis, ſeu actibus adæquatis, quos producunt, in quantum principia productiua ſunt; ſed etiam ab obiectis formalibus adæquatis, quæ à ſuis terminis, ſeu actibus adæquatis reſpiciuntur, in quantum principia appetitiua ſunt; vt diſputat. præcedenti, quæſt. 2. ſtabilibimus. At potentiæ vegetatiuæ, nutritiua, ſcilicet, augmentatiua, & generatiua, cum termini, quos producunt, non ſint operationes vitales, reſpicientes aliquod obiectum; ſed potiùs nutritionis, & generationis terminus productus ſit ſubſtantia, & augmentationis quantitas; hinc eſſe, vt à terminis, quos producunt (adhuc admiſſo, quòd illos in ſe recipiant) non poſsint in genere cauſæ formalis reſpicientes, ſeu operantes circa aliquod obiectum denominari; & conſequenter, neque ab aliquo obiecto ſuorum terminorum ſpecificationem, & diſtinctionem ſumere, ſicut ſumunt potentiæ intellectiuæ, appetitiuæ, & ſenſitiuæ. Nihilominus ſumendo obiectum magis latè, ſcilicèt, pro materia, circa quam operantur, quæ eſt acceptio, in qua Ariſtoteles ſumpſit obiectum, cum hic textu 33. alimentum obiectum tam nutritiuæ, quàm augmentatiuæ appellauit, fatendum eſt, potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam non ſolùm à ſuis terminis adæquatis; ſed etiam

etiam à ſuis obiectis, id eſt, à materijs, circa quas verſantur, ſpecificationem, & diſtinctionem ſumere; non ſecus, ac artes ab obiectis, ſeu materiis, circa quæ verſantur, ſpecificationem, & diſtinctionem ſumunt.

2 Hoc prænotato; conueniunt auctores, illas tres functiones, quas Ariſtoteles hic cap. 4. animæ vegetatiuæ attribuit, ſcilicet, *nutrire, augere, & generare*, ſi formaliter, & in eſſe mutationum conſiderentur, non ſolùm realiter, ſed etiam eſſentialiter differre: & dico notanter ſi formaliter, & in eſſe mutationum conſiderentur; nam ſi conſiderentur materialiter, & in eſſe rei, patet ex dictis libro 1. de generatione diſput. 4. nutritionem & generationem ſolùm accidentaliter differre. Diſsidium autem inter ipſos eſt in explicando, vtrùm iuxta numerum, & ſpeciem harum functionum multiplicandæ ſint potentiæ animæ vegetatiuæ, & conſequenter, an ſint realiter, & eſſentialiter diſtinctæ inter ſe potentia nutriens, augens, & procreans? An verò ſit eadem numero, & eſſentialiter potentia, valens has tres functiones realiter, & eſſentialiter diuerſas exercere?

3 Plures auctores affirmant, potentias animæ vegetatiuæ, nutritiuam, ſcilicet, augmentatiuam, & generatiuam diſtinguendas eſſe iuxta numerum, & eſſentiam prædictarum functionum; ac per conſequens tam realiter, quàm eſſentialiter diſtingui: ita communiter Thomiſtæ, inter quos ſunt Patres Carmelitani diſputat. 8. quæſt. 3. §. 2. qui pro ipſa citant Diuum Thomam 1. parte, quæſt 78. articul. 2. & ibi Caietanum, & quàm plures alios. Et quoad diſtinctionem potentiæ nutritiuæ à generatiua, idem ſentiunt Appollinaris hic quæſt. 9. Iabellus quæſt. 18. & Murcia diſputat. 3 quæſtio. 1. & 2. nam de potentia nutritiua, & augmentatiua ſuſtinent oppoſitum.

4 Probari ſolet hæc ſententia; primò, quia potentiæ realiter, & eſſentialiter diſtinguuntur per ordinem ad actus earum adæquatos; ſed nutrire, augere, & generare ſunt actus adæquati, & inſuper ſunt actus realiter, & eſſentialiter diſtincti; ergo potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua, quæ ſunt potentiæ, quibus actus iſti correſpondent, erunt etiam potentiæ realiter, & eſſentialiter diſtinctæ. Minorem quoad illam partem, in qua eſſe poteſt difficultas, ſcilicet, prædictos actus eſſe adæquatos, inde probant, quia hi actus ordinantur

ad

ad diuerſos fines, nimirum, nutrire ad conſeruationem indiuidui; augere ad debitam illius accretionem; & generare ad conſeruationem ſpeciei.

5 Secundò probant, ſaltem diſtinctionem realem inter potentiam nutritiuam, & augmentatiuam interuenire his rationibus: prima; cum viuens peruenit ad ſtatum, ſeu conſiſtentiam, amittit potentiam augmentatiuam, ſuperſtite potentia nutritiua; ſiquidem viuens, quamdiu viuit (vt docuit Ariſtoteles, & experientia oſtendit) nutritur, & tamen poſt ſtatum, iam non augetur, ſeu accreſcit; ergo potentia nutritiua diſtinguitur realiter à potentia augmentatiua; alioqui eadem potentia maneret, & non maneret, quod implicationem involvit.

6 Secunda; obiectum, ſeu materia, circa quam nutritionis (vt docet Ariſtoteles hic textu 33.) eſt alimentum, provt eſt ſubſtantia; obiectum verò, ſeu materia, circa quam augmentationis eſt idem alimentum, provt quantum; ſed ratio ſubſtantiæ, & ratio quantitatis differunt prædicamento; ergo ex tanta diſtinctione obiectorum, ſeu materiæ, circa quam verſantur potentia nutritiua, & augmētatiua, optimè arguitur diſtinctio realis inter has potentias.

7 Tertiò probant, inter potentiam nutritiuam, & generatiuam interuenire ſaltem diſtinctionem realem, ſimilibus rationibus, quibus conati ſunt probare diſtinctionem realem inter potentiam nutritiuam, & augmentatiuam: prima; ſeparatio realis inter duo ſignum eſt euidens diſtinctionis realis inter illa; ſed potentia generatiua realiter ſeparatur à nutritiua, vt experientia oſtendit in multis animalibus, in quibus eſt potentia nutritiua, ſecus verò generatiua; ergo negari non poteſt, ſaltem diſtinctio realis inter potentiam nutritiuam, & generatiuam.

8 Secunda; quando alicui potentiæ conuenit aliqua operatio, quæ alteri non conuenit, ſignum eſt diſtinctionis realis inter illas; ſed potentiæ generatiuæ competit aliqua operatio, quæ non competit potentiæ nutritiuæ; ergo ſignum eſt diſtinctionis realis inter potentiam generatiuam, & nutritiuam. Minorem probant, quia potentiæ generatiuæ competit formatio membrorum, & tamen hęc operatio non competit potentiæ nutritiuæ, quandoquidem, ſi alicui abſcindatur brachium, non reſtituitur à potentia nutritiua, quæ ſanè id reſtitueret, ſi eſſet eadem cum potentia generatiua, quæ illud primò formauit.

9 Tertia; potentia nutritiua per totum corpus diffuſa

eſt; generatiua verò certam diffinitamque ſedem obtinet, videlicet, vbi ſuperfluum alimenti conuertitur in ſemen; ſed ea, quæ ſubiecto diſtinguuntur, idem realiter eſſe nequeunt; ergo negari non poteſt, quòd potentia nutritiua à generatiua realiter diſtinguatur.

10 His tamen non obſtantibus, tenendum eſt, neque potentiam nutritiuam ab augmentatiua, neque à generatiua, neque eſſentialiter, neque realiter diſtingui; & conſequenter neque augmentatiuam, & generatiuam inter ſe (quia, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe) ſed potius vnam, & eamdem numero potentiam ſufficere ad hoc, vt viuens has tres functiones, *nutrire, augere, & generare*, quamtumvis diuerſæ ſint, exercere valeat: quæ potentia, in quantum eſt principium nutriendi, dicitur nutritiua, & in quantum eſt principium augendi, dicitur augmentatiua, & denum in quãtum eſt principium generandi, id eſt, conuertendi reſiduum alimenti in ſemen, quod eſt inſtrumentum generationis, dicitur generatiua: ita plures auctores, inter quos ſunt Durandus in 1. diſtinct. 3. in 2. parte diſtinctionis, quæſt. 2. Philoponus hic ad textum 46. Niphus ad textum 42. Valleſius libro 2. *controuerſiarum medicarum*, capit. 19. & 20. Conimbricẽſes capit. 4. quæſtio. vnica; Suarez libro 2. *de potentijs animæ in communi*, cap. 9. & 10. Rubius tractatu de *potentijs animæ vegetatiuæ*, quæſtio. 2. Et quoad potentias nutritiuam, & augmentatiuam idem affirmant Apollinaris, Iabellus, & Marcia locis ſupra num. 3. citatis.

11 Ducor ad hoc aſſerendum primò; quia quòd hæ potentiæ non ſint realiter diſtinctæ, eſt doctrina expreſſa Ariſtotelis, qui libro de *generatione animalium*, capit. 4. ante medium, poſtquam dixerat, eamdem facultatem animæ vegetatiuæ generare ſibi ſimile, & augere; magis id explicans ſubdit hæc verba, *Eadem enim materia eſt, ex qua augetur, & ex qua conſtituitur primum: itaque facultas quoque augens eadem, quæ in principio eſt, ſed maior*, quaſi dicat, facultatem animæ vegetatiuæ, per quam auget, nutrit, & generat, ſe habere, ſicut puerum, & virum; nam in principio quaſi parua eſt, non ſe extendens ad omnes actus ſibi proprios; ſed ſolùm ad nutriendum, & augendum proprium corpus; ſed tandem fit maior, & ſe extendens ad generandum; ſed eadem eſt ſemper; ſicut & idẽ eſt homo in ſtatu pueritiæ, ac virili.

12 Item

12 Item idem Ariſtoteles hoc in libro capit.4.textu 42. ſic ait, *Quoniam autem eadem potentia animæ eſt vegetatiua, & generatiua, de alimento neceſſarium eſt determinare primum*; nihil certè expreſsius dici potuit. Neque obſtat, quod reſpondet Caietanus, nimirum, in prædicta comparatione nomine potentiæ vegetatiuæ nō intellexiſſe Ariſtotelem potentiam nutritiuam, & augmentatiuam, ſed potentiam vegetatiuam in communi; Tum, quia ſi per potētiam vegetatiuam non intelligeret nutritiuam, & augmentatiuam, non rectè inferret ex identitate generatiuæ, & vegetatiuæ eſſe neceſſarium agere de alimento; ſiquidem alimentum non eſt obiectum, ſeu materia, circa quam, potentiæ vegetatiuæ in communi; ſed potentiæ vegetatiuæ in ſpeciali, nutritiuæ, ſcilicet, & augmentatiuæ, vnius, inquam, in quantum ſubſtantia, alterius in quantum quantum, vt ipſemet Ariſtoteles fallus eſt. Tum etiam, quia ſi nomine vegetatiuæ intelligeret vegetatiuam in communi, ineptam comparationem faceret; nam redderet hunc ſenſum, potentia vegetatiua in communi, & potentia generatiua eſt eadem potentia vegetatiua; quæ comparatio inepta eſt, non ſecus, ac iſta, ſenſus in communi, & viſus eſt idem numero ſenſus.

13 Secundò ducor, quia, vt ex dictis quæſtione vltima diſputationis præcedentis patet, potentiæ non ſpecificantur, nec multiplicantur, à quibuſcumque actibus; ſed ab actibus adæquatis. Exiſtimo autē, nutrire, augere, & generare ſemen, quod eſt inſtrumentum generationis viuentis, eſſe actus inadæquatos potentiæ vegetatiuæ; ac per conſequens ab eadem numero facultate, ſeu potentia poſſe elici, etiamſi ipſi differant ſpecie, vel genere; non ſecus, ac eliciuntur ab eadem numero potentia intellectiua actus fidei, actus opinionis, & actus ſcientiæ, qui diuerſi ſunt in ſpecie, ſeu genere.

14 Aſſumptum probo, quia illa met virtus, quæ eſt ſufficiens ad nutriendum corpus, eſt etiam ſufficiens ad illud augendum, & ſimiliter eſt ſufficiens ad faciendum ſemen ex ſuperfluo alimento, in quo conſiſtit potentia generatiua viuentis, & non in virtute, in ſemine deciſo reſidente, vt ex dicendis conſtabit; ergo nutrire, augere, & generare, actus inadæquati ſunt eiuſdem numero potentiæ, ſeu virtutis animæ vegetatiuæ. Antecedens patet, nam per eamdem virtutem, per quam con-

con-

conuertitur vltimum alimentum, ſcilicet, ſanguis in ſubſtātiam aliti, & conſequenter nutritur viuens, producitur conſequenter, & tanquam effectus ſecundarius noua pars quantitatis in ſubſtantia aliti, neceſſariò concomitans nouā partem ſubſtantiæ, quam per nutritionem acquiſiuit; non ſecus, ac per eamdem virtutem, qua producitur calor in ſubiecto frigido, expellitur in genere cauſæ efficientis frigus à prædicto ſubiecto. Et ſimiliter tranſmutari poteſt ſuperfluum alimentum in ſemen in parte corporis ad hoc determinata pro generatione prolis; non ſecus, ac tranſmutatur (in omnium ſententia) ſanguis mammilarum in lac, & medulla in oſſa.

15 Tertiò ducor, quia cum natura compendio ſtudeat, & paucitatem magis, quàm multitudinem affectet, non ſunt multiplicandæ res, quanto minùs potentiæ ſine ratione cogente; ſed non eſt ratio cogens admittere diſtinctionem, neque eſſentialem, neque numericam in prædictis facultatibus, ſeu potentijs ad actus nutriendi, augendi, & generandi; ergo vna tantum dabitur potentia, à qua actus iſti adminiſtrentur: minor, in qua eſt tota difficultas, non meliùs probari poteſt, quàm ſoluendo ſigillatim argumenta, quæ adducta ſunt in prima ſententia ad oppoſitum probandum.

16 Ad primum, conceſſa maiori, negamus minorē quoad illam partem, ſcilicet, nutrire, augere, & generare eſſe actus adæquatos animæ vegetatiuæ; quia cum eadem virtus nutritiua ſit, & in augmentatiua, & generatiua ſeminis, vt probatum eſt, nutritio, augmentatio, & generatio, etiamſi ſint actus eſſentialiter, & realiter diſtincti, erunt actus inadæquati reſpectu illius. Neque obſtat, quòd finis immediatus nutritionis ſit conſeruatio indiuidui, & augmentationis debita illius accretio, & generationis ſpeciei conſeruatio; nam etiam hi fines reſpectu animæ vegetatiuæ ſunt fines inadæquati. Nam conſeruatio indiuidui, quæ fit per nutritionem, & debita illius accretio, quæ fit per augmentationem, ordinantur ad conſeruationem ſpeciei, quæ fit per generationem, tāquam ad finem vltimum, & per ſe primò intentum à natura, vt quæſtione vltima huius diſputationis dicemus explicando illud affatum Ariſtotelis, *naturaliſsimum opus viuentis eſt generare ſibi ſimile.*

17 Ad primam rationem ex his, quæ adducebantur in ſecundo argumento ad probandum diſtinctionem realem inter potentiam nutritiuam, & augmentatiuam, negamus an-

anteccdens, ſcilicet, in viuēte, quando peruenit ad ſtatum, ſeu conſiſtentiam, extingui potentiam augmentatiuam: licet enim non iam plus reponat, quàm dilabatur, & ideo viuens non dicatur augeri; adhuc tamen remanet eadem virtus, minus tamen firma, & robuſta, quàm antea: quemadmodum eadem potentia videndi manet in Socrate ſene, ac erat in eodem Socrate iuuene; minus tamen firma, & robuſta. Cur autem actus, quo viuens acquirit nouam partem non ſolum ſubſtantiæ; ſed etiā quantitatis, ipſam partem ſubſtantiæ concomitantem, dum peruenit ad ſtatum, & conſiſtētiam, non dicatur augmentatio, ſicut dicitur nutritio, explicuimus lib. 1. de generatione, diſp. 4. q. 2. à num. 10.

18 Ad ſecundam rationem dicimus, quamuis actus nutritionis, & augmentationis verſentur circa obiecta formalia prædicamento diuerſa, prædictam diuerſitatem non ſufficere ad arguendum potentiam realiter diſtinctam, eo quòd prædicti actus, ita ſunt connexi, vt per eādem virtutem, per quam conuertitur vltimum alimentum, ſcilicet, ſanguis in ſubſtantiam aliti, producitur conſequenter, & tamquam effectus ſecundarius noua pars quantitatis in ſubſtantia aliti, neceſſariò concomitans nouam partem ſubſtantiæ, quam per nutritionem acquiſiuit, vt num. 14. dicebamus: & modo confirmari poteſt inſtantia actuum generationis, & corruptioni, qui, etiamſi habeant obiecta, ſeu terminos formales, pluſquàm prædicamento diuerſos, cum terminus formalis generationis quid poſitiuum ſit; corruptionis verò quid negatiuum; nihilominus tanta diuerſitas non arguit diuerſam potentiam effectiuam, non alia ratione, niſi quia iſti actus ita ſunt connexi, vt per eandem virtutem effectiuam, qua producitur actus generationis, conſequenter, & tamquam effectus ſecundarius reſultat corruptio, ipſam generationem neceſſariò conſequens.

19 Ad ſecundam rationem ex adductis in tertio argumento ad probandum diſtinctionem realem inter potentiam, nutritiuam, & generatiuam, conceſſa maiori, negamus minorem: & ad inſtantias, quibus illam probare nituntur aduerſarij, concedimus, plura animalia non generare, etiamſi nutriantur: ſed hoc dicimus prouenire, non ex defectu potentiæ generatiuæ; ſed ex defectu alicuius conditionis, ad prorumpendum in actum, in prædicta potentia generatiua requiſitæ, vt ſunt tres ab Ariſtotele in 4. capite huius libri numeratæ, ſcilicet, perfecta ætas, habere teſticulos, & non ha-

& non ha-

Google

habere eſſe ex putrefactione terræ, & aliæ ſimiles.

20 Ad ſecundam; quidquid ſit de veritate maioris propoſitionis, negamus minorem; & ad probationem dicimus, falſum eſſe, quod in ipſa ſupponunt aduerſarij, ſcilicet, potentiæ nutritiuæ non poſſe competere formationem membrorum; oppoſitum enim experimur in arboribus, in quibus præciſi rami denuo pullullant, & iuſtam magnitudinem, & figuram aſſequuntur, non vtique alterius virtutis, quam nutrientis miniſterio: idem quoque videre eſt in hominibus præſertim infantibus, in quibus non rarò aliqua membra ſolida regenerari conſueverunt. Neque obeſt, quòd amputatum brachium non reſtituatur à viuente; non enim id propterea accidit, quòd virtus nutritiua à generatiua re ipſa diſtinguatur; ſed quia, vt rectè ait Galenus libro de ſemine, cap. 17. virtus delineans, ſeu formans membra, non tam vehemens, & efficax eſt in prole genita ad reficienda eius membra, præſertim ſolida, & ea, quæ plus operæ exigunt, cuiuſmodi eſt brachiũ, quàm extitit in ſemine ad illa de integro coagmentanda.

21 Ad tertiam, & vltimam rationem (quæ, ſi quid probaret, probaret etiam non ſolùm potentiam generatiuam, ſeu conuerſiuam ſuperflui alimẽti in ſemen realiter diſtingui a nutritiua; ſed etiam diſtingui realiter à nutritiua, tam potentiam conuerſiuam alimenti in carnem, quàm potentiam conuerſiuam alimenti in oſſa, & potentiam conuerſiuam alimenti in neruos, & potentiam conuerſiuam alimenti in lac, & ſic de reliquis; nam potentia conuerſiua alimenti in carnem, ſolùm reſidet in carne, & potentia conuerſiua alimenti in oſſa ſolùm reſidet in oſsibus, & potentia conuerſiua alimenti in neruos ſolum reſidet in neruis, & potentia conuerſiua alimenti in lac ſolùm reſidet in mammilis, & ſic de reliquis.) Reſpondemus admittendo libenter, potentiam nutritiuam per omnia membra eſſe diffuſam; non ſecus, ac eſt diffuſa anima vegetatiua, cuius eſt potentia; ſed negamus, id non competere potentiæ generatiuæ, ſi potentia generatiua (& idem eſt iudicium de alijs potentijs conuerſiuis alimenti in aliquam ſubſtantiam viuentis) non formaliter, & in quantum generatiua eſt; ſed realiter, & quatenus cõuerſiua eſt alimẽti in aliquam ſubſtantiam viuentis, conſideretur. Itaque virtus, ſeu potentia conuerſiua alimenti in aliquã ſubſtantiam viuentis diffuſa eſt per omnia membra viuentis, licet ratione mẽbri, in quo reſidet, & illius diſpoſitionis, ſeu tem-

temperamenti diuerſa munera exerceat, à quibus diuerſas denominationes accipit; nam in membris ad generationem deſtinatis alimentum ſuperfluum conuertit in ſemen, & dicitur potentia generatiua ſeminis: in mammiiis conuertit alimentum in lac, & dicitur potentia generatiua lactis; in carne conuertit alimentum in carnem, & dicitur potentia aggeneratiua, ſeu nutritiua carnis: in oſsibus conuertit alimẽtum in oſſa, & dicitur potentia aggeneratiua, ſeu nutritiua oſſis, & ſic de reliquis.

22 Neque obſtat, quòd aliqui ex iunioribus Thomiſtis, inter quos ſunt Patres Carmelitani, obijciunt, ſcilicet, ſequi ex iſta ſolutione, quòd nulla eſſet ratio efficax ad conuincendum illum, qui aſſereret, potentiam viſiuam, auditiuam, & cæteros ſenſus externos non eſſe potentias realiter, & eſſentialiter diſtinctas; ſed eſſe eandem numero potentiã per totum corpus diffuſſam, licèt ratione organi, inquo vnaquæque reſidet, & illius diſpoſitionis, ſeu tẽperamẽti diuerſa munera exerceat, vt in oculo videre, in aure audire, &c.

23 Reſpondetur enim, rationem efficacem ad conuincendũ illũ, qui aſſereret, potentiam viſiuam, auditiuam, &c. non eſſe potentias realiter, & eſſentialiter diſtinctas, aliunde ſummendam eſſe, nimirum, ex eo, quòd potentiæ diſtinctionẽ, & ſpecificationem ſumũt ex obiecto formali, & adæquato ſuorum actuum: vndè, cum color, & lumen ſint obiectum adæquatum actuum potentiæ viſiuæ, & ſonus ſit obiectum adæquatum actuum potentiæ auditiuæ, & hæc obiecta in ratione obiecti ſint prorſus diuerſa, efficaciter ex diuerſitate iſtorum obiectorum conuinceretur proteruus qui negaret diſtinctionem realem, & eſſentialem inter potentiam viſiuã, & auditiuam: quæ ratio non haberet locum, ſi applicare vellent illam ad probandum diſtinctionem realem, & eſſentialem inter potentiam generatiuam ſeminis, & potentiam nutritiuã, ſiue ſit nutritiua carnis, ſiue oſsis, ſiue nervi, &c. nam cum omnes iſtæ potentiæ verſentur circa eamdem materiam, ſcilicet, circa alimentum, quæ in his potentijs induit rationem obiecti (ex prænotatis ex mente Ariſtotelis num. 1.) potius conuincerent oppoſitum, ſcilicet, realiter, & eſſentialiter non diſtingui.

24 Eſt autem aduertendum, ne in æquiuoco ſit labor, potentiam generatiuam dupliciter ſumi poſſe: primò pro virtute conuerſiua ſuperflui alimenti in ſemen, quæ virtus potentia vitalis eſt, in viuente reſidens. Secundò pro virtute gignendi, quæ eſt in ſemine, quæ non eſt vitalis, cum ſe-

ſemen, in quo reſidet, nō actu, ſed in potentia viuens ſit; & ſecundum Scotum, vt latè vidimus libro 2. Phyſicorum, diſput. 4. quæſt. 7. non effectiuè, ſed ſolùm diſpoſitiuè attingit productionem fœtus. Cum ergo in iſta quæſtione ſtatutum eſt, potentiam generatiuam nō eſſe realiter diſtinctam a nutritiua, & augmentatiua; potentia generatiua ſumitur in priori ſenſu; nam potentia generatiua, quæ eſt in ſemine, non ſolùm diſtinguitur realiter, & eſſentialiter à potentia nutritiua: ſed etiam à potentia generatiua, quæ eſt in viuente, cum ſit effectus iſtius, & in diuerſo ſubiecto reſidens.

QVÆSTIO III.

Quodnam ſit ſubiectum nutritiuæ, augmentatiuæ, & generatiuæ potentiæ?

1 HÆc quæſtio, vt propoſita eſt, ſolùm habere poteſt locum in ſententia Thomiſtarum ponente potentias animæ eſſe accidentia, ab ea, vel ab organo, in quo reſident, realiter diſtincta; nam de ſolis accidentibus in rigore ſolum inquiri poteſt, quodnam ſit eorum ſubiectum, cum ſola accidentia in rigore ſint in alio, tāquam in ſubiecto; ſed ex reſolutione eius etiam colligi poteſt, cuinam ſubiecto identificentur potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua; quod inquiri deberet in noſtra, & Scoti ſententia, quæ non ponit potentias animæ in aliquo accidente, ab ea, vel ab organo, in quo reſidet, realiter diſtincto; ſed in quadam facultate, ſi non ſunt organicæ, vt intellectus, & voluntas idem realiter cum anima; & ſi ſunt organicæ, vt ſenſitiuæ, & vegetatiuæ idem realiter cum illo organo ſubſtantiali corporeo, & animato, in quo vnaquæque reſidet, & ſolum inter hæc diſtinctionem ex natura rei formalem admittit.

2 Si de potentia nutritiua, & augmentatiua ſermo ſit, quæſtio propoſita facilem habet reſolutionem: conueniunt enim omnes, has potētias ſubiectari (in principijs Thomiſtarum) ſeu idētificari (in principijs Scotiſtarum) cum omnibus partibus viuentis, quæ informantur anima: ratio eſt clara, nam omnes partes viuentis, quæ informantur anima, nutriuntur, & augentur; ergo in omnibus illis reſident potentia nutritiua, & augmentatiua, non ſolùm quoad entitatem, ſed etiam quoad omnia requiſita ad ſuas functiones exercendas.

3 Maior eſt difficultas de potentia generatiua, ſi de ſubiecto, in quo reſidet, non qualicumque, ſed habente omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt potentia generatiua in illo exiſtens ſuas functiones exer-

Digitized by Google

exerceat (qui eſt ſenſus, in quo procedit præſens quæſtio) ſermo ſit. Nam ſunt, qui exiſtiment, ſemen informari anima, & conſequenter potentiã generatiuam in ſemine reſidere, tanquam in ſubiecto habente omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt in illo potentia generatiua, quæ vitalis eſt, ſuas functiones exerceat: ita Galenus in libro de *Maraſino*, cap. 5. Paromatus in libro de *ſemine*, Zimarra hic ad text. 45. Themiſtius ad text. 6. Valleſius lib. 2. controuerſiarum, cap. 9. & tribuitur Platoni in Thimæo, & ex recentioribus nonnulli, qui aduertunt, in homine hoc eſſe intelligendum de ſemine coniuncto; non vero de ſemine deciſo; nam cum anima hominis ſit indiuiſibilis, non poterit ſemen deciſum, & ſeparatum ab homine informari eius anima; & conſequenter neque in ipſo potentia generatiua, quæ vitalis eſt, reſidere: in alijs verò viuentibus dicunt, hoc eſſe intelligendum de ſemine tam coniuncto, quàm deciſo, & ſeparato; quia cum eorum animæ diuiſibiles ſint, poterit optimè ſemen ab eis deciſum, & ſeparatum informari aliqua parte animæ, etiam deciſa, & ſeparata cum ipſo ſemine.

4 Probari ſolet hæc ſententia; primo ex Ariſtotele, qui 2. libro de *Generatione animalium*, capit. 3. docet ſemen animalium viuere, his verbis, *Quippè, cum nihilominus ſemina, & conceptus animalium viuant, quam ſtirpes, & aliquando prolifica ſint, &c.*

5 Secundò probari ſolet rationibus; prima, quia arborum fructus ſunt earum ſemina, cum terræ mandati generentur ex eis arbores ſimiles in ſpecie arboribus, quarum ſunt fructus; & tamen viuere conſtat, & informari anima, cum nutriantur & augeantur, dum in arbore permanent: ergo par etiam erit ratio de ſemine animalium in eis permanente. Secunda; ſemen viuentium effectiuè attingit terminum generationis; ſed terminus generationis viuentium eſt corpus viuens, & informatum anima; ergo & ipsũ ſemẽ erit viuens, & informatum anima; aliàs effectus in perfectione ſuperaret ſuam cauſam effectiuam, quod eſt inconueniens.

6 Sed hæc ſententia meritò reijcitur ab alijs recentioribus, quia verior, & probabilior eſt ſententia, quam tenent Scotus noſter in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. & Diuus Thomas 1. part. quæſt. 119. artic. vltimo & expreſsius 2. contra gentes capit. 89. & quàm plures alij, quos refert, & ſequitur Rubius tract. *de potentijs animæ vegetatiuæ*, q. 3. n. 59. nimirum, ſemen non ſolum ſeparatũ à viuente, ſed etiam coniunctum cũ ipſo no-

non eſſe actu viuens, nec actu informari anima, ſed ſolùm in potentia; non ſecus, ac de ſanguine, & de alijs humoribus idem ſtatuimus diſp. 2. quæſt. 6. ſection. 2. & conſequenter potentiam generatiuam, quæ in omnium ſententia eſt vitalis, non poſſe reſidere in ſemine, tanquam in ſubiecto habente omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt in illo potentia generatiua ſuas functiones exerceat.

7 Probari poteſt 1. ex Ariſtotele, qui in hoc 2. libr. cap. 1. textu 10 expreſsè affirmat, ſemen non actu, ſed ſolùm potentia viuere, ſeu informari anima: verba eius ſunt, *Non eſt autem, quod obijcit animam potentia exiſtens, vt viuat, ſed quod habet; ſemen autem potentia huiuſmodi corpus eſt*. Et 2. libr. de generatione animalium cap. 3. circa finem, cum propoſuiſſet dubium, *an ſemen animam habeat?* reſpondet, *habere quidem in potentia*; ergo ſentit, actu neque informari anima, nec actu viuere.

8 Secundò probari poteſt, quia vt diſp. 2. quæſt. 6. ſtatuimus, in viuente ſolùm partes ſolidæ ſpectantes ad integritatem viuentis informantur anima; ſed ſemen non eſt pars ſolida, neque ſpectans ad integritatem viuentis; ergo non informatur anima. Et confirmatur, quia anima ſolùm eſt actus, ſeu forma corporis organici; ſed ſemen non eſt corpus organicum; ergo non actuatur, ſeu informatur anima, ſed alia forma ab anima diſtincta. Quod autem aliqui ad hoc reſpondent, nimirum, ſemen eſſe aliquo modo corpus organicum, quia habet quaſdam partes craſsiores, & terreſtriores; alias verò ſubtiliores, & aëreas, friuolum eſt; quia cum hæc diuerſitas partium, etiam reperiatur in corporibus inanimatorum, vt in vino, oleo, &c. manifeſtum ſignum eſt, hanc diuerſitatem, ſeu heterogenijtatem partium non ſufficere ad hoc, vt dicatur ſemen corpus organicum in eo ſenſu, qui requiritur ad habendam vitam, vel animam.

9 Neque ea, quæ in contrarium adducta ſunt, aliquid probant. Nam teſtimonium Ariſtotelis explicandum eſt, non de actuali vita, ſed de potentiali, vt ipſemet in teſtimonijs pro noſtra ſententia adducti ſatis apertè ſe explicuit.

10 Ad primam rationem dicimus, fructus arborum dupliciter poſſe accipi, primò antequam in ſemen tranſeant, & vt ſic non mirum, quòd viuant, & informentur anima, cum ſint partes integrantes arborum, & multò perfectiores, quàm folia. Secundo, vt iam tranſactæ in verum ſemen, & hoc modo neque infor-

formantur anima, nec viuunt, cum nullam habeant operationem vitalem.

11 Ad ſecundã negamus maiorem; nam vt rectè docet Scotus in 2. diſt. 18. quæſt. vnica, nullum ſemen effectiuè attingit id, quod ex ſemine generatur; ſed ſolũ diſpoſitiuè; quod aſſertum nos latè expendimus, & comprobauimus libro 2. Phyſicorum, diſp. 4. quæſt. 7. à num. 28. & ſequentibus. Recolantur ibi dicta.

12 Suppoſito ergo, quòd potentia generatiua non ſubiectetur in ſemine, ſolùm eſſe poteſt dubium, an ſubiectetur in omnibus partibus viuentis, ſicut ſubiectatur potentia nutritiua? An verò in aliqua determinata parte? Et ſermo eſt, (vt iam animaduerti) non de qualicumque ſubiecto; ſed habente omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt potentia generatiua in illo exiſtens ſuas proprias functiones exerceat. Hippocrates libro de locis affirmat, ſemen decidi à quauis parte viuentis; ac per conſequens potentiam generatiuã, quæ in quantum talis, eſt effectiua ſeminis, in quacumque parte corporis animati reſidere, vt in ſubiecto habente omnes conditiones requiſitas ad illud efformandum; non ſecus, ac philoſophati ſumus de potentia nutritiua, quam ſententiam ſequutus eſt etiam Albertus magnus 2. de anima, tractatu 2. cap. 7.

13 Probari poteſt hæc ſentẽtia; primò, quia per virtutem ſeminalem generatur fœtus ſimilis generanti ſecũdum omnia membra; ergo quodlibet membrum aliquid tribuit ſeminis, ratione cuius fœtus ipſi membro aſsimiletur. Secundò, quia experimur, homines ex nimia effuſione ſeminis in omnibus membris debilitari; ergo ideò eſt, quia tale ſemen ex omnibus membris eſt deciſum. Tertiò, quia potentia generatiua (vt ex dictis in quæſtione præcedenti conſtat) eſt idem realiter cum potentia nutritiua; ſed nutritiua, vt dictum eſt, in omnibus partibus viuẽtis reſidet; ergo quòd generatiua, etiam in omnibus partibus viuentis reſideat, neceſſarium erit.

14 Sed oppoſitam ſententiam (nimirum, ſemen non decidi ex omnibus partibus corporis viuentis; ac per conſequens potentiam generatiuã, ſeu formatiuam ſeminis non reſidere in omnibus partibus viuentis, vt in ſubiectis habentibus omnes conditiodes requiſitas ad hoc, vt prædicta potentia generatiua in eis reſidens, ſuas functiones exerceat, ſed ſolùm in aliqua determinata parte) tenent Ariſtoteles libro 1. de *generatione animalium* cap. 17. & 18. Galenus libro de ſemine,

& multi alij ex Medicis, quos refert, & ſequitur Valleſius libro 2. *controuerſiarum medicarum*, cap. 5. qui addit, hanc determinatam partem non eſſe teſticulos, vt aliqui affirmant; ſed eſſe quandam venam, ſeu arteriam, quæ recta via tendit ad vaſa ſeminis; nam per anatomen expertum eſt in illa vena ſanguinē albeſcere ad modum ſeminis: quæ ſententia ſequenda eſt; & ſatis confirmari poteſt ex ſimili arborum, & aliarum plantarum, quarum ſemina non in omnibus partibus earum, ſed in parte determinata generantur.

15 Ad ea, quæ numer. 13. in contrarium obiecta ſunt, reſpōdemus; ad primum, ad hoc, vt per virtutem ſeminis generetur fœtus ſimilis generanti ſecundum omnia membra, nihil intereſſe, quòd ſemen decidat ab omnibus partibus corporis; aliàs, homo non habens brachia, non poſſet fœtum habentem brachia generare. Ratio eſt, quia virtutem organizandi non habet ſemen à mēbris, ſed ab anima, quæ in qualibet parte, cum ſit, poterit illam (ſi omnes conditiones requiſitæ adſint) in qualibet parte corporis ſemini tribuere. Ad ſecundum homines ex nimia effuſione ſeminis debilitari in omnibus membris, non quia ex omnibus membris decidat ſemen; ſed pars illa, in qua fabricatur ſemen, & ex qua deciditur, ſugit à partibus vicinioribus per virtutem attractiuam in ea reſidentem, ſanguinem, & iſte ab alijs. Ad tertium, ex eo, quòd potentia generatiua ſeminis ſit idem realiter cum potentia nutritiua, ſequi quidem realiter, ſeu materialiter eſſe in omnibus partibus viuentis, in quibus eſt potentia nutritiua, non tamen ſequi, quòd ſicut hæc realis, ſeu materialis potentia formaliter, ſeu in quantum nutritiua eſt, in omnibus partibus ſuas functiones exercet; ita etiam formaliter, ſeu in quantum generatiua, ſeu productiua ſeminis eſt, etiā in omnibus partibus exerceat ſuas functiones; quia ad hoc vltimum plures conditiones, ſeu diſpoſitiones requiruntur in ſubiecto, ſeu partibus, in quibus reſidet, quàm ad primum.

QVÆSTIO IV.

Quid ſit generatio viuentis?

1 DE generatione ſubſtantiali latè ſumpta, ſcilicet, pro mutatione à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam in actu, & quæ in ſubſtantijs inanimatis reperitur, ex profeſſo egimus cum Ariſtotele libro 1. de ortu, & interitu, diſputat. 1. De generatione verò ſtrictè ſumpta, & quam Ariſtoteles capit. 4. huius libri non

Digitized by Google

non ſolùm enumerauit inter operationes proprias animæ vegetatiuæ; ſed etiam ſtatuit, operationem generandi ſibi ſimile eſſe naturaliſsimũ opus viuentium, in præſenti quæſtione inquirimus, quid ſit, id eſt, quæ ſit eius eſſentialis definitio?

2 Quamvis Ariſtoteles completam definitionem generationis viuentium non aſsignauerit; nihilominus ex his, quæ in varijs locis de generatione viuentium docuit, hæc definitio generationis viuentium compacta eſt, & ab omnibus, tanquam exacta recepta, *eſt origo viuentis à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*; in qua definitione nomen *origo*, quod idem ſignificat, ac proceſsio vnius ab alio, ponitur loco generis; reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ: & per particulas *viuentis à viuente* differt à generatione ſubſtantiali inanimatorum, quæ etiamſi ſit origo, ſeu proceſſus vnius ſubſtantiæ ab alia; ſed non ſubſtantiæ viuentis ab alia viuente. Per particulam *à principio coniuncto*, quæ ſignificat, viuentia, quæ generantur, debere fieri ex aliqua parte ſubſtantiæ ipſius generantis, differt à productione Heuæ, facta à Deo ex coſta Adami, & ab alijs ſimilibus, quia etiamſi fuerit origo, ſeu proceſsio viuentis à viuente; ſed non à principio coniuncto ipſi Deo, qui fuit producens; ſed potius à principio cõiuncto ipſi Adamo, qui in tali productione merè paſſiuè ſe habuit. Demum per particulas *in ſimilitudinẽ naturæ*, quæ ſignificant, productum debere eſſe ſimile in natura ſpecifica ipſi producẽti, differt à productionibus viuentium, quæ proueniunt à cauſis æquiuocis, vt productio vermiũ ex animali, vel homine, & ſimiliter productio mulli ex equo, & aſina; vel è contra ex aſino, & equa; quia etiamſi hæ productiones ſint origines, ſeu proceſsiones viuentium à viuentibus, & à principijs coniunctis; ſed non in ſimilitudinem naturæ, cum producta ſint diſtincta in natura ſpecifica à producentibus; neque per illas conſequatur finis per ſe intentus à natura in generationibus viuentiũ, qualis eſt conſeruatio ſuarum ſpecierum.

3 Sed contra definitionem generationis viuentium, ſic traditam, & explicatam eſt graue, & theologicum argumentum: videtur enim ex prædicta definitione ſequi, proceſsionem Spiritus Sancti eſſe verè, & propriè generationem appellandam; quod repugnat Catholicæ fidei, quæ ſicut expreſsè docet, proceſſionem Diuini Verbi eſſe verè, & propriè generationem; ita expreſsè negat, eſſe verè, & propriè generationem proceſsionem

nem Spiritus Sancti. Sequela probatur, nā ſicut de proceſsione Diuini Verbi verè, & propriè verificatur definitio generationis viuentiū ſupra tradita; ita verè, & propriè verificatur de proceſsione Spiritus Sācti; ergo ſi propter hoc proceſsio Verbi Diuini verè, & propriè dicitur generatio; etiā verè, & propriè dicetur generatio proceſsio Spiritus Sancti. Aſſumptū probatur, quia ſicut de proceſsione Diuini Verbi verè, & propriè verificatur, non ſolū, quòd ſit origo viuentis à viuēte à principio coniuncto; ſed etiā, quòd ſit in ſimilituſtinem naturæ, eo quòd Verbū productū eſt eiuſdē naturæ, tā ſpecificæ, quàm numericæ cū Patre producēte: ita de productione Spiritus Sancti verè, & propriè verificatur, non ſolùm, quòd ſit origo viuentis à viuente à principio coniuncto; ſed etiā, quòd ſit in ſimilitudinem naturæ, eo quòd Spiritus Sanctus productus, eſt eiuſdem naturæ, non ſolùm ſpecificæ, ſed etiam numericæ cum Patre, & Filio producentibus.

4 Ad hoc argumentū, quod in materia de Trinitate fuſiùs ex pendimus diſputat. 1. quæſt. 4. pro nunc reſpondemus negando ſequelam; & ad eius probationem negandum etiam eſt, definitionem generationis viuentium ſupra traditam ita propriè, & verè verificari de proceſsione Spiritus Sācti, ac verificatur de proceſsione Diuini Verbi. In aſſignanda autem ratione huius diſcriminis variant auctores; & omiſſa ratione, quam adducit Vazquez 1. part. diſp. 113. cap. 6. nimirum rationem eſſe, quia Spiritus Sanctus, etiamſi procedat ſimilis in natura ex vi proceſsionis; non tamen procedit, vt imago; quia imago addit ſupra ſimilitudinem, quòd ſit originata ab alio, & ordinata ad repræſentandum, ex quibus vltimum non cōuenit Spiritui Sancto: Verbū autem Diuinum non ſolum ex vi ſuæ proceſsionis procedit ſimile in natura; ſed etiā procedit, vt imago, cū ſit ſimilitudo originata à Patre, ordinata ad repræſentandum. Omiſſa, inquā, hac ratione (tum, quia ſupponit falſum, ſcilicet, Spiritū Sāctum procedere ſimilē in natura ex vi ſuæ proceſsionis, nō ſecus, ac procedit Verbum: tū etiam, quia Verbum Diuinum non aliundè habet, quod ſit ſimilitudo originata à Patre, ad repræſentandam naturam eius ordineta; & conſequenter quòd ſit imago Patris, niſi quia ex vi ſuæ proceſsionis procedit ſimile in natura Patris; ergo ſi Spiritus Sanctus in ſententia Vazquez ex vi ſuæ proceſsionis procedit ſimilis in natura illorum, à quibus procedit; habebit vtique, quòd ſit ſimilitudo originata ab eis, ad repræſentandam na-

Digitized by Google

naturam ipſorum ordinata; & conſequenter quòd ſit ipſorũ imago, quod eſt abſurdum) ſolùm duas rationes adducam, vnam D. Thomæ, & alteram Scoti, quarum quælibet ſufficiens eſt; neque vna contrariatur alteri, ſed potius vna alteram præſupponit.

5 Diuus Thomas 1. parte quæſt. 27 articul. 4. & 4. contra gentes capit. 11. & 19. & ibi Ferrarienſis, & Caietanus quæſt. 39. articul. 2. & cæteri Thomiſtæ affirmãt, ideò proceſsionem Verbi eſſe verè, & propriè generationem; ſecus verò proceſsionẽ Spiritus Sãcti; quia etiamſi vtriuſque proceſsio ſit origo viuentis à viuẽte, à principio cõiuncto, & inſuper, etiãſi tam Verbũ, quàm Spiritus Sanctus procedant cũ ſimilitudine in natura principijs producẽtibus; tamen hanc ſimilitudinem in natura habet Verbum ex vi, & formali ratione ſuæ proceſsionis: at Spiritus Sanctus non habet illam ex vi, & formali ratione ſuæ proceſsionis, ſed quaſi materialiter, ex eo, ſcilicet, quòd eſt proceſsio diuina, & quidquid intra Deum producitur, Deum eſſe neceſſarium eſt; & ad rationem veræ generationis dicunt, non ſufficere, quòd productum euadat ſimile principio producenti, quaſi materialiter; ſed requiritur, quod euadat ſimile ex vi, & formali ratione ſuæ proceſsionis. Hæc ratio ad aſsignandũ diſcrimẽ inter proceſsionẽ Verbi Diuini, & proceſsionẽ Spiritus Sancti, ob quod prior eſt verè, & propriè generatio; ſecus verò poſterior, optima eſt, & valdè recepta in Scholis.

6 Neque obſtat, quòd obijciunt contra ipſam Vazquez loco ſupra citato, & Canarienſis quæſt. 27. artic. 2. in 4. part. Commentarij, videlicet, Spiritum Sanctum procedere ſimilem in natura principio producenti ex vi, & formali ratione ſuæ proceſsionis; non ſecus, ac Diuinum Verbum; ac per conſequens aliam eſſe aſſignandam rationem diſcrimi nis inter proceſsionem Diuini Verbi, & proceſsionem Spiritus Sancti, ob quam vna appelletur verè, & propriè generatio, & non alia. Et quamuis aſſumptum (omniũ calculo ſatis ſingulare) multis vijs probare contendant; omnes tamen ad hanc rationem reducuntur; vel Diuinum Verbum dicitur procedere ſimile in natura ex vi, & ratione formali ſuæ proceſsionis; quia procedit per intellectũ; vel quia procedit per talem intellectum, ſcilicet, Diuinum; non poteſt dici primũ, aliàs omne verbum productũ per intellectũ eſſet ſimile in natura principio producẽti, ſcilicet, obiecto, quod apparet eſſe falſum in omni Verbo creato; ergo dicendũ eſt ſecundũ, ſed etiã Spiritus Sãctus, vt procedit

per talem voluntatem, ſcilicet, diuinam, procedit ſimilis in natura; ergo dicendum eſt, eodem pacto procedere Spiritum Sanctum ſimilem in natura, ex vi, & ratione formali ſuæ proceſsionis, ac procedit Diuinum Verbum.

7 Hoc, inquam, nihil obſtat; nam id, quod aſſummunt Vazquez, & Canarienſis, ſcilicet, Spiritum Sanctum procedere ſimilem in natura principio producenti ex vi, & ratione formali ſuæ productionis, falſum omnino eſt; & ad rationē, qua ipſum ſtabilire contendũt, optimè reſpondẽt Caietanus, & Ferrara, Verbum dici produci ſimile in natura ex vi, & formali ratione ſuæ proceſsionis; non verò Spiritum Sanctum; quia Verbum Diuinum procedit per intellectum, de cuius ratione formali, etiamſi non ſit producere ſimile in natura; eſt tamen producere ſimile; & conſequenter ſi contrahatur per differentiam formalem perfectiſsimam, habebit ex vi, & intrinſeca, & formali ratione ſua producere ſimile, non quomodocumque, ſed perfectiſsimum, quale eſt ſimile in natura, non ſolùm ſpecifica, ſed etiam numerica. At Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, de cuius ratione formali non eſt producere ſimile principio producenti; ac per conſequens, quãtumvis contrahatur, ſeu modificetur per differentiam, ſeu modum intrinſecum perfectiſsimum, non habebit ex vi, & ratione ſua formali producere ſimile perfectiſsimum, quale eſt ſimile in natura, non ſolùm ſpecifica, ſed etiam numerica; ſed hoc ſolùm poterit ei competere, quaſi per accidens, & ex ratione materiali, ſeu indiuiduali, nimirum, quia eſt voluntas diuina, & quidquid intra Deum producitur, Deum eſſe neceſſarium eſt.

8 Scotus noſter pluribus in locis, ſed præcipuè in 1. diſt. 13. quæſt. vnica, confutando opinionem Gotfredi, & in eadem quæſtione ſoluendo primum argumentum principale, & in 3 diſt 8. quæſtione vnica, *§. Ad quæſtionem*, docet ìdeò proceſsionem Diuini Verbi eſſe verè, & propriè generationem; ſecus verò proceſsionem Spiritus Sancti; quia Verbum Diuinum procedit per intellectum, qui eſt potentia naturalis, & ad vnum determinata: at Spiritus Sanctus procedit per voluntatem, quæ quantum eſt ex ſe, eſt potentia libera, & indifferens ad oppoſita, quæ ratio non contrariatur rationi Diui Thomæ ſupra allatæ; ſed potius ipſam, vt certam ſupponens, reddit rationem radicalem, propter quam proceſsio, quæ fit per intellectum, vt eſt proceſsio Diuini Verbi, habeat producere ſimile principio producenti ex vi,

&

Digitized by Google

& formali ratione ſua; nõ verò, quæ fit per voluntatem, vt eſt proceſsio Spiritus Sancti; eſt enim huius diſcriminis ratio hæc, quam aſsignat Scotus, nimirum, quia intellectus eſt potentia naturalis (vt naturale opponitur contra liberum) & conſequenter ex natura ſua intrinſeca determinata ad producendum ſimile; quia hoc eſt proprium agentium naturalium aſſimilare ſibi paſſum: at voluntas non eſt potentia naturalis ex ratione ſua intrinſeca; ſed potiùs libera; & conſequenter neque erit ex ratione ſua intrinſeca determinata ad producendum ſimile; ſed ſolùm hoc ei poterit contingere ratione ſubiecti, ſeu indiuidui, in quo eſt.

9 Neque exiſtimetis, hanc rationem eſſe ſolius Scoti, & diſcipulorum eius; nam ea etiam vſi ſunt, non ſolum plures Scholaſtici, ſed etiã aliqui Patres. Ex Scholaſticis Diuus Bonauentura in 1. d. 13. art. 1. quæſt. 2. ad 1. & diſtinct. 4. q. 1. numer. 8. Ricardus diſtinct. 13. articul. 1. quæſt. 3. Alexander Alenſis 1. part. quæſt. 43. membro 1. circa finem. Hoc enim ſignificare voluerunt Doctores iſti, cum locis citatis dicunt, proceſsionem Filij eſſe generationem; non verò Spiritus Sancti; quia Filius procedit per modũ naturæ; Spiritus verò Sanctus per modum voluntatis. Et inter Patres vſus eſt hac ratione Diuus Auguſtinus 5. de Trinitate, cap. 14. cum dixit, Verbum eſſe Filiũ, quia procedit, vt natum, Spiritum Sanctum non eſſe Filium, quia procedit, vt datus; quem imitatus eſt Hugo de Sancto Victore in ſumma ſententiarum tractatu 1. cap. 7. Nam vt verba iſta Auguſtini non coincidant cum ipſa aſſertione, & ſic à calumnia liberentur, dicendum eſt, idem eſſe apud Auguſtinum, Verbum procedere, vt natum, ac procedere per productionem naturalem, & à potentia determinata ad vnum: Et ſimiliter idem eſſe Spiritum Sanctum procedere, vt datũ, ac procedere liberè, libertate eſſentiali, id eſt, per voluntatem, quæ, quantum eſt ex ſe, eſt potentia indifferens, & indeterminata; licèt hæc voluntas in Deo ratione infinitatis, & conſequenter materialiter, ſeu indiuidualiter habeat producere Spiritum Sanctum omnino neceſſariò.

QVÆSTIO V.

In quo ſenſu generare ſibi ſimile ſit naturaliſsimum opus viuentium?

1 POſtquam Ariſtoteles in 4. cap. huius libri enumerauit duo munera, ſeu opera animæ vegetatiuæ, videlicet, alimento vti, ſeu quod idẽ eſt (vt ipſe inferiùs ſe explicuit)

ac nutriri, & augeri; & generare ſibi ſimile; ſubdit, *Naturaliſsimum opus viuentis eſſe generare ſibi ſimile*: de hac ergo Ariſtotelica propoſitione inquirimus in hac quæſtione, in quo ſenſu ſit vera? Et ratio dubitandi eſt, quia ad veritatem illius non ſufficit, quòd ſit naturale viuentibus generare ſibi ſimile; ſed quòd ſit illis magis naturale, quam vti alimento, ſeu, quod idem eſt, quàm nutriri, & augeri; quæ ſunt alia opera viuentis, cum quibus Ariſtoteles facit comparationem.

2 Huic dubitationi (omiſſis pluribus alijs reſponſionibus, quæ adduci ſolent) cum communi ſententia reſpondemus, hoc affatum Ariſtotelis eſſe verum, eo quòd, generare ſibi ſimile, eſt opus neceſſarium ad conſeruationem ſpeciei; at vti alimento, ſeu nutriri & augmentari, eſt neceſſarium ad conſeruationem indiuidui, quod nutritur, & augetur, & manifeſtum eſt opus neceſſarium ad conſeruationem boni communis, vt eſt conſeruatio ſpeciei, eſſe magis naturale, id eſt, magis intentum à natura, quàm opus neceſſariũ ad conſeruationem boni particularis, vt eſt, quòd iſtud, vel illud indiuiduum nutriatur, & accreſcat. Et confirmatur ex ipſomet Ariſtotele, qui reddens rationem, cur generare ſibi ſimile ſit naturaliſsimum opus viuentis, non aliam aſsignat, niſi hanc; quia natura maximè inclinat in perpetuitatem, quam conſequitur, mediante generatione, & non præciſa nutritione, & augmentatione iſtius, vel illius indiuidui.

3 Neque obſtat, quod obijcit Suarez libro 2. de anima cap. 7. num. 6. ſcilicet, nutritionem etiam neceſſariam eſſe ad conſeruationem ſpeciei: & inſuper per nutritionem conſeruari ſpeciem in proprio indiuiduo: per generationem autem in alieno, & magis appetit (inquit Suarez) res conſeruare ſpeciem in ſe ipſa, quàm in alia; nam ex Ariſtotele, *amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium*.

4 Nam reſpondemus, etſi nutritio requiratur ad conſeruationem non ſolum indiuidui, ſed etiam ſpeciei; ſed non ad conſeruationẽ ſpeciei in perpetuum, ſicut requiritur generatio; & ideò naturæ, quæ ſummè perpetuitatẽ exoptat, magis innatum eſſe appetitum generationis, quàm nutritionis. Item cum conſeruatio ſpeciei in proprio indiuiduo, quæ fit per nutritionẽ, non poſsit perpetuari, ſed ad hoc requiratur conſeruatio ſpeciei, quæ fit per generationem in alio, & alio indiuiduo vſque (ſecluſa ordinatione Dei) in infinitũ, & hæc perpetuitas conſeruationis ſpeciei, quæ fit per generationẽ, ſit bonum cõmune omnibus indi-

diuiduis, quid mirũ, quòd natura magis intendat generationem, quàm nutritionem? Neque dictum Ariſtotelis, quod adducit Suarez, huic doctrinæ contradicit; nam ſi conſeruatio ſpeciei in perpetuum, quæ fit per generationem, eſt bonũ cõmune omnibus indiuiduis, erit vtique bonum proprium omnium ipſorum: imò maiorem inclinationem naturalem dicent ad illud conſequendũ, quàm dicunt ad acquirendum bonum particulare, vt patet in aqua aſcendente ſurſũ ad replendum vacuum, quod eſt bonum commune totius vniuerſi, contra inclinationẽ particularem, quam naturaliter habet deſcendendi, ſeu eſſendi in loco deorſum.

DISPVTATIO QVINTA.

De ſpeciebus ſenſibilibus.

POSTQVAM egimus de anima vegetatiua, & de potentijs, & actibus eius in ſpeciali: agendum ſequitur in ſpeciali de anima ſenſitiua, & de potentijs, & actibus eius. Et cũ præcipuum intentum Ariſtotelis in 5. cap. huius libri (vt vidimus in ſumma textus) fuerit oſtendere, ſenſum eſſe potentiã paſsiuam, & reduci ad actum ab obiecto, & inſuper vtrumq; fiat media ſpecie ſenſibili (vt ex dicendis cõſtabit) meritò circa hoc 5. caput diſputant auctores de ſpeciebus ſenſibilibus, de quibus quinque examinanda ſunt: Primum, *An ſint ponendæ ſpecies ſenſibiles?* Secundum, *Quomodo concurrant cum potentia ſenſitiua ad ſenſationẽ?* Tertium, *Quid ſint ſpecies ſenſibiles?* Quartum, *De extenſione, & intenſione ſpeciei ſenſibilis.* Quintum, *A quo, & quomodo producantur?*

QVÆSTIO PRIMA.

An ſint ponendæ ſpecies ſenſibiles?

1 SVnt qui affirment, non eſſe ponendas, vt quid neceſſarium ad ſenſationem ſpecies ſenſibiles, vel quia re vera non dãtur, nec producuntur ab obiectis, vt placuit Galeno 7. de decretis Hippocratis c. 6. Senecæ 2. naturalium quæſtionũ c. 5. & Plotino Æneada 4. vel quia etiamſi dentur, & producantur ab obiectis in medio, & in or-

organis potentiarum ſenſitiuarum; non tamen recipiuntur in ipſa potentia, neque illam immutant ad ſentiendum, vt viſum eſt Durando in diſt. 3. quæſt. 6. Henrico quodlib. quæſtio. 14 Ocamo in 2. diſt. 17. & 18. Gabrieli diſt. 8. q. 2. Gregor. diſt. 7. quæſt. 3. & in 1. diſt. 8. q. 2.

2 Fundamentum iſtorum eſſe poteſt, quia ſi neceſſarium eſt ponere ſpecies ſenſibiles ad ſentiendum, maximè, vt rationes cognoſcēdi obiectum; ſed non ſunt rationes cognoſcēdi; ergo non eſt neceſſarium illas ponere. Minorem ſic probant; rationes cognoſcendi aliud, prius debent cognoſci, vt patet in imagine, quam neceſſe eſt prius cognoſcere, vt per eā cognoſcamus rem repræſentatam; ſed ſpecies ſenſibiles à nullo cognoſcuntur, ſeu ſentiuntur; ergo non poterunt eſſe rationes cognoſcendi.

3 Sed vera ſententia, & communis in ſcholijs docet, ponēdas eſſe ſpecies ſenſibiles, vt quid neceſſarium ad ſenſationem; ac per conſequens non ſolùm dari, ſed produci ab obiecto in medio, & in organo ſenſus; ſed etiā imprimi in potētijs ſenſitiuis, tā externis, quā internis, vt tales potentiæ poſſint percipere ſua obiecta, ſeu elicere ſuas ſenſationes: ita Scotus in 1. diſt. 3. q. 10. & 11. Diu. Bonauentura artic. 4. q. 1. Ricardus q. 5. D. Thomas 3. contra gentes, cap. 49. & 1. part. q. 55. art. 1. ad 3. Alenſis 2. p. q. 22. & plures alij.

4 Probatur hæc noſtra ſententia auctoritate Ariſtotelis, qui capit. 5. huius libri docet, ſenſum eſſe potentiam paſſiuam reſpectu ſui obiecti, & ab eo reduci ad actum; nam cum non poſſit ſenſus reduci ad actum per cōtactum immediatum obiecti, quia ex ipſomet Ariſtotele, *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem*; neceſſarium eſt affirmare, reduci ad actum per aliquid productum ab obiecto, & receptum, & impreſſum in ipſo ſenſu. Hoc autem eſt ſpecies ſenſibilis. Item in hoc ſecundo libro textu 21. definiens ſenſum in communi ait, *eſſe receptiuum formarum ſine materia*, vbi per formas ſine materia omnes interpretes intelligunt ſpecies ſenſibiles, quæ ſunt quædam formæ, ſeu ſimilitudines obiectorum productæ ab ipſis obiectis, & receptæ in ipſis ſenſibus ſine materialitate, quam habent obiecta: & idem repetit tex. 134. eiuſdem ſecūdi libri.

5 Probatur præterea rationibus; prima, potentia ſenſitiua, tam externa, quàm interna ex ſe indifferens eſt ad cognoſcendum hoc, vel illud obiectum; ergo ad hoc, vt eliciat ſenſationem circa hoc obiectum priùs, quàm circa aliud, erit neceſſarium, quòd detur in ſenſu aliquod principium,

pium, ipſum determinans ad ſenſationem huius obiecti potiùs, quàm illius: huiuſmodi autem principium exiſtens in ſenſu, illumque determinans, & conſtituens in actu primo potentem elicere ſenſationē huius obiecti potius, quàm illius, ſpeciem ſenſibilem appellamus.

5 Neque ſufficit reſpondere, ſenſum determinari ad eliciendam ſenſationem circa hoc obiectū potiùs, quàm circa aliud ab ipſa præſentia obiecti; tum, quia ſenſus internus, vt eſt imaginatio, percipit res abſentes; ergo præſentia obiecti non eſt, quod determinat ipſum ad eliciendam ſenſationem circa hoc obiectum potiùs, quàm circa aliud. Tum etiam, quia potentia ſenſitiua non poteſt determinari realiter ab obiecto, niſi realiter ab eo patiatur; ſed ex mera præſentia obiecti non patitur realiter ab illo; ergo non ſufficit mera præſentia obiecti ad determinandum realiter potentiam ſenſitiuam; ſed vlteriùs requiritur, quòd obiectum præſens emittat aliquid ad potentiam ſenſitiuam, per quod realiter patiatur, & determinetur, nimirum, ſenſibilem ſpeciem.

7 Secunda ratio deſumitur ex experientijs: nam in primis experimur, quòd poſito è regione ſpeculo, videmus in eo hominem, vel aliud corpus à tergo poſitum, cuius rei nulla alia aſsignari poteſt cauſa, niſi quòd homo à tergo poſitus producit ſpeciem ſenſibilem ſui vſque ad ſpeculum, à quo prædicta ſpecies reflectitur, & per reflectionem peruenit ad potentiam viſiuam hominis intuentis ſpeculū, & ſic illam actuat, & determinat ad videndum hominem exiſtentem à tergo; non ſecus, ac ſi è regione videntis exiſteret. Item experimur, arbores in aqua commota apparere refractas, cuius rei nulla alia poteſt aſsignari cauſa, niſi quod ſpecies ſenſibiles, quibus mediantibus videntur, in aqua commota refranguntur.

8 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ negamus minorem, ſcilicet, ſpecies ſenſibiles non eſſe rationes cognoſcendi, ſeu ſentiendi obiectum: & ad probationem dicimus, dupliciter poſſe aliquid eſſe rationē cognoſcendi, primò, vt obiectum priùs cognitum, qua ratione imago Cæſaris eſt ratio cognoſcendi Cæſarem: alio modo, non vt obiectum priùs cognitum: ſed quia eſt forma actuans, & determinans potētiam ad eliciendam cognitionem, ſeu ſenſationē, & hoc ſecundo modo dicimus, ſpecies ſenſibiles eſſe rationes cognoſcendi, ſeu ſentiendi, & ſic nihil intereſt, quòd à nullo percipiantur.

9 Ex dictis in hac quæſtione cel-

colliges, quàm verum ſit id, quòd docuit Ariſtoteles in c. 5. huius libri, nimirum, ſenſum eſſe potentiam paſsiuam, & reduci ad actum ſentiendi ab obiecto: licet enim ſenſus, in quãtum producit ſpeciem expreſſam, quæ eſt ſenſatio, ſeu forma, per quam denominatur, & eſt formaliter ſentiens, ſit potentia actiua; tamen in quantũ recipit ab obiecto ſpeciem ſenſibilẽ impreſſam, potentia paſſiua eſt, & mediante ipſa reducitur ad actum ab obiecto.

QVÆSTIO. II.

Quomodo ſpecies ſenſibiles concurrant cum potentia ſenſitiua ad ſenſationem?

1 PRima ſentẽtia affirmat, ſenſationem ſolùm produci effectiuè à potentia ſenſitiua; ſpeciem autem ſenſibilẽ ſolùm requiri ad ſenſationem, vel vt quid excitans potentiã ſenſitiuam ad productionem ſenſationis, non ſecus, ac obiectum cognitum excitat voluntatem ad illius amorem, vt placuit Simplicio hic textu 51. & 52. Henrico quodlibeto 4. q. 7. Zabarelæ lib. de mente agẽte c 7. & lib de ſenſu agente, c. 8. velut quid ipſam diſponens, vt affirmauit Toletus hic quæſtion. 12. concluſ. 2.

2 Fundamentum huius ſententiæ eſt, quòd ſenſatio eſt operatio vitalis, de cuius ratione eſt oriri à principio vitali; ſed ſpecies ſenſibilis expreſſa non eſt principium vitale; ergo ſenſatio non erit ei tribuenda tanquàm principio effectiuo, ſed potius erit tribuenda ſoli potentiæ ſenſitiuæ, quæ principium vitale eſt. Et confirmatur à ſimili de intellectu, qui ſufficienter mouet voluntatem ad volitionem præſtandam per hoc, quòd illi proponat obiectum, neque requiritur, quòd obiectum ſimul cum voluntate concurrat effectiuè ad præſtandam prædictam volitionem; ergo ſimiliter ad hoc, vt obiectum moueat potentiam ſenſitiuam ad præſtandam ſenſationem, ſufficiens erit, quòd producat ſpeciem ſenſibilem in illa: neque opus erit, quòd prædicta ſpecies ſimul cum prædicta potentia concurrat efficienter.

3 Secunda ſententia eſt ex diametro oppoſita præcedenti; nam ſuſtinet, ſenſationem efficienter ſolùm prouenire ab ſpecie ſenſibili impreſſa: potentiam verò ſenſitiuam merè paſsiuè ſe habere. Itaque ſicut in ferro candenti calefactio tribuitur, vt principio effectiuo, ſoli calori; ferro autem, vt ſubiecto ſuſtentanti tale principium: ita hæc ſententia ſenſationem attribuit, vt principio effectiuo, ſoli ſpeciei impreſſæ: potentiæ verò ſenſitiuæ, vt ſubiecto ſub-

ſubſtentanti prædictum principium. Hæc ſententia tribuitur ab aliquibus recentioribus Alberto libro de apprehenſione, & 2. parte ſummæ de homine, tractatu de ſenſibus animæ: imò noſter Scotus tam in 1. diſt. 3. quæſt. 7. §. *Quinta opinio*, num. 14. quàm in 2. diſt. 3. quæſt. 8. §. *Hic dicitur*, num. 3. & 4. illam attribuit Diuo Thomæ 1. part. q. 56. artic. 1. & quæſt. 85. articul. 2. & 3. de anima textu 8. & idem præſtat Toletus loco ſupra citato, licèt diſcipuli eius aliter ipſum interpretari conentur.

4 Probari autem poteſt hæc ſententia; primò ex Ariſtotele, qui hoc capit. 5. docet, ſenſum eſſe potentiam paſſiuam, & reduci ad actum ab obiecto: & ibidem text. 59. dicit, principia effectiua ſenſationis extrinſeca eſſe: ergo ſentit, ſolū ſpeciem productam ab obiecto, & impreſſam in potentia ſenſitiua eſſe principium effectiuum ſenſationis.

5 Secundò probari poteſt hac ratione; agens indeterminatum non poteſt exire in actionem determinatam, niſi ab aliqua forma effectiua determinetur; ſed ſenſus, exempli gratia, viſus eſt indeterminatus ad omne viſibile; ergo ad hoc, vt determinatam viſionem elicias circa aliquod determinatum obiectum, indiget, vt aliqua forma effectiua determinetur; hæc forma nihil aliud eſſe poteſt, quàm ſpecies ſenſibilis in potentia viſiua à determinato obiecto impreſſa; ergo hæc ſpecies impreſſa in potentia viſiua erit totum principium effectiuum determinatæ viſionis.

6 Tertia vera, & communis ſententia ſuſtinet, tam potentiam ſenſitiuam, quàm ſpeciem ſenſibilem impreſſam habere ex ſe actiuitatem, & virtutem effectiuam reſpectu ſenſationis; non tamē vnamquāque ſeorſum eſſe ſufficientem, & totalem cauſam; & ideo eſſe neceſſarium, quòd vtraque coniungatur, & ſic ex ipſis fiat vnum principium effectiuum ſenſationis, ſufficiens, & totale: ita Scotus noſter in 1. diſtinct. 3. quæſt. 7. §. *Ad quæſtionem*, numer. 20. & in 2. diſt. 3. quæſt. 8. Vazquez 1. part quæſt. 38. & 43. Suarez in Metaph. diſput. 6. ſect. 6. & diſp. 18. ſect. 7. Conimbricenſes 2. de anima cap. 6. quæſt. 2. artic. 3. & quàm plures alij: imò eſt expreſſa doctrina Diui Auguſtini 11. libro de Trinitate, cap. 2. vbi ſic ait, *gignitur ex re viſibili viſio; ſed non ex ſola, niſi adſit, & videns: quocirca ex viſibili, & vidente gignitur viſio.* Idem docet de ſpecie impreſſa intelligibili, & intellectu reſpectu cognitionis, lib. de Trinitate c. 12. his verbis, *liquidò tenendū eſt, quòd omnis res, quā cognoſcimus,*

con-

Digitized by Google

congenerat in nobis notitiam ſui: ab vtroque enim notitia paritur, à cognoſcente, ſcilicet, & cognito.

7 Et in primis potentiam ſenſitiuam habere ex ſe virtutem, ſaltem partialem effectiuam ſenſationis, probari poteſt, cōtra auctores ſecundæ ſententiæ ex Ariſtotele, qui cap. 2. huius libri definiens animam ait, eſſe principium, quo primo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; nam cum hæc munera præſtet anima medijs ſuis potentijs, potentiæ ſenſitiuæ animæ, ex mente Ariſtotelis, erunt abſque dubio principium (vt quo) ſaltem partiale, & inadæquatum effectiuū ſenſationis. Et confirmatur, quia potentiæ ſenſitiuæ ſunt perfectiores, quàm vegetatiuæ; ſed vegetatiuæ ſunt actiuæ; ergo & ſenſitiuæ; patet conſequentia, quia ſi ſolùm eſſent paſsiuæ, non poſſent eſſe perfectiores; imò neque ita perfectæ, ac sūt vegetatiuæ.

8 Deinde ſpeciem ſenſibilem impreſſam ab obiecto in potentia ſenſitiua, habere etiam ex ſe virtutem, ſaltem partialem, effectiuam ſenſationis, probari poteſt contra auctores primæ ſententiæ. Quia etiamſi potentia ſenſitiua cōſtituat viuens in actu primo proximè, & formaliter potens elicere ſenſationem; non tamen elicere ſenſationem determinatā circa hoc obiectum magis, quàm circa aliud; ergo ad hoc, vt viuens cōſtituatur in actu primo proximè potens elicere ſenſationē determinatā circa hoc obiectū, magis quā circa aliud, indigebit aliquo cōprincipio, vt *quo* effectiuo, à quo determinetur, ſeu ſpecificetur eius potentia ſenſitiua: hoc autē comprincipiū nihil aliud eſt, quàm ſpecies ſenſibilis impreſſa in potētia ab obiecto; habet ergo ſpecies ſenſibilis impreſſa ex ſe virtutem, ſaltem partialem effectiuam reſpectu ſenſationis determinatæ.

9 Et confirmatur: ſicut intellectio eſt ſimilitudo expreſſa obiecti, quod intelligitur; ita ſenſatio eſt ſimilitudo expreſſa obiecti, quod ſentitur; ſed non poteſt ſenſatio eſſe ſimilitudo expreſſa obiecti, quod ſentitur, niſi obiectū per ſpeciē impreſſam, tanquam per eius vicariā concurrat efficienter ad illam producendā; ergo negari non poteſt, ſpeciem ſenſibilem impreſſam concurrere efficiēter ſimul cum potentia ſenſitiua ad productionem ſenſationis, ſaltem vt principium *quo* partiali, & inadæquato.

10 Sed dubitat Scotus loco primo citato nu. 21. liter. D. quomodo obiectū, & potentia (ſiue ſit intellectiua, ſiue ſenſitiua; de vtraque enim eadem eſt ratio) cōcurrāt, vt duæ cauſæ partiales ad intellectionem, vel ſenſationē? Cuius dubitationis ratio eſt, quia, vt ipſemet Scotus animaduertit, tripliciter

ter

Digitized by Google

ter poteſt euenire, quòd cauſæ dicantur partiales reſpectu alicuius effectus; primò accidentaliter, quod cõtingit, quoties cauſæ concurrentes ex æquo concurrunt, id eſt, ſunt eiuſdẽ rationis, vt cum duo homines concurrunt ad portandum põdus, quod vnus portare nõ poteſt: hi enim duo homines habent, quod ſint cauſæ partiales portationis illius ponderis ex accidẽti, nimirum, quia de facto nullus ſeorſim habet vires ſufficientes ad illud pondus portandum, quod quid accidentale eſt, cum dari poſsit homo tot virium, vt ipſe ſolus portare poſsit prædictum pondus. Secũdò eſſentialiter, quod contingit, quoties cauſæ partiales in cauſando aliquem effectum ita eſſentialiter ſubordinantur, vt vna ſine altera nõ poſsit illũ cauſare, quod dupliciter, inquit Scotus, poteſt cõtingere.

11 Primò, cum cauſa inferior ex ſe nullam virtutem habet reſpectu cauſationis effectus in eſſe quieto, ſed in actuali motione, qua mouetur à cauſa ſuperiori illã accipit, vt cõtingit, quoties manus mouet pilã medio baculo; baculus enim cum ex ſe, & in eſſe quieto nullã virtutẽ motiuã habeat, nullatenus cauſare poteſt motũ pilæ, niſi in quãtũ motus à manu, in qua eſt virtus motiua in ipſa actuali motione recipit impulsũ, qui eſt virtus inſtrumẽtalis reſpectu motus pilæ: idem exemplificari poteſt tam in omni motu proiectorum, quàm in motu inſtrumentorum artificialium, ſi ponantur effectiua.

12 Secundò; quando, etiamſi effectus nullatenus poſsit procedere ab vnica tantùm cauſa, ſed neceſſario requirit influxum vtriuſque; nihilominus vnaquæque cauſa in ſuo ordine, ſeu linea habet ex ſe, & in eſſe quieto virtutem partialẽ, & inadæquatam reſpectu productionis effectus, nec tota illa cauſalitas eſt eminẽter in cauſa ſuperiori, nec virtus vnius cauſæ poteſt à virtute alterius cauſæ, quando actualiter concurrunt ad productionem effectus, aliquid in ſe recipere, quo eius natiua virtus augeatur, ſeu intendatur; quod exẽplificat Scotus in potentijs, ſeu virtutibus generatiuis patris & matris (ſupponendo quod in matre ſit potentia, ſeu virtus actiua reſpectu generationis prolis) vbi etiamſi proles non poſsit procedere, neque à ſolo patre, neque à ſola matre; ſed neceſſariò requiratur ad generationem prolis influxus vtriuſque; nihilominus tam pater, quàm mater in ſuo ordine, ſeu linea habent ex ſe, & in eſſe quieto virtutem partialem, & incompletam reſpectu productionis prolis; nec tota illa cauſalitas eſt eminẽter in cauſa ſuperiori, ſcilicet, in patre, neque virtus vnius poteſt

à

à virtute alterius, quãdo actualiter concurrunt ad generationem prolis, aliquid in ſe recipere, quo eius natiua virtus augeatur, ſeu intendatur.

12 His diſtinctionibus ſuppoſitis, dubitationi propoſitæ optimè, & acutè reſpondet Scotus, ſpeciem impreſſam obiecti, & potentiam, modò intellectiua, modò ſenſitiua ſit, non appellari partiales cauſas intellectionis, vel ſenſationis accidentaliter, & quia ex æquo, ſeu per influxum eiuſdem rationis partialiter concurrant, vt contingit in duobus portantibus pondus: aliàs ſicut in duobus portantibus põdus poteſt vnius virtus ita augeri, vt ipſe ſolus, & ſine conſortio alterius poſsit totum põdus portare; ita etiam contingere poſsit, quòd aucta virtute intellectiua, ſeu ſenſitiua, poſſet viuens ſe ſolo, & ſine conſortio obiecti, ſeu ſpeciei ipſius impreſſa elicere intellectionẽ, ſeu ſenſationem illius, quod, vt falſum reiectum eſt: ſed appellari cauſas partiales eſſentialiter ſubordinatas, non in primo modo, ſed in ſecundo ex aſsignatis; ſiquidem tam ſpecies impreſſa, quàm potentia (vnaquæque in ſua linea) habent virtutem ex ſe, & in eſſe quieto partialem, & incompletam reſpectu intellectionis, vel ſenſationis; nec tota iſta cauſalitas eſt eminenter in cauſa ſuperiori, ſcilicet, in potentia; nec virtus vnius poteſt à virtute alterius, quando actualiter concurrunt ad intellectionem, vel ſenſationem, aliquid recipere, quo eius natiua virtus augeatur, ſeu intendatur.

13 Sed contra prædicta ſibi obijcit Scotus, ſequi ex eis duo inconueniẽtia; primum, quòd ſpecies intelligibilis nõ ſit forma perficiens intellectum. Secundum, intellectionem (idem eſt iudicium de ſenſatione) nõ prouenire ab vno per ſe principio, ſed ab aggregato ex diuerſis principijs agẽdi, vt à nobis ponuntur ſpecies impreſſa, & potentia intellectiua, ſeu ſenſitiua: ſed ad hæc optimè reſpondet ipſemet Scotus.

14 Ad primum reſpondet, accidere ſpeciei impreſſæ, in quantum eſt principium agendi partiale ſimul cum intellectu, intellectionis, informare, & perficere intellectum; nam etiamſi de facto ipſum informet, & perficiat; non tamen per hoc tribuit ipſi intellectui aliquam actualitatem pertinentem ad cauſalitatem intellectus. Vndè (ſubdit Scotus) ſi ſpecies poſſet eſſe inexiſtens intellectui abſque inhærentia per modum formæ, ſi iſto modo exiſtens eſſet ſufficienter coniuncta intellectui, poſſent iſtæ duæ cauſæ partiales, intellectus, ſcilicet, & ſpecies coniunctæ ſibi inuicem in eandẽ operationem, in quam modo poſ-

Digitized by Google

poſſunt, quando ſpecies informat intellectum. Quod etiã apparet ponendo aliquod intelligibile præſens ſine ſpecie; illud enim obiectũ eſt cauſa partialis; & nihilominus non informat intellectum, qui eſt altera cauſa partialis intellectionis, ſed iſtæ duæ cauſæ partiales approximatę abſque informatione alterius ab altera, per ſolam approximationem debitã cauſant vnum effectum communem. Hæc Doctor ſubtilis.

15 Ad ſecundum reſpondet, quòd in vnoquoque ordine cauſę oportet ponere reſpectu vnius effectus vnam per ſe cauſam, & vnam per ſe rationem cauſandi; quod in præſenti cõtingit; nam intellectus (& idem eſt iudiciũ de ſenſu) in ſuo ordine cauſalitatis eſt vnus, & habet vnam rationem formalem cauſandi: & eſt ſpecies, vel obiectum in ſuo ordine cauſandi, & eſt vna cauſa, & habet vnam rationẽ cauſandi; ſed nõ oportere talem cauſam, provt comprehẽdit omnes cauſas partiales, habere vnam rationẽ cauſandi; ſed habere vnitatẽ ordinis, quæ in præſenti reperitur, cũ intellectus ſit virtus illimitata, & ſe extendens ad plures effectus; & conſequenter ſuperior ad virtutem obiecti ſuæ ſpeciei, quæ limitata, & determinata eſt ad vnum effectum: quod ſi cũ vnitate ordinis concurrat vnitas per accidens, hoc accidit, ſed vnitas ordinis eſt per ſe requiſita: exẽplum ſit in ſole; ſol enim in ſuo ordine cauſandi habet vnam rationẽ cauſandi reſpectu prolis, & pater in ſuo ordine, etiam habet vnam rationem cauſandi; ſed cauſa totalis, quæ complectitur patrem, & ſolem, non habet aliquam vnam rationem formalem cauſandi; nec mirum, cum non ſit vna cauſa, niſi vnitate ordinis: etſi contingat cauſas ſic ordinatas præter vnitatẽ ordinis habere vnitatem per accidens, in quantum, ſcilicet, vna accidit alteri; hoc non cõpetit eis per ſe, & in quantum cauſæ ſic ordinatæ.

16 Sed reſtat argumentis pro prima, & ſecunda ſentẽtia adductis ſatisfacere. Ad fundamẽtum primæ ſententiæ reſpõdetur, diſcurſum ibi factum ſolùm poſſe procedere cõtra auctores ſecundæ ſententiæ, qui, vt vidimus, affirmant, ſenſationem ſolùm procedere effectiuè ab ſpecie impreſſa; nõ verò contra nos, qui ita affirmamus ſenſationem procedere effectiuè ab ſpecie impreſſa, vt ſimul fateamur, procedere etiam à potentia ſenſitiua, quæ eſt potẽtia vitalis: imò facta comparatione inter potẽtiam ſenſitiuam, vel intellectiuam, & ſpeciem impreſſam, potentiã eſſę virtutem vniuerſalem; ſpeciem autem virtutem particularem; & conſequenter potentiã eſſe principaliorem virtutẽ reſpectu ſenſationis, vel intelle-

ctionis, quàm ſpeciem, vt ex profeſſo docet Scotus loco primi citato quæſt. 8.

17 Ad confirmationem dicimus, diſparem eſſe rationem de voluntate, & de potentia ſenſitiua: nam voluntas, cum ſit potentia appetitiua, fertur in obiectum cognitum, & ſic ad hoc, vt eliciat actũ circa illud, ſolùm requiritur, quòd ſibi per intellectũ proponatur. At potẽtia ſenſitiua, cum ſit cognoſcitiua, trahit obiectum ad ſe, quod fit producendo obiecto ſpeciem impreſſam in potentia ſenſitiua ad hoc, vt ex potentia, tanquam cauſa vniuerſali, & ex ſpecie impreſſa obiecti, tanquam cauſa particulari, fiat vnum adæquatum principium formale, ſeu *vt quo* effectiuum ſenſationis determinatæ.

18 Ad auctoritates Ariſtotelis adductas pro ſecunda ſentẽtia, reſpondemus, Ariſtotelem dixiſſe, ſenſum eſſe potentiam paſsiuam reſpectu ſpeciei impreſſæ, quam in ſe recipit; non verò reſpectu productionis ſenſationis. Et quia ſpecies impreſſa, quæ neceſſariò requiritur in potentia ſenſitiua, vt comprincipium ad eliciẽdam ſenſationem, producitur ab obiecto, quod quid extrinſecum eſt viuenti; ideò optimè dixiſſe in textu illo 59. principia ſenſationis eſſe extrinſeca.

19 Ad rationem dicimus, ex eo, quòd ſenſus viſus ſit indeterminatus ad omne viſibile, optimè inferri contra primam ſententiam, præter potentiam ſenſitiuam, quæ repræſentationis eſt quaſi cauſa vniuerſalis, requiri etiam aliam concauſam particularem, à qua ſenſatio determinatur, videlicet, ſpeciem impreſſam obiecti, quod eſt noſtrum aſſertum; nõ tamen inferri id, quod inferunt auctores ſecundæ ſententiæ, nimirum, ſolam ſpeciem impreſſam eſſe principiũ formale, & *vt quo*, ſenſationis.

QVÆSTIO III.

Quid ſint ſpecies ſenſibiles?

1 Statuimus in duabus quæſtionibus præcedentibus, non ſolùm dari in potentijs ſenſitiuis ſpecies ſenſibiles impreſſas ad eliciendas ſenſationes requiſitas, ſed etiam huiuſmodi ſpecies ſimul cum potentijs ſenſitiuis efficienter cõcurrere ad ſenſationes, vt cauſas partiales, eſſentialiter ſubordinatas; non ſecus, ac *ſol*, & homo ſubordinãtur ad productionem, ſeu generationem prolis humanæ. Examinãdum ſequitur in hac tertia quæſtione, quidnam ſint, ſeu in quo conſiſtant huiuſmodi ſpecies? ſub quo generali titulo plura dubitari poſſunt.

2 Primum, an ſpecies ſenſibiles impreſſæ (& idem eſt iudicium de ſpeciebus intelligibilibus) ſint ſubſtantiæ, an acciden-

dentia? Diuus Auguſtinus epiſt. 56. refert quorundam inſanum errorem, qui aſſerebant, ſpecies ſenſibiles, & etiam intelligibiles impreſſas, aut Deos eſſe, aut de ſubſtantia Dei.

3 Sed breuiter dicendum eſt cum vera, & communi ſententia, ſpecies ſenſibiles impreſſas (de his enim modò loquimur) eſſe accidentia quædam de prædicamento qualitatis: ratio eſt, quia ſi eſſent ſubſtantiæ; vel eſſent ſubſtantiæ ſpirituales, vel corporales; non poteſt dici, quòd ſint ſubſtantiæ ſpirituales; nam ſubſtantiæ ſpirituales non pendent in ſuo eſſe à re materiali; ſpecies autem impreſſæ ſenſibiles pendent in ſuo eſſe ab obiecto materiali, & ſenſibili, vt quæſtione 5. oſtendemus. Neque etiam dici poteſt, quòd ſint ſubſtãtiæ corporales, cum in eodem oculo ſint ſimul plures ſpecies ſenſibiles diuerſorum colorum; quod fieri non poſſet ſine actuali penetratione dimenſionum, quæ naturaliter dari non poteſt.

4 Ex quibus infero, inter ſpeciem impreſſam, & potentiam eſſe ſolùm accidentalem vnionem, vtpotè inter accidens, & ſubiectum; neque vllam maiorem poſſe excogitari, quidquid Caietanus fingat (quem recentiores aliqui Thomiſtæ ſequuntur) 1. part. quæſtione 14. artic. 1. exponens illud dictum commentatoris, *ex intelligibili, & intellectu fit magis vnum, quàm ex materia, & forma*; nam ex materia, & forma; etſi reſultet vnum tertium per ſe, ab vtraque diſtinctum; non tamen materia efficitur ipſa forma: at verò ex obiecto, & potentia tertium non reſultat (inquit Caietanus) ſed potentia fit ipſum intelligibile, ſeu obiectum, quod dictum commentatoris ſic expoſitum, falſum omnino iudicat Suarez libro 3. de anima capite 2. numero 5. cui libenter ſubſcribo. Nam inter materiam, & formam datur vnio ſubſtantialis, & ex illis fit vnum per ſe: inter potentiam verò, & eius obiectum non poteſt intelligi vnio pluſquam accidentalis, maximè quando vnio fit media ſpecie, vt in præſenti contingit: neque alio modo dici verè potuit, intellectum fieri ipſum intelligibile, niſi in quãtum informatur ſpecie, illud repræſentante; hoc autem modum accidẽtalis vnionis non tranſcendit.

5 Sed occurrit Caietanus, intellectum fieri ipſum intelligibile, non realiter, ſed intelligibiliter; hoc verò, quo modo intelligibiliter dicatur (inquit Suarez) non intelligo. & rectè quidem; nam ibi ſola potentia, & ſpecies, & earum vnio realis, & accidentaria inuenitur: quid ergo per vocem *intelligibiliter* importari ampliùs fingitur? Præterea, aut vniri intelli-

Digitized by Google

gibiliter eſt vniri realiter, aut non; ſi hoc vltimum dicatur, profectò ex vi vnionis ſequi nō poſſet realis actio, ſeu cognitio: ſi dicatur primum, iam diſtinctio eſt ſuperflua, & procedit argumentum, quòd ſit vnio inter res diſtinctas, & non ſubſtantiales, cùm ſit inter ſubiectum, & accidens; ergo accidentalis, quod eſt intentum, atque adeò nec maior erit, quàm inter materiam, & formā, neque potentia fiet ipſum obiectum. Item cum Caietanus, & recentiores Thomiſtæ dicunt, intellectum fieri intelligibile, (vel ſenſum fieri ſenſibile) aut id intelligūt de intellectu præciſo ab ſpecie, vel cum ſpecie compoſito: primum dici non poteſt, quandoquidem potentia præciſa ab ſpecie nihil reale habet, quod antea non habebat. Secundum autem nihil aliud eſt, quàm dicere compoſitum ex potentia, & ſpecie impreſſa virtualiter repræſentare obiectum, ſeu quod idem eſt, eſſe ipſum obiectū in eſſe virtuali repręſentatiuo, quod nullus negat. Eiuſmodi autem compoſitum vnione tantùm accidentali vnum eſt, quod eſt intentum.

6 Reſpōdent recētiores Thomiſtæ ex doctrina Caietani, in ſpecie impreſſa duo nos poſſe conſiderare, ſcilicet, & rationem qualitatis, & rationem imaginis, & in quantum qualitatē inhærere in potentia, vnūque per accidens cum illa cōſtituere; vt imaginem verò nō inhærere, ſed immediatè vniri potentiæ adeò, vt potentia fiat res ipſa, quæ repræſentatur. Sed quidquid ſit de iſta diſtinctione (de qua infra) ad ſolvendam difficultatem impertinens eſt; nam ſpecies impreſſa, ſub quacūque ratione accepta nō poteſt non eſſe accidens à potētia diſtinctum; & conſequenter nō identitatem, ſed accidentalem vnionem cum illa cauſare.

7 Secundum, quod dubitari poteſt, eſt, an ſpecies ſenſibiles ſint eiuſdem naturæ, & ſpeciei cum obiectis, quorum ſunt ſpecies? Partem affirmatiuam tenent Durandus in 2. diſtinct. 3. quæſt. 6. num. 17. & in 4. diſt. 49. quæſt. 2. num. 13. & Valleſius libro 2. cap. 23. & probant primò; cum ſpecies impreſſa ſit imago obiecti, neceſſariò habet cum illo ſimilitudinem; ſed relatio ſimilitudinis requirit vnitatem ſpecificam inter extrema; ſunt ergo ſpecies impreſſæ, & earum obiecta eiuſdem ſpecificæ naturæ.

8 Secundò probant; ſicuti ſe habent lux, & lumen; ita ſe habent obiectum, & ſpecies impreſſa; ſed lux, & lumē ſunt eiuſdē ſpecificę naturæ; ergo & obiectū, & ſpecies impreſſa illius.

9 Tertiò probant; ſpecies intētionalis coloris eſt viſibilis; ergo eſt color: antecedēs probatur inſtātia radiorum ſolarium vitrum coloratum tranſmeantium;

Digitized by Google

tium; eiuſdem enim coloris, ac vitrum, conſpiciuntur; talis autem color non niſi ſpecies impreſſa à colore vitri cauſata cenſeri debet.

10 Sed vera, & communis ſententia tenet oppoſitum, ſcilicet, ſpecies ſenſibiles impreſſas nõ eſſe eiuſdem naturæ ſpecificæ cum obiectis, quorũ ſunt ſpecies: ita colligitur ex Ariſtotele, qui hoc libro textu 121. ſpecies ſenſibiles impreſſas obiecti materialis vocat formas ſine materia; quod efficere nõ poſſet, ſi eſſent eiuſdem ſpecificæ naturæ cum obiecto.

11 Ratio efficax eſt, quia ſi ſpecies ſenſibiles impreſſæ eſſent eiuſdem naturæ ſpecificæ cum obiecto, abſque dubio cõpeterẽt prædictis ſpeciebus omnes proprietates, quæ competunt ipſis obiectis; ſed nõ competunt, ergo non ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ. Minor patet; nam ſæpè contingit, quòd obiecta ſint contraria, & impenetrabilia, & tamen ſpecies eorum nec ſunt contrariæ, cum ſimul ſint in eodem ſubiecto; neque impenetrabiles, cum ſimul ſint in eodem loco. Item ſpecies impreſſæ producuntur in inſtanti, etiam in magna diſtãtia, & ſimiliter replent magnum ſpatium; & tamen eorum obiecta non poſſunt produci in inſtanti, neque replere magnum ſpatium, ſed potiùs parvum. Et confirmari poteſt à ſimili de ſpeciebus impreſſis intellectualibus, quæ cum accidentia ſpiritualia ſint; res autem intellecta ſæpè ſubſtantia ſit, vel res materialis, manifeſtum eſt, non poſſe prædictas ſpecies, & earum obiecta eſſe eiuſdem naturæ ſpecificæ; ergo idem philoſophandum erit de ſpeciebus impreſſis ſenſibilibus.

12 Ad primam rationem ex adductis in contrarium (quæ ſi vim haberet, probaret vtique ſenſationem, & intellectionem; imò & imaginem Cæſaris eſſe eiuſdem naturæ ſpecificæ cum obiectis, quæ repræſentant; imò maiori ratione, quàm ſpeciem impreſſam, cum ſenſatio, intellectio, & imago Cæſaris ſint imagines, ſeu repræſentationes ſuorum obiectorum expreſſæ, & formales; ſpecies verò impreſſæ ſolùm ſint imagines, ſeu repræſentationes ſuorum obiectorum virtuales) facilè reſpõdetur, ex eo, quòd ſpecies tam impreſſæ, quàm expreſſæ ſint imagines ſuorum obiectorum, non ſequi eſſe eis ſimiles in entitate, & natura, quæ eſt relatio primi generis, & quæ fundatur, vel ſaltem requirit vnitatẽ ſpecificã inter extrema; ſed quod ſequitur, eſt, eſſe eis ſimiles in repræſentatione, ſeu commenſuratione, quæ cũ non ſit relatio primi generis, ſed tertij generis ex his, quæ numerauit Ariſtoteles cap. de relatione, non requirit inter extrema vnitatem

Digitized by Google

in natura ſpecifica, ſed potiùs diuerſitatem.

13 Ad ſecundam; qui negat lumen eſſe ſpeciem intẽtionalem lucis, conſequenter negant maiorem, ſcilicet, ita ſe habere obiectum, & ſpeciem impreſſam inter ſe, ſicut ſe habent inter ſe lux, & lumen. Nos verò, qui cum Scoto firmiter ſtatuemus infra diſput. 7. quæſt. 2. lumen eſſe ſpeciem intentionalem lucis; aliter reſpondemus, nimirum, concedendo maiorem; ſed negãdo minorem, videlicet, lucem, & lumẽ eſſe naturas eiuſdem ſpeciei propter eaſdem rationes, quibus idem probauimus de quacũque ſpecie impreſſa, & eius obiecto.

14 Ad tertiam; qui affirmant, ſpecies intentionales ſenſitiuas ita eſſe rationes ſentiendi, vt in nullo euẽtu ſentiri poſsint, negant antecedens, ſcilicet, ſpeciem intẽtionalem coloris eſſe viſibilem: & ad inſtantiam, qua probatur, non eodem modo reſpondent; quidam dicũt, tam in radijs ſolaribus vitrum coloratum trãſmeantibus, quã in corpore, in quo radij ſolares recipiũtur, produci verum colorem, licet remiſſum, à colore exiſtente in vitro, adiuto tamẽ à radijs ſolaribus, & hunc verũ colorem videri, tam in radijs, quàm in corpore, in quo recipiuntur; non verò ſpeciem intentionalem coloris exiſtentis in vitro.

15 Sed hæc reſponſio nõ placet; primò, quia cũ color exiſtens in vitro non ſit actiuus, nõ poterit alium ſimilem verũ colorem producere, etiam remiſſum, quãtumvis à radijs ſolaribus adiuvari fingatur. Secũdò, quia verus color, etſi in ſuo fieri à cauſa productiua depẽdeat, ſed non in ſua conſervatione: item mouetur ad motũ localẽ ſubiecti, in quo eſt; color verò ille, qui apparet, tam in radijs ſolaribus, quàm in corpore, in quo recipiuntur, ſeu terminantur, nõ ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari pendet à colore vitri, per quem tranſeunt radij ſolares; & ſimiliter, non mouetur localiter ad motũ ſubiecti, in quo recipitur; ergo non eſt verus color; ſed ſpecies intentionales vitri colorati, admiſtæ cũ radijs, ſeu lumine ſolis; quia his ſpeciebus cõpetit, & quòd pẽdeant non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari à ſuo obiecto; & ſimiliter quòd nõ mouentur ad motum localem ſubiecti, in quo recipiũtur, ſed potiùs ad motum localem obiecti, à quo emanant.

16 Propter hæc aliter reſpondet Suarez loco citato nu. 15. fatetur enim, colorem, quẽ videmus, tam in radijs ſolaribus, vitrum coloratum tranſmeantibus, quàm in corpore opaco, in quo radij iſti recipiuntur, ſeu terminantur, nõ eſſe verum colorem; ſed ſplendorem, ſeu lumen quoddam à ſole prouenieus, quod apparet coloratum

prop-

Digitized by Google

propter ſpecies intentionales coloris exiſtentis in vitro, illi admiſtas; negat tamen indeſe-qui nos videre ſpecies intētionales vitri colorati, quæ ſunt miſtæ cū illo ſplendore; ſed per reflectionē iſtarum ſpecierū ad oculum, nos videre colorē vitri, à quo dimanant; non ſecus, ac nos videmus ea, quæ ſunt à tergo, in ſpeculo, non quia videamus eorū ſpecies, quæ terminantur ad ſpeculū; ſed quia prædictæ ſpecies terminatæ ad ſpeculum reflectuntur ad oculum, & ſic per eas immediatè videmus non ipſas ſpecies, ſed obiecta, quorum ſunt ſpecies, non obſtāte, quòd ſint à tergo.

17 Sed hæc reſponſio Suarez etiam placere non poteſt; licet enim veriſsimum ſit id, quod aſſumit, & in principijs Scoti certum, nimirum, colorē, quē videmus, tam in radijs ſolaribus, vitrum coloratū trāſmeantibus, quàm in corporibus, in quibus illi radij recipiūtur, ſeu terminantur, non eſſe verū colorem ſed eſſe ſplendorem, ſeu lumen ſolis (quod lumen ſecūdum Scotum eſt ſpecies intentionalis ſolis) quod apparet coloratum propter ſpecies intentionales vitri colorati, illi admiſtas; falſum tamen eſt, quod ſubdit Suarez, ſcilicet, in iſto euentu nos non videre ſpecies intētionales vitri colorati, quæ ſunt admiſtæ cum ipſo ſplēdore, ſeu lumine ſolis; ſed potiùs per reflectionē ipſarū ad oculum nos videre colorē, qui eſt in vitro; experiētia enim oſtēdit oppoſitum, nimirū, in hoc euentu ſicut viſio noſtra non terminatur ad ſolē; ſed ad ſplēdorem, ſeu lumen, quod eſt ſpecies intentionalis ſolis; ita non terminari ad verum colorem, qui eſt in vitro; ſed ad ſpecies intentionales illius, quæ cum ipſo lumine, ſeu ſplendore ſolis ſunt admiſtæ: quis hoc neget cōtra experientiam ocularem? Neque inſtātia viſionis eorum, quæ ſunt à tergo, factæ medio ſpeculo, fauet Suarez, quin potiùs nocet; nam cum ibi viſio terminetur ad obiecta, quæ ſunt à tergo, & nihil videri poſsit, niſi per propriam illius ſpeciē; fateri cogimur, ea, quæ ſunt à tergo, videri in ſpeculo, eo quod ipſorum propriæ ſpecies intētionales terminatæ ad ſpeculum reflectūtur ad oculum: at in noſtro caſu, cum viſio neque terminetur ad ſolem, neque ad verum colorem, qui eſt in vitro, vt experientia oſtendit; ſed ad ſplendorem, ſeu lumen ſolis, & ad ſpecies intentionales coloris vitri, ex quarum admiſtione cum ſplendore, ſeu lumine ſolis prædictum lumen apparet coloratum; potiùs dicendum eſt oppoſitum, videlicet, prædictam viſionem neque fieri per reflectionem luminis; neque per reflectionem ſpecierum intētionalium coloris exiſtentis in vitro, ſed potiùs per nouas, & pro-

Digitized by Google

prias ſpecies intentionales tam luminis, quàm illius coloris, qui apparet in lumine, etiamſi tam lumen, quàm ille color apparens ſpecies etiam intentionales ſint.

18 Sed licet in iſtorum ſententia, quæ affirmat, ſpecies intẽtionales ſenſitiuas ita eſſe rationes ſentiendi ſua obiecta, vt in nullo euentu ſentiri poſſint, tertia ratio in contrarium adducta difficile ſolvi poſſit; tamen in ſententia noſtra, & Scoti, qui affirmat (vt infra diſputat. 7. quæſt. 2. agendo de lumine ex profeſſo oſtendemus) ſpecies intentionales ſenſitiuas, etſi tam parvæ entitatis ſint, vt in plurimum non ſentiantur; nihilominus natura ſua ſenſibiles eſſe, & de facto in pluribus euentibus ſentiri; facillimè ad iſtam tertiam rationem in contrarium adductam reſpondemus admittendo antecedens, videlicet, ſpeciem intentionalem coloris eſſe viſibilem (hoc enim meo videri efficaciter probat inſtantia radiorum ſolarium, vitrum coloratũ tranſmeantium, ad prædictum antecedens comprobãdũ ibi adducta, cui ſolutio Suarez non ſatisfacere num. 17. oſtenſum eſt) negamus tamen indè inferri, quòd ſpecies intẽtionalis coloris ſit verus color; & conſequenter eiuſdem naturæ ſpecificæ cum ſuo obiecto; nam color ille, qui videtur in radijs ſolaribus, vitrum coloratum tranſmeantibus, & in corporibus, ad quę terminantur, & abſque dubio cõſiſtit in miſtione ſpecierum intentionalium coloris vitri cum ipſis radijs ſolaribus, non eſt verus color, ſed apparens; non ſecus, ac ſunt colores, qui apparent in iride.

19 Tertium, quod dubitari poteſt, eſt, an natura ſpeciei impreſſę (ſuppoſito ex dictis, quòd ſit diuerſa in ſpecie à natura ſui obiecti) ſit perfectior natura ſui obiecti, an è contra? Ferrara 1. contra gentes cap 61. §. *Ad primam ſolutionem*, abſolutè docet ſpeciem impreſſam ſenſibilem eſſe perfectioris naturæ, quàm obiectũ, cuius eſt ſpecies. Probat ex Ariſtotele, qui hoc 2. libro textu 121. & 124. ſpecies impreſſas ſenſuum exteriorum (quę omnium imperfectiſſimę ſunt) appellat formas ſine materia: ergo ſentit eſſe quid ſpirituale; & conſequẽter quid natura ſua perfectius naturis ſuorum obiectorum, quæ non ſpirituales, ſed materiales ſunt.

20 Dicendũ nihilominus nobis eſt cum communis ſententia, naturas ſpecierũ impreſſarũ ſenſibilium imperfectiores eſſe naturis ſuorum obiectorũ: ratio efficax eſt, quia ſpecies impreſſæ ſenſibiles externorũ ſenſuum procedunt ab obiectis, tãquam à cauſis principalibus æquiuocis (vt dicemus quæſt. 5.) ſed omnis cauſa æquiuoca principalis eſt perfectior ſuo effectu: ergo naturæ obiectorũ ſenſibilium

Digitized by Google

lium perfectiores ſunt naturis ſpecierum ſenſibilium ipſorũ.

21 Et confirmatur ex modo dependendi harum ſpecierum à ſuis obiectis,qui ſatis manifeſtè indicat, eſſe earũ eſſe valdè diminutum, & imperfectum; pẽdent enim ab illis,tam in ſuo fieri, quàm in conſeruari abſque aliqua efficientia phyſica, ſeu naturali, cuius ſignum euidens eſt,quia videmus,has ſpecies procedere non ſolùm ab obiectis, quæ habent aliquam phyſicam, ſeu naturalem actiuitatem;ſed etiam ab obiectis, quæ nullam phyſicam, ſeu naturalem actiuitatem habent,vt ſunt albedo, nigredo, raritas, denſitas,&c.

22 Ad fundamentum Ferrarienſis reſpõdetur,Ariſtotelem appellare ſpecies impreſſas ſenſibiles ſenſuum exteriorũ formas ſine materia,non quia putaret eſſe entia ſpiritualia;nam ſi hoc exiſtimaret, non rectè docuiſſet, has ſpecies pendere in ſuo fieri, & conſeruari ab obiectis ſenſibilibus, & materialibus; & ſimiliter ſubiectari, ſeu educi de potentia ſubiectorum materialium,& corporalium, vt ſunt organa potentiarum ſenſibilium,& ſimiliter medium, vt eſt aër, vel aqua; ſed quia eſſe materiale, quod habent, eſt valdè diminutum, & imperfectioris ordinis ab eſſe, quod habent obiecta, quorum ſunt ſpecies; & hæc eſt ratio,cur ſpecies iſtæ nõ appellantur entia phyſica, ſeu naturalia, ſed entia intentionalia, nimirum, quia eſſe earum ita eſt imperfectum,vt ſolùm poſsit deſeruire ad intentiones; non verò ad præſtandum aliquem phyſicum, ſeu naturalem effectum.

23 Quartum,& vltimũ,quod dubitari poteſt eſt, an ſpecies impreſſæ,ſiue ſenſitiuæ,ſiue intellectiuæ ſint formales ſimilitudines obiectorum, an ſolùm dicãtur ſimilitudines obiectorũ virtualiter, & in genere cauſæ efficiẽtis,nimirũ, quia ſunt veluti ſemen obiectorũ,quo mediante potẽtia producit ſpeciẽ expreſſam, quæ ſecũdũ omnes eſt formalis ſimilitudo obiecti?

24 Prima ſententia affirmat, ſpecies impreſſas, tam ſenſitiuas,quàm intellectiuas eſſe formales ſimilitudines ſuorũ obiectorũ,ſeu quod idem eſt,formaliter repræſentare ſua obiecta:ita Patres Carmelitani diſput.18.q. 2. qui pro ea citant Diuum Thomam 1.par.q.12. art.2.& 2. contra gentes cap. 98. & libro 3. cap.49. Caietanum 1.parte quæſt.55.artic.3. Ferraram 2. contra gẽtes cap. 8.Bañez 1.part. quæſt. 85.art. 2.cõcluſione 3.& aliquos alios Thomiſtas.

25 Et probant primò ex Ariſtot.qui pluribus in locis appellant ſpecies impreſſas ſimilitudines obiectorũ, & per receptionẽ ipſarũ in potentia potẽtiã fieri ſimilem ſuis obiectis: imò

hoc

hoc in libro cap. 12. textu 21. & libro de memoria, & reminiſcẽtia cap. 1. ait, eodem modo imprimere obiecta proprias ſimilitudines in potentia, ac ſigillantes imprimunt in cera ſigillorum figuras; ſed ſigillantes imprimunt in cera ſimilitudines, & imagines formales ſigillorum: ergo etiam obiecta imprimunt in potentijs ſpecies, quæ ſint ſimilitudines, & imagines formales ipſorum.

26 Secundò probant rationibus; prima (& qua vtuntur Patres Carmelitani) ſpecies impreſſa per ſe primò inſtituta eſt ad repræſentandum obiectum: ergo non virtualiter, ſed formaliter illud repręſentat. Conſequentiam probant, quia id, quod primò, & per ſe competit alicui, non eſt *eſſe* vìrtuale, ſed *eſſe* formale, vt videre eſt in luce ſolis, cui cum virtualiter competat eſſe calidã, id, quod primò, & per ſe ei competit, nõ eſt eſſe virtualiter calidam, ſed eſſe formaliter lucem.

27 Secunda (& qua etiam vtuntur Patres Carmelitani) productio verbi creati eſt generatio quædam vitalis; & verbum (hoc eſt ſpecies expreſſa) procedit, vt filius aliquo modo, ſcilicet, ſecundum eſſe intẽtionale. ergo ſpecies impreſſa, qua mediante producitur verbum illud, debet eſſe ſimilitudo formalis obiecti. Conſequentiã probant, quia id, quod procedit tanquam quid vitaliter genitum, & vt filius, debet eſſe ſimilis ſuo principio, realiter quidem, ſi procedat realiter, & in eſſe naturali; intentionaliter verò, ſi procedat tantùm intentionaliter: ergo cum ſpecies impreſſa ſit principium verbi fœcundans intellectum, ſeu ſenſum, in ordine ad eius generationem; verbum, & ſpecies impreſſa debent eſſe eiuſdem naturæ intentionaliter; ſed verbum eſt ſimilitudo formalis, & expreſſa obiecti; ergo & ipſa ſpecies impreſſa.

28 Sed vera, & magis recepta ſententia tenet oppoſitum, ſcilicet, ſpecies impreſſas, tam ſenſibiles, quàm intelligibiles nõ eſſe formales ſimilitudines, & imagines ſuorum obiectorum, ſed ſolùm virtualiter, nimirum, in quantum ſimul cum potentia ſunt cauſæ efficiẽtes, *vt quo* ſpeciei impreſſæ, quæ ſecundum omnes eſt formalis ſimitudo, & imago obiecti: ita vt certum ſupponit Scotus, vbicumque loquitur de ſpecie impreſſa; imò in hoc illam diſtinguit ab ſpecie expreſſa, quòd hęc eſt formalis ſimilitudo obiecti, ſecus verò impreſſa: legatur in 2. diſtinct. 3. quæſt. 9. & quodlibeto 14. & ibidem eius commentator Lichetus; & ipſam expreſsè tenent, & defendunt Tolẽtus hic quæſt. 34. cõcluſione 3. Suarez lib. 3. de anima cap. 2. num. 20. Torres de Trinitate diſput. 5. quæſt. 1. & plures alij; imò Rubius tractatu

de

Digitized by Google

de ſpeciebus ſenſibilibus haud immeritò plauſibilem inter recentiores illam appellat.

29 Probatur primò ex Diuo Auguſtino, qui 1. de Trinitate cap.12.docet,ſpeciem impreſſam intelligibilem eſſe veluti ſemen obiecti: conſtat autem ſemen ſolùm eſſe ſimile principio, à quo deciditur, virtualiter,in quantum,ſcilicet,aliquo modo eſt cauſa effectus ſimilis formaliter, & ſpecifici principio,à quo deciditur:ergo ſentit Diuus Auguſtinus,ſpeciem impreſſam non eſſe formalem ſimilitudinē obiecti, à quo producitur,ſed virtualem,in quantum,ſcilicet,cum potentia cōcurrit ad productionem ſpeciei expreſſæ, quæ ſecundum omnes eſt formalis ſimilitudo, ſeu imago obiecti.

30 Secundò probatur hac ratione; ſi ſpecies impreſſæ eſſent formales obiectorum repreſentationes,effectum ſuum formalem neceſſariò communicarēt potentijs, quibus inhærent; & conſequenter potentiæ redderentur formaliter conformes intentionaliter ſuis obiectis,ſeu quod idem eſt,formaliter cognoſcentes; nam cognitio formalis nihil aliud eſt, quàm formalis conformitas intentionalis inter potentiam, & obiectū; hoc autē nullus affirmare poteſt,tum quia iam potentia poſt comparatas ſemel ſpecies impreſſas,ſemper eſſet in actu cognoſcendi,quamtumuis multas haberet,cum inhærēdo, neceſſariò formalem ſuum effectum ei communicarent;tum etiam quia ſi hoc præſtarēt, eſſet omnino ſuperflua productio intellectionis,ſiue ſpeciei expreſſæ; quæ omnia abſurda ſunt.

31 Reſpondent, per ſpecies impreſſas,& earum effectus formales, ſolùm reddi potentias conformes intentionaliter ſuis obiectis, & conſequenter cognoſcētes in actu primo,& ideo præter ſpecies impreſſas indigere potentiam elicitione, ſeu productione vitali ſpeciei expreſſæ, à qua in actu ſecundo, actu,& formaliter reddatur cōformis intentionaliter ſuis obiectis,ſeu quod idem eſt, actu, & formaliter cognoſcens ſua obiecta.

32 Sed reſponſio iſta, non ſolutio rationis factæ, ſed petitio principij eſt: ratio enim facta hoc ipſum vrget, nimirum, quòd ſi ſpecies impreſſa eſt formalis repræſentatio ſui obiecti, (vt aduerſarij ſuſtinent) non eſſe aliquid amplius deſiderandum ad actualem,& formalem cognitionem obiecti,niſi quòd prædicta ſpecies inhæreat, ſeu informet potentiam. Quod ſi vlteriùs aliquid amplius deſideratur(vt re vera deſideratur, ſcilicet, productio ſpeciei expreſſæ)hoc prouenire, quia, vt noſtra ſententia fert,ſpecies impreſſa non eſt formalis repræſentatio obiecti, ſicuti eſt expreſſa;ſed ſolùm illud repræſen-

tat

tat virtualiter, & in actu primo, in quantum, ſcilicet, eſt comprincipium cum potentia productionis ſpeciei, expreſſæ, quæ actu, & formaliter obiectum repræſentat.

33 Ad auctoritates Ariſtotelis reſpondetur, Ariſtotelem appellare ſpecies impreſſas, impreſſas ſimilitudines obiectorum, non quia ſint imagines intentionales, ipſa formaliter repræſentantes; ſed quia cum ſint ſemen obiecti, ac perconſequens in ſuo genere cauſæ ſpeciei expreſſæ, quæ eſt formalis ſimilitudo, & imago illius, virtualiter ſunt ſimilitudines ſuorum obiectorum. Quod ſi illas comparat ſimilitudinibus, quas relinquũt ſigilla in cera, hoc fecit, vt per quandam analogiam nobis explicaret modum, quo obiectum cauſat ſpeciem in potentia; non verò quia exiſtimauerit, ſpeciẽ impreſſam eſſe formalem ſimilitudinem obiecti, ſicut ſigillatio eſt formalis ſimilitudo ſigillis.

34 Ad primam rationem dicimus ſpeciem impreſſam primo, & per ſe inſtitutam eſſe ab auctore naturę ad repræſentandum obiectum; ſed non ad repræſentandum formaliter obiectum, vt aduerſarij contendunt; ſed ad repræſentandum obiectum virtualiter, vt nos aſſerimus: ex hoc autem quod in bona conſequentia infertur, eſt, eſſe formale, & primarium ſpeciei impreſſæ, conſiſtere in eſſe virtualiter repræſentatiuo ſui obiecti; nõ verò in eſſe formaliter repræſentatiuo: eſt enim fallacia accidentis, ex eſſe formali in eſſendo colligere eſſe formale in repræſentando, vt fit in hac prima ratione adducta à Patribus Carmelitanis. Neque inſtantia lucis ſolis eſt ad rem; nam lux ſolis non eſt per ſe primò inſtituta ab auctore naturæ ad eſſe virtualiter calidam; ſicut eſt per ſe primo inſtituta ſpecies impreſſa ad eſſe virtualiter repræſentatiuã obiecti, ſed ad eſſe lucem; & ſic non mirum, quòd eſſe formale, & per ſe primarium lucis nõ ſit eſſe virtualiter calidam, ſed eſſe lucem.

35 Ad ſecundam reſpondemus, ex eo quòd productio verbi creati ſit quædam generatio vitalis, & ipſum verbum productum procedat, vt filius aliquomodo, ſcilicet, ſecundum eſſe intentionale, non rectè inferri, quòd ſpecies impreſſa, qua mediante producitur hoc verbum, debeat eſſe ſimilitudo formalis obiecti, à quo procedit, & cuius dicitur ſemen: ſicuti non rectè infertur in generatione naturali, ex eo quod ſemen ſit medium, quo producitur naturalis filius, quod prædictum ſemen ſit ſimilitudo naturalis patris, a quo dicitur. Et ad probationem dicimus, illud quod procedit, vt verbum, ſeu filius intentionalis, non debere eſſe ſimile formaliter omni prin-

principio, à quo procedit; nam ſenſatio, & ſimiliter intellectio nõ ſunt ſimiles formaliter potentijs, à quibus procedunt; ſed ſolùm eſſe debet formaliter ſimile principio principali ſpecificatiuo, ſeu determinatiuo, quale eſt, non ſpecies, ſed obiectũ, cuius eſt ſpecies impreſſa.

36 Ex dictis colliges, quàm falſum ſit id, quod Patres Carmelitani loco citato quæſt. 3. inferunt, ſcilicet, ſpecies impreſſas eſſe eiuſdem rationis, & naturæ cum obiectis, quorum ſunt ſpecies, licet nõ in eſſe entitatiuo, & naturali, ſaltẽ in eſſe repræſentatiuo, ſeu intentionali; nam ſi, vt viſum eſt, ſpecies impreſſa non eſt formalis repræſentatio obiecti, profectò neque in eſſe repræſentatiuo, & intentionali ſpecies impreſſa erit eiuſdem rationis, & naturæ cum ſuo obiecto. Quod ſi Ariſtoteles, imò, & D. Thomas affirmant ſpeciem eſſe eiuſdem rationis, & naturæ in eſſe repræſentatiuo, & intentionali cum ſuo obiecto, loquuntur non de ſpecie impreſſa, ſed de ſpecie expreſſa, qualis eſt domus in mente artificis. Species enim expreſſa, cum ſit formalis repræſentatio ſui obiecti, optimè dicunt Ariſtoteles, & D. Thomas, eſſe eiuſdem rationis, & naturæ cum ſuo obiecto, licet non in eſſe entitatiuo, & naturali, ſaltem in eſſe repræſentatiuo, ſeu intentionali.

QVÆSTIO IV.

De extenſione, & intenſione ſpeciei ſenſibilis.

1 De extenſione, & intenſione ſpeciei impreſſæ ſenſitiuæ ferè nihil apud antiquos reperitur. Recẽtiores autem longam de hac re diſputationem in ſcholis induxerunt, quæ ideò præteriri non debet, ſed etiam à nobis exagitãda eſt.

2 Et incipiendo ab extenſione, conueniunt omnes, ſpecies ſenſibiles impreſſas extẽſas eſſe per accidens ad extenſionem quãtitatis ſubiecti, in quo inhęrent, non ſecus, ac extenduntur qualitates, aut quodcumque aliud accidens materiale; aliàs tota ſpecies inhæreret in toto ſubiecto, & tota in qualibet parte illius, quod accidẽti materiali pendenti in ſuo eſſe, fieri, & conſeruari à ſubiecto, vt eſt ſpecies ſenſibilis impreſſa, repugnat, non ſecus, ac repugnat, eundẽ numero effectũ pẽdere à pluribus cauſis materialibus totalibus, & adæquatis.

3 Sed quamuis in hoc omnes conueniant, differunt tamen in explicando, an præter iſtam extenſionem, quam recipiunt ſpecies à ſubiecto, in quo ſunt, quæ ideò appellari poteſt extenſio ſubiectiua, vel vt alij volunt, extenſio entitatiua; habeant etiam aliam per ordinẽ ad obiecta, quæ virtualiter re-

Digitized by Google

repræſentant, quæ ideò appellari poteſt extenſio obiectiua, vel vt alij dicunt, extenſio repræſentatiua.

4 Sunt, qui dicant, ſpeciem impreſſam in ordine ad obiectum, quod virtualiter repræſentat, in indiuiſibili conſiſtere, non obſtante, quòd in ordine ad ſubiectum, in quo inhæret, diuiſibilis ſit in partes entitatiuas, & extẽſiuas. Affirmant enim ſpeciem impreſſam produci à ſuo obiecto indiuiſibiliter, nimirum, totam, & quamlibet partem eius à toto obiecto, & à qualibet parte eius: & è contra ſpeciẽ impreſſam virtualiter repræſentare ſuum obiectum, etiam indiuiſibiliter, nimirum, totam ſpeciem, & quamlibet partem eius repræſentare virtualiter totum obiectum, & quamlibet partẽ eius: ita Toletus hic quæſt. 34. & Auerſa quæſt. 53. *de ſpeciebus ſenſibilibus*, ſectione 3.

5 Primam partem huius ſentẽtiæ, ſcilicet, ſpeciem impreſſam produci ab obiecto indiuiſibiliter, totam, & quamlibet partem eius à toto obiecto, & à qualibet parte eius, probat Toletus exemplo de lumine producto in medio ab aliquo corpore luminoſo, quod ita ſe habet ad productionem luminis, vt omnes eius partes coniungantur per modum vnius agẽtis, & ſic totum lumen productum, atque quælibet pars eius pendet à toto corpore luminoſo, & à qualibet parte eius, & non totum à toto, & pars à parte: ergo eodem modo philoſophãdum erit de ſpecie impreſſa producta in medio, vel in potentia ab obiecto, ſcilicet, quòd ita ſe habeat obiectum ad productionem eius, vt omnes illius partes coniungantur per modum vnius agentis ad producendam ſpeciem; & cõſequenter tota ſpecies, & quælibet pars eius pendeat à toto obiecto, & qualibet parte eius, & non tota ſpecies à toto obiecto, & pars à parte, quod eſt indiuiſibiliter ab obiecto dependere.

6 Secundam verò partem huius ſententiæ, ſcilicet, ſpeciem impreſſam repræſentãtem virtualiter ſuum obiectum, illud indiuiſibiliter repræſentare, ſcilicet, totam ſpeciem, & quamlibet partem eius, totum obiectum, & quamlibet partẽ eius, probat Auerſa ex eo, quòd totum obiectum, etiamſi ſit maximæ molis, cõſpicitur ex quouis puncto medij: hoc enim experientia docet, & rationem aſsignant perſpectiui, nimirum, quia productio ſpeciei impreſſæ fit ab obiecto ad modum pyramidis, cuius vaſis ſit in ſuperficie obiecti viſi; vertex autem in quovis puncto medij, id eſt, in centro oculi, in quovis puncto ſpatij cõſtituto. Hoc autem (inquit hic auctor) imperceptibile apparet, ſi ſpecies impreſſa ponatur ratio repræſentandi ob-

obiectum modo diuiſibili, ita vt tota repræſentet virtualiter totum obiectum, & quælibet eius pars certam, & determinatam partem obiecti: tum quia imperceptibile eſt, quomodo partes repræſentatiuæ obiecti magnæ molis poſsint in tam paruiſsima ſpecie impreſſa qualis eſt in cētro, oculi coaduniri: tum etiam, quia hic modus repræſentandi obiectum eſſet valdè confuſus.

7 Confirmatur eadem aſſertio ab eodem auctore loco citato, ſect. 5. ex ipſo actu viſionis: viſio enim (inquit hic auctor) in oculo eſt vnus ſimplex actus, quo cōcipitur totum obiectum; neque dantur partes diuerſæ, & quaſi heterogeniæ in viſione, ex eo, quòd obiectum, quod videtur, ex partibus diuerſis, & heterogenijs conflectur; ergo ſimiliter eſt vna ſimplex ſpecies indiuiſibiliter à toto obiecto, & omnibus eius partibus immiſſa, quæ ſit comprincipium talis actus.

8 Sed verior ſententia attribuit ſpeciei impreſſæ extenſionem obiectiuam, tantam, quāta eſt in obiecto, à quo immititur in potentiam, & quod per ipſam virtualiter repræſentatur: itaque aſſerit, ſpeciem impreſſam produci ab obiecto modo diuiſibili, nimirum, totam à toto, & partem à parte; & cōſequenter eodem modo ſpeciē impreſſam virtualiter obiectum repræſentare, totam totum obiectum, & partem partem: ita noſter Cabellus Archiepiſcopus Armachanus ſuper libros Scoti de anima diſp. 2. ſect. 14. Suarez 3. libro de anima cap. 2. Hurtado diſput. 12. de anima ſect. 5. Rubius tractatu de obiectis, & ſpeciebus ſenſibilibus quæſt. 5. & plures alij

9 Ratio à priori eſt, quia ſpecies impreſſa ex intrinſeca natura ſua eſt virtualiter repræſentatiua obiecti, non qualiſcumque; ſed illius ſolùm à quo procedit; ergo ex intrinſeca natura ſua petit conformari ſuo obiecto, tam in ſua virtuali repræſentatione, quàm in ſua actuali productione; & conſequēter, ſi obiectum, à quo procedit, & quod virtualiter repræſentat, eſt extenſum, & habens partes; etiam ipſa, tam in ſua virtuali repræſentatione, quàm in ſua actuali productione extenſa erit, & habens partes obiectiuas.

10 Confirmatur, & declaratur ampliùs; quælibet pars obiecti, ſiue heterogenia, ſiue homogenea ſit, eſt cauſa adæquata, & totalis productionis ſpeciei impreſſæ, quæ illam partem obiecti virtualiter repræſentat; ergo ſuperfluè tam ad eius productionem, quàm ad eius repræſentationem requiritur ſimultaneus influxus alterius partis obiecti: conſequentia legitima eſt; antecedens cōtra prioreſ̄ oſtēdit experientia,

ſtia, qua experimur, quando intuemur aliquod obiectum extẽſum, ſi aliqua illiꝰ pars occultetur, etſi pereat in oculo ſpecies impreſſa, quam emittebat illa pars obiecti, quæ occultatur; nihilominus manere intactam & integram ſpeciem impreſſam, quam emittebat illa pars obiecti, quæ non occultatur: ergo ſignum euidens eſt, quòd quælibet pars obiecti ſit cauſa totalis, & adæquata productionis ſpeciei impreſſæ, quę illam partem obiecti virtualiter repræſentat: imò etiam ſignum euidens eſt diſtinctionis realis inter illas partes ſpeciei impreſſæ, quæ virtualiter repræſentant illas partes obiecti, cum vna corrumpi poſſit, altera intacta, & integra remanente.

11 Ad exemplum de lumine producto in medio ab aliquo corpore luminoſo, quo conatus eſt Toletus ſuam ſentẽtiam comprobare, reſpõdere poſſemus in ſententia Scoti, quæ (vt videbimus diſput. 7. q. 2.) ſuſtinet, lumen eſſe ſpeciẽ impreſſam corporis lucidi, prædictũ exemplum eſſe petitionẽ principij, & conſequenter eſſe falſum, cum idẽ affirmandũ ſit de lumine producto à corpore lucido, ac de productione cuiuſcũq; alterius ſpeciei impreſſæ.

12 Verũ enim verò quia eandem inſtantiam facere poſſet Toletus in productione caloris (vel alterius ſimilis qualitatis phyſicę, ſeu naturalis) ad cuius productionẽ (in cõmuniori, & vera ſentẽtia) omnes partes corporis calidi cõiungũtur per modũ vnius agentis, & ſic totus calor, & quælibet illius pars producitur à toto corpore calido, & à qualibet illius parte, licet à toto adæquatè, & à partibus inadæquatè; ideò ad hanc, & ſimiles alias inſtantias aliter reſpondemus.

13 Dicimus enim, diſparem eſſe rationem de productione caloris, & aliarum ſimiliũ qualitatum, ac de productione ſpecierum impreſſarum ſenſibilium; & diſparitas in hoc conſiſtit, quòd ſpecies impreſſæ, vt ſupra dicebamus, cum ex intrinſeca natura ſua habeant eſſe virtualiter repræſentatiuas per modum imaginis obiectorum, à quibus procedũt; etiam ex natura ſua intrinſeca petunt, quando producuntur ab obiectis, quę habent partes extenſas certas, & determinatas, produci diuiſibiliter, id eſt, ita vt tota ſpecies producatur à toto obiecto, & quælibet pars determinata à parte determinata obiecti, quam determinata virtualiter per modũ imaginis intentionaliter repræſentat, quod in obiecto habẽte partes heterogenias magis manifeſtè oſtendit experientia. At calor productus à corpore calido, cũ ex natura ſua intrinſeca nõ habeat eſſe virtualiter repræſentatiuus per modum imaginis prin-

principij, à quo procedit, licèt ſit ei ſimilis in eſſentia, vt contingit ſemper, quòd productiones ſunt vniuocæ; nihil intereſt, quòd eius productio ſit indiuiſibilis, etiamſi corpus calidum habeat partes extenſas; quia nihil impedit, quòd omnes partes corporis calidi cōiungantur per modum vnius agentis ad illum producendū.

14 Pro ſolutione rationis Auerſæ, qua conabatur probare, ſpeciem impreſſam repræſentantem virtualiter ſuum obiectum, illud indiuiſibiliter repræſentare, & etiā pro maiori, & clara intelligentia eorum, quæ dicta ſunt, notare oportet, extenſionem ſubiectiuam ſpeciei impreſſæ, & extenſionem obiectiuam eiuſdem ſpeciei impreſſæ adinuicem comparatas ſe habere ad modum, quo ſe habent in albedine, vel alia ſimili qualitate latitudo extenſiua, & latitudo intenſiua: vnde ſicut latitudo intenſiua albedinis reperitur tota in tota extenſione albedinis, & tota in qualibet parte illius, etiamſi ſit minutiſsima; ita etiam extenſio obiectiua ſpeciei impreſſæ, quæ conſiſtit in repræſentatione virtuali totius obiecti, & partium eius, reperitur tota in tota extenſione ſubiectiua eiuſdem ſpeciei impreſſæ, & tota in qualibet parte illius extenſionis, etiamſi ſit minutiſsima, vt eſt, quæ reperitur in pupilla oculi.

15 Ex hoc prænotato patet, quàm perceptibile ſit id, quod Auerſa imperceptibile appellat, ſi ſpecies impreſſa ponatur, ratio repræſentandi virtualiter obiectū modo diuiſibili, ſupponendo id, quod experientia oſtendit, & perſpectiui docēt, ſcilicet, totū obiectū, etiāſi ſit maximæ molis conſpici poſſe ex quouis puncto medij, per quod diffunduntur eius ſpecies: nam reſpondemus, quòd ſicut optimè percipitur, quòd intenſio qualitatis, quæ reperitur in tota extenſione qualitatis, etiāſi ſit maxima, reperiatur, & abſque vlla confuſione, in qualibet parte illius extenſionis, etiā minutiſsima: ita etiam optimè percipi, quòd ratio repræſentatiua obiecti modo diuiſibili, quæ reperitur in tota extenſione ſubiectiua ſpeciei impreſſæ, etiam reperiatur, & abſque vlla confuſione, in qualibet parte illius extenſionis, etiam minutiſsima, nō obſtāte, quòd obiectum ſit magnæ molis: & ideò non mirum, quòd totum obiectum, etiamſi ſit maximæ molis, percipiatur à quouis pūcto medij, per quod diffunditur illius ſpecies impreſſa.

16 Ad cōfirmationem adductam ab eodem auctore dicimus, viſionem, à qua formaliter denominamur vidētes, quę non eſt actio (vt prædictus auctor videtur præſupponere) ſed quædam qualitas producta à potentia viſiua, & ab ſpecie im-

impreſſæ obiecti, quod videtur, & quæ dicitur ſpecies expreſſa, eo quòd ex natura ſua intrinſeca habet formaliter, & expreſsè eſſe rationem repræſentandi totum obiectum, & partes eius; etſi non per plures actiones, ſed per vnicam tantũ producatur, nihilominus ipſa non eſt ratio formalis, & expreſſa repræſentandi obiectũ, & partes eius modo indiuiſibili, vt Auerſa videtur præſupponere, ſed potius modo diuiſibili, vt rationes adductæ ad idem probandum de ſpecie impreſſa efficaciùs cõuincunt. Vndè ex comparatione viſionis, ſeu ſpeciei expreſſæ ad ſpeciẽ impreſſam, quæ eſt illius principiũ potius colligitur oppoſitũ illius, quod intendebat Auerſa.

17 Si ſermo ſit de intenſione ſpeciei impreſſæ, dubitant auctores, an ſpecies impreſſæ ſint diuiſibiles ſecundum intenſionem. Et ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia ſolùm duobus modis poteſt intelligi, ſpeciem impreſſam eſſe diuiſibilem ſecundum intenſionẽ; primò, quia plures gradus intenſionis obiecti virtualiter repræſentat, quæ ideò appellari poteſt intenſio obiectiua. Secundò, quia virtualiter repræſentat obiectum magis, & minùs perfectè, quod contingere poteſt, ſiue ſit obiectum capax intẽſionis, & remiſionis, vt ſunt albedo, nigredo, &c. ſiue non ſit capax, vt ſunt magnitudo, figura, numerus, &c. quæ ideò appellari poteſt intenſio perfectiua, ſeu entitatiua; ſed nullo ex his duobus modis poteſt ſpecies impreſſa eſſe diuiſibilis ſecundum intenſionẽ; ergo nullã diuiſibilitatẽ habet: probatur minor quoad vtrãq; partẽ.

18 Et in primis ſpeciem impreſſam obiecti diuiſibilis ſecundum intenſionem non repræſentare virtualiter modo diuiſibili plures gradus intenſionis ſui obiecti; ſiue, quod idẽ eſt, non habere gradus intẽſionis, quorum quilibet ſit productus à certo, & determinato gradu intenſionis ſui obiecti; ſed potius omnes gradus intenſionis obiecti, per modum vnius agentis concurrere modo indiuiſibili, tam ad totam intenſionem ſpeciei impreſſæ, quã ad ſingulos gradus illius; ſuaderi poteſt exemplo de productione caloris, quo ſupra vſus eſt Toletus ad probandũ non dari in ſpecie impreſſa extenſionem obiectiuam.

19 Neque obſtat ſolutio, quã nu. 13. aſsignauimus, ſcilicet, eſſe diuerſam rationẽ de productione caloris, & de productione ſpeciei impreſſæ, in qua cum ſit virtualiter imago ſui obiecti, non poteſt quælibet pars eius produci à toto obiecto, & à qualibet parte eius, ſed neceſſariò requiritur, quòd producatur præcisè ab illa parte, cuius eſt virtualiter imago: hoc, inquam, non obſtat; nam di-

diuerſa lōgè eſt ratio de extēſione, & intenſione obiecti, cū partes extenſionis obiecti ſint in diuerſis partibus ſubiecti, & ſimiliter in diuerſis locis partialibus, & ſic non mirū, quòd quælibet pars determinata poſſit determinatam partem ſpeciei producere per propriā virtutem, qui modus producendi eſt diuiſibilis: at partes, ſeu gradus intenſionis ſunt in eadem parte ſubiecti, & in eadem parte loci, & ſic non poterunt producere intēſionem ſpeciei impreſſæ, quin omnes per modū vnius agentis concurrant ad productionem totius intenſionis, & cuiuslibet gradus eius, qui modus producendi indiuiſibilis eſt.

20 Deindè quòd ſpecies impreſſa non poſsit repræſentare obiectum, cuius eſt ſpecies magis, vel minùs perfectè, qui eſt ſecundus modus diuiſibilitatis intenſiuæ, qui excogitari poteſt in ſpecie impreſſa; probari poteſt ex eo, quòd obiectū ad productionem ſpeciei impreſſæ, ſemper concurrit eodem modo, & non magis perfectè modò, & poſteà minùs perfectè, vel è contra; ergo ſpecies impreſſa æquè ſemper illud repræſentat.

21 Sed his non obſtantibus, dico primò; ſpecies impreſſa obiecti, diuiſibilis ſecundum intēſionē, modo diuiſibili repræſentat virtualiter gradus intenſionis ſui obiecti; & conſequenter fatendū eſt, ſpeciē impreſſam eſſe diuiſibilē ſecundū intenſionē obiectiuā: eſt cōmunior aſſertio inter recentiores.

22 Hæc concluſio principaliter probanda eſt rationibus, quibus num. 9. & 10 probauimus, ſpeciē impreſſam habere extēſionem obiectiuam; nam ſi in hac materia cum debita proportione fiant, non minus efficaciter oſtendent, ſpeciem impreſſam eſſe diuiſibilem ſecundùm intenſionem obiectiuam, ac ibi oſtendebant, eſſe diuiſibilem ſecundum obiectiuam extenſionem.

23 Poteſt præterea probari hac ratione; ſpecies expreſſa, qualis eſt ſenſatio, formaliter, & expreſsè repræſentat diuiſibilitatē intēſiuam ſui obiecti; aliàs nō poſſemus per illā cognoſcere, obiectū ſecundū intēſionē eſſe diuiſibile; ergo ſignū euidēs eſt, quòd ſpecies impreſſa, quæ ſimul cum potētia ſenſitiua cōcurrit effectiuè ad productionē ſpeciei expreſſæ, repræſentabat virtualiter prædictā diuiſibilitatē intēſiuam; aliàs nō poſſet cauſare ſimul cū intellectu ſpeciē expreſſam, illam formaliter repræſentantē.

24 Dico ſecūdò; ſpecies impreſſa poteſt virtualiter repræſentare ſuum obiectū (ſiue diuiſibile ſit ſecundū intenſionē, ſiue prædicta diuiſibilitate careat) magis, vel minùs perfectè; ac per conſequens fatendū eſt, ſpeciē impreſſam eſſe diuiſibi-

 bi-

bilē ſecundum intenſionē perfectiuā, ſeu entitatiuā: hæc aſſertio cōmunis eſt inter recentiores, qui difficultatē iſtā attingunt, & ipſam probat experientia, qua experimur, idem obiectū in loco diſtanti imperfectiùs videri, ac quando ponitur in loco proximo; ergo ſignum euidens eſt, quòd ſpecies impreſſa, quam accipit potentia in loco diſtāti, eſt imperfectior ſpecie, quam accipit in loco proximo: patet cōſequētia, quia cū potentia ſit eadem; perfectio, vel imperfectio illius viſionis ſolū tribui poteſt perfectioni, vel imperfectioni ſpeciei impreſſæ, quæ eſt aliud principium, quod ſimul cū potentia concurrit ad viſionem.

25 Confirmatur (& eſt ratio à priori) agens naturaliter fortiùs, & perfectiùs agit in propinquum, quàm in remotum; ſed obiectū in productione ſpeciei impreſſæ agit naturaliter; ergo perfectiorē ſpeciē ſui producet in potētia proxima, quā in potentia remota; & cōſequenter ſpecies impreſſa erit diuiſibilis ſecundum intenſionem perfectiuam, ſeu entitatiuam, quod eſt intentum.

26 Ad rationem dubitandi pro parte negatiua adductā negamus minorē, ſcilicet, nullo ex duobus modis ibi aſsignatis poſſe ſpeciē impreſſam eſſe diuiſibilem ſecundū intenſionē; nam probatū eſt, vtrumq; modum diuiſibilitatis ſecundum intenſionē ei conuenire: & ad probationē prioris partis dicimus, ſolutionē ibi aſsignatam optimā eſſe. Nec refert, quòd ibi obijcitur, ſcilicet, partes extēſionis obiecti eſſe in diuerſis ſubiectis partialibus, & ſimiliter in diuerſis partialibus locis; ſecus verò partes, ſeu gradus intēſionis: nā ratio, cur partes extēſionis nō cōcurrāt per modū vnius agentis ad productionē ſpeciei impreſſæ, nō eſt, quia ſunt in diuerſis ſubiectis partialibus, & in diuerſis partialibus locis; ſed quia ſpecies repræſentat virtualiter obiectū per modū imaginis, & ſic non poteſt quælibet pars ſpeciei à toto obiecto, & à qualibet parte illius prouenire; ſed neceſſariò prouenire debet à ſola illa parte obiecti, quā virtualiter repræſentat. Et hæc ratio æquè cōcludit, gradus intēſionis obiecti non poſſe per modū vnius agentis concurrere ad productionem intenſionis ſpeciei impreſſæ, etiamſi ſint in eadē parte ſubiecti, & in eodem loco; ſiquidem ſpecies impreſſa etiā illos virtualiter repræſentat per modum imaginis, ſaltē vt *quo*.

27 Ad probationem poſterioris partis negamus antecedens, ſcilicet, obiectum æquè perfectè concurrere ad productionē ſpeciei impreſſæ; nam cum agat naturaliter, fortiùs, & perfectiùs agit in propinquum, quàm in remotum.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

A quo, & quomodo producatur ſpecies impreſſa ſenſibilis?

1 SOlum eſt ſermo de ſpeciebus impreſsis ſenſibilibus externorum ſenſuum; nam de cauſis ſpecierum impreſſarum ſenſuum internorum commodius agemus 3. libro: & ſimiliter ſolū eſt ſermo de cauſa efficiente; nā ſi loquamur de alijs tribus cauſis, ſcilicet, formali, finali, & materiali, tria, vt certa præſuppono; primum, prædictas ſpecies impreſſas nō habere cauſam formalem, ipſas intrinſecè conſtituentem, cuius ratio eſt, quia ſunt formæ quædam accidentales, & manifeſtum eſt, formā non conſtitui intrinſecè in eſſe talis per aliā formā; aliàs daretur proceſſus in infinitum. Secundū, cauſam finalem harum ſpecierum eſſe ſenſationem, cum gratia ſenſationis producantur in potentia ſenſitiua. Tertium, huiuſmodi ſpecies (quidquid aſſerat Sonzinas 7. Metaph. q. 8.) educi de potentia ſubiecti, in quo inhærent, & conſequenter habere cauſam materialem; aliàs fierent ex nullo præſuppoſito ſubiecto, & conſequenter per creationem, quod repugnat effectui prouenienti ab agente creato, & virtutis limitatæ.

2 Loquendo ergo de cauſa efficienti, Auicena apud Diuum Thomam quæſt. 10. de *veritate* artic. 6. voluit, ſpecies impreſſas ſenſibiles ſenſuum externorum non gigni in potentijs, niſi ex influentia cuiuſdam intelligentiæ, quā ponebat à corporibus ſeparatā. Auerroes 2. de anima comm. 60. vult ponendum eſſe quendam motorem extrinſecū in ſenſibus animaliū, diuerſum à ſenſibilibus, cuius munus ſit producere ſpecies in ſenſibus. Buccaferrus apud Zabarellam libro de ſenſu agente, c. 3. affirmat, præter obiectum, eſſe neceſſarium aliquod externū agens ad producēdas has ſpecies, & hoc agens eſſe cælum operans per virtutem intelligentiæ. Sueſſenus apud eundem Zabarellā, etſi admittat, ſpecies iſtas effici ab obiecto; addit, non effici principaliter, ſed inſtrumentaliter, & à Deo effici principaliter, ita vt obiectum agat in producenda ſpecie, tanquam inſtrumentum Dei.

3 Sed vera, & communis ſententia docet, ſpecies iſtas impreſſas ſenſuum exteriorum efficienter provenire ab obiecto, tanquam à cauſa principali, & adæquata æquiuoca: ita vt certum præſupponit Scotus pluribus in locis; legatur in 2. diſt. 13. & diſt. 16. q. vnic. & in 4. diſt. 16. q. 9. & quodlib. 14. D. Thom. 1. p. q. 111. art. 4. & 1. contra gētes, cap. 65. & omnes diſcipuli ipſorum, imò omnes Peripatetici.

Digitized by Google

4 Probatur primò ex Ariſtotele, qui 5. capite huius libri docet, ſenſum pati, & reduci ad actũ ſentiendi per obiectũ; ſed hoc non præſtat obiectum per ſe ipſum; ergo hoc affirmat, quia ſpecies impreſſa, per quam, vt ſupra dictum eſt, reducitur ſenſus ad actũ, & à qua ipſam recipiendo patitur, prouenit ab obiecto, vt à cauſa efficiẽtī principali, & adæquata.

5 Secundò probatur rationibus; prima, quia non alia ratione colligimus, calorẽ prouenire efficienter ab igne, ſeu ab eius calore, niſi quia præsẽte igne ponitur calor, & eo ablato, aufertur etiã calor; ſed eodẽ modo ſentimus, præſente obiecto ſtatim produci in potentia ſpeciẽ illius impreſſam, & eo ablato prædictam illius ſpeciem non conſeruari: ergo ſignum euidẽs eſt, huiuſmodi ſpeciem impreſſam ſenſibilẽ pendere ab obiecto in ſuo eſſe, & cõſeruari, vt à cauſa efficiẽte æquiuoca. Quod autẽ procedat ab obiecto, vt à cauſa efficiente principali, & non à Deo, vt à cauſa principali; ab ipſo autẽ obiecto, vt ab inſtrumento Dei, vt dicebat Sueſſenus, patet, quia etiamſi obiectũ in actuali productione ſpeciei impreſſæ dependeat à concurſu actuali Dei, ſicut & dependent omnes aliæ cauſæ efficiẽtes creatæ; nihilominus virtutem, quam habet ad producẽdam prædictam ſpeciem, non recipit à ſimultaneo concurſu Dei, ſed illam habet in actu primo, & in eſſe quieto, & ante quam operari incipiat, & vt docuimus 2. libro Phyſicorum diſp. 4. q. 3. num. 5. ex eleganti doctrina Scoti, in hoc differunt cauſæ inſtrumentales effectiuæ à principalibus, quòd principales habent virtutem effectiuam in actu primo, & in eſſe quieto, & ante quam operari incipiant, inſtrumentales verò non, ſed virtutem operãdi, in ipſa actuali motione, qua mouentur à cauſis principalibus, recipiunt.

6 Secunda ratio, quia vanũ, & ſuperfluum eſt, fingere aliã cauſam, præter obiectum, productiuam ſpecierum impreſſarum ſenſibilium. Nam ſi dicas in fauorem Auicenæ, vel Buccaferri, neceſſarium eſſe ponere, præter obiectum, aliquam intelligentiam, à qua prædictæ ſpecies producantur; quia ſpecies iſtæ, cum ex Ariſtotele ſint formæ ſine materia, erunt ſpirituales, & conſequẽter excedentes naturã obiecti, quod quid materiale eſt: iam patet ex dictis quæſtione præcedenti à numer. 20. & ſequentibus, ſpecies iſtas, valdè imperfectiores in ſua entitate eſſe ſuis obiectis; neque ab Ariſtotele appellari formas ſine materia, quia putauerit, eſſe ſpirituales; ſed quia eſſe materiale, quod habent, eſt valdè diminutum, & imperfectioris ordinis, ab

eſſe

Digitized by Google

eſſe materiali, quod habent obiecta, quorum ſunt ſpecies. Si verò in fauorem Auerrois reſpondeas, præter obiectum, ponendum eſſe in ſenſibus animalium quendam motorem extrinſecum, qui appelletur ſenſus agens, ductus exemplari intellectus agentis; potius ex prædicto exemplari oppoſitum deducendum eſt. Nam ſi cogimur ponere intellectum agentem diſtinctum, ſaltem in munere, ab intellectu poſsibili, hoc eſt, quia ſpecies impreſſæ intelligibiles ſpirituales ſunt, ſicut & ipſe intellectus, in quo recipiuntur, quæ proindè non poterunt à ſolo corporeo agente produci: cum ergo ſpecies impreſſæ ſenſibiles externorum ſenſuum corporeæ, & materiales ſint, non ſecus, ac eſt organum ſenſus, in quo recipiuntur; ratio, quæ probat neceſsitatem intellectus agentis, eademmet cōuincit ſuperfluitatem ſenſus agentis ad productionem earum.

7 Sed iam ad explicandum modum, quo ſpecies impreſſæ ſenſibiles ſenſuum externorū à ſuo obiecto producantur (quod eſt ſecundū, quod quærit quæſtio) accedamus: & omiſſa dubitatione, an prædictę ſpecies producantur à ſuis obiectis modo indiuiſibili; an diuiſibili? quia in quæſtione pręcedenti latè diſcuſſum eſt; primum, quod dubitari poteſt, eſt, an iſtæ ſpecies ita depēdeāt in ſuo eſſe, & cōſeruari à præſentia ſuorum obiectorum, vt illis ablatis, ſtatim deleantur, ſeu pereant, & euaneſcant?

8 Gabriel Vazquez 1. part. diſputat. 38. cap. 2. numer. 9. & diſput. 208. cap. 3. num. 9. & 1. 2. diſput. 81. num. 17. affirmat, ſpecies impreſſas externorum ſenſuum aliquandiu permanere, remoto obiecto, atque adeò non ita dependere ab illo in conſeruari, vt ſtatim eo ablato deleri debeant; ſed tamen de ſe paulatim deficere, donec penitus euaneſcant; quam ſentētiam ſine nomine auctorum, attribuūt Conimbricenſes hic cap. 6. quęſt. 2. art. 3. dubio 2. nonnullis Ariſtotelis interpretibus in libro de ſenſu, & ſenſibili, & in libro de inſomnijs: imò Ariſtoteles ipſe docere videtur, in abſentia obiecti permanere ſpeciem, & fieri ſenſationem libro iſto de anima; nam textu 138. ait, *Abeuntibus ſenſibilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ipſis ſenſorijs*: & libro de *inſomnijs*, non ſolùm id docet, ſed aliquibus experientijs comprobat, idemque præſtat D. Auguſtin. lib 10. de Trinitate c. 20.

9 Probari poteſt hæc ſententia primò aliquibus experientijs; prima, & quam affert Diuus Auguſtinus loco citato; cum quis firmo obtutu ſolem aſpexit, vel aliquod ſimile obiectum vehemens, vt feneſtræ cācellos luce perfuſos; poſtea li-

licèt oculos diuertat, vel claudat, adhuc pro aliquo tempore intuetur, licèt imperfectè, idē obiectum ante ſe, quod manifeſtè oſtēdere videtur, permanere in oculis aliquandiu ſpeciē obiecti, licèt in ſtatu corruptionis, & imperfecto. Secūda, & quā affert Ariſtoteles loco citato de *inſomnijs*, cap. 2. ſi validum quendā colorem firmiter pro aliquo tēpore inſpiciamus, vt album, vel viridem, dum poſtea oculos ad alia obiecta conuertimus, apparēt veluti eodem illo colore imbuta, quod pariter non alia ratione videtur accidere, niſi quia aliquandiu permaneat ſpecies præcedēs in oculis, licèt in ſtatu corruptionis, & imperfecto.

10 Secūdò probari poteſt hac ratione; ſpecies iſtæ (vt ex dictis quæſtione præcedenti patet) habent ſuam intenſionem entitatiuā, & incremēti, & decrementi gradus, ſecundum quos augeri, minuique poſſunt ſucceſsiuè: igitur etiamſi obiectū, à quo imprimuntur in potentia, ſubito amoueatur, adhuc ſecundum aliquā partem ſuæ intenſionis in potētia manebūt, poteritque potētia ſenſitiua eis vti ad cōtinuādā ſenſationē, licèt non ita perfectā, ac erat, cū obiectū erat præſēs.

11 Nec valet, ſi reſpondeas, ſpecies impreſſas contrarium non habere; atque ideò ſicuti in præſentia obiecti in inſtanti producuntur ſecundum totam ſuam intenſionē; ita in abſentia illius, in inſtanti etiam ſecūdum totam ſuam intenſionem euaneſcere. Nam etiam impulſus impreſſus in ſagitta à proijciente contrarium non habet, vt lib. 8. Phyſic diſput 2. q. 3. ſtatuimus, & non obſtāte, quod in inſtanti in ſagitta imprimatur ſecundum totam ſuam intenſionem, nihilominus ſemel impreſſus non ideò per diſtantiam, vel abſentiam proijcientis, ſtatim deſinit eſſe ſecundum totam ſuam intenſionem; ſed paulatim, & ſucceſſiuè euaneſcit, vt loco citato quæſt. 4. etiam ſtatuimus: erit igitur eodem modo philoſophādum de ſpeciebus impreſſis ſenſuum externorum.

12 Sed oppoſita ſententia, ſcilicet, ſpecies impreſſas ſenſuum externorum ita pendere in ſuo conſeruari ab obiectis ſenſibilibus, à quibus efficienter producuntur, vt ſecluſo ipſorum actuali influxu non poſsint permanere, & probabilior, & communior eſt inter auctores; ita Gabriel in 2. diſt. 7. quæſt. 4. Maior diſt. 3. q. 9. Zabarella libro de *ſenſu agente*, cap. 3. Suarez lib. 3. de anima cap. 12. Conimbricenſes hic cap. 6. quæſt. 2. artic. 3. Auerſa quæſt. 53. de *ſpeciebus ſenſibilibus*, ſect. 3.

13 Probatur primò tam auctoritate Ariſtotelis, quàm D. Auguſtini; nam Ariſtoteles hoc in libro cap. 5. text. 52. & 59. diſ-

diſcrimen ſtatuit inter ſenſum externum & intellectũ, quòd ille obiecti præſentiam exigat: hic verò non item: & Diuus Auguſtinus 11. de Trinitate cap. 2 docet, ſpeciem in ſenſu externo non durare, niſi exiſtẽte, & influente obiecto; ſicut imago ſigilli in aqua non durat, niſi quandiu ſigillum detinetur in aqua; benè autem in ſenſu interiori ſpeciem durare, etiam ablato obiecto, ſicut imago ſigilli in cera.

14 Secundò probatur experientia; nam experientia conſtat, ſtatim, ac aufertur obiectum, vel conuerſis, aut clauſis oculis, non ampliùs videri obiectum: ergo ſignum euidens eſt, quòd ſpecies, ex cuius defectu obiectum non videtur, totaliter in ſua conſeruatione dependet ex influentia ſui obiecti, eiuſque præſentia reali. Et confirmatur ampliùs exẽplo luminis; omnes enim vnanimiter affirmant, (experiẽtia coacti) lumen ita dependere in genere cauſæ efficientis à corpore lucido in ſua conſeruatione, vt eo ſublato, ſtatim omnino pereat, profectò non alia ratione, niſi quia lumẽ (vt docet Scotus in 2. diſt. 13. quæſt. vnica, & nos cum ipſo ex profeſſo oſtendemus infra diſp. 7. quæſt. 2.) eſt ſpecies intentionalis impreſſa corporis luminoſi, & commune eſt omnibus ſpeciebus intentionalibus impreſsis ſenſuum exteriorum ita dependere in ſuo conſeruari ab ipſarum obiectis in genere cauſæ efficiẽtis, vt illis ſublatis, ſtatim omnino pereãt: quòd ſi hæc ratio aduerſarijs non placet, aſſignẽt, ſi valẽt, aliã efficaciorem; quod præſtare non poterunt.

15 Tertiò probatur deſtruẽdo experientiã ab aduerſarijs adductã: nã ſiquis breui tẽpore corpus lucidũ intueatur, moxque oculos claudat, nec per inſtãs ſpecies corporis lucidi intra oculos cõſeruatur; ergo neque conſeruabitur, etiãſi multo tẽpore prædictũ corpus lucidum intueatur. Patet conſequentia, quia ſpecies illa ſemper eſt eiuſdẽ rationis, neque præter maiorẽ cõtinuationem viſionis mutatur in ſuo eſſe, aut radicatur magis, ſeu intenditur, cum in inſtanti fiat, quã perfecta fieri poteſt, vtpotè ſine impedimẽto cõtrariæ qualitatis, & ab agente naturali, quod agit ad vltimum de potentia, producta.

16 Quartò denique probatur inquirendo ab aduerſarijs, an huiuſmodi ſpecies natura ſua dependeant ab obiecto ſenſibili in ſua conſeruatione, an non? ſi non pendent, conſeruabuntur ſemper in abſentia illius; quod non contingit. Si pendent, ergo in abſentia illius, neque per vnicum tantùm inſtans poterunt cõſeruari. Reſpondent; natura quidem ſua non pendere, diu tamen non

ma-

Digitized by Google

manere in abſentia obiecti ex defectu ſubiecti, non ſatis illas conſeruantis. Sed eſt reſponſio inſufficiens; quia ſubiectum non conſeruat ſpecies effectiuè, ſed ſolùm in genere cauſæ materialis illas ſuſtentādo: ergo cum contrarium non habeant, neutiquā deficient, niſi propter abſentiam obiecti.

17 Ad experientias, tam ex Diuo Auguſtino, quàm ex Ariſtotele adductas ad oppoſitum ſuadendum, benè reſpondent recentiores, Suarez, Conimbricenſes, & Auerſa pro noſtra ſententia citati, ſenſationes, ſeu apparientias illas non fieri in ſenſu externo; ſed ob vehementiam ſenſibilium relinqui tantam impreſsionē, ac tam firmam imaginationem in ſenſu interno, vt videamur obiectum, quod ſolùm interiùs imaginamur, exteriùs intueri, donec paulatim imaginatio corrigatur, & omnis ſenſus ad rectum ſtatum reducatur: quod explicatur ex ēplo dormientium, & delirantium, quibus ob vehementem apprehenſionem interna apparent ſenſibilia, quaſi exteriùs conſpecta: & ita notauit Diuus Auguſtinus 11. de Trinitate cap. 4. quandoque taliter quidpiam interiùs cogitari, vt neque ipſa ratio diſcernere ſinatur, an foris obiectum videatur, an intus tale aliquid cogitetur: & in hoc ſenſu intelligendi ſunt tam Auguſtinus, quàm Ariſtoteles locis in contrarium adductis.

18 Ad rationem (quæ ſi quid probaret, probaret etiam, lumen in ſua conſeruatione non pendere ab actuali influxu, & reali præſentia corporis lucidi) conceſſo antecedenti, negamus cōſequentiam: talis eſt enim natura, & conditio harū ſpecierum intentionalium, vt quantumlibet in ſubiecto intēſæ fuerint, ſubitò amittātur, nec ſine perenni ſuæ effectricis cauſæ influxu permanere queant: quod ſecus cōtingit in impulſu, qui cū ſit virtus quædā motiua inſtrumētalis, à proijciente in re proiecta impreſſa, vt in abſentia, vel diſtātia proijciētis res proiecta localiter moueatur, potiùs natura ſua petit, vt in abſētia, vel diſtātia à proijciēte aliquādiu duret, donec paulatim, & ſucceſsiuè euaneſcat.

19 Secundum, quod dubitari poteſt, an ſolùm obiectū effectiuè concurrat ad productionē ſuæ ſpeciei impreſſæ? Albertus magnus hoc in lib. tract. 3. exiſtimat, nō produci vnicam numero ſpeciē ab obiecto in toto aëre medio inter obiectū, & potentiā ſenſitiuā; ſed plures totaliter diuerſas, ita vt obiectum per ſe ipſum producat in partibus ſibi proximis vnicam ſpeciem, & deindè illa ſpecies producta ab obiecto, per ſe ipſam & ſine influxu aliquo obiecti producat aliam in partibus

bus remotioribus; & ſecunda tertiam, & ſic ſucceſsiuè vſque ad potentiam: hanc ſententiam varijs in locis ſequitur etiam Pater Arriaga.

2 Sed hæc ſententia meritò reicitur ab omnibus; primò, quia falsò, & abſque vllo fundamēto affirmat, ſpeciem productam ab obiecto per mediū vſque ad potentiam non eſſe vnam numero, ſed plures: nam ſi in productione qualitatis habētis contrariā, v. g. caloris, in toto ſubiecto continuo omnes ponunt vnicam tantùm numero qualitatem, continuè extenſam per totum ſubiectū, & non plures totatales numero diſtinctas, & diſcontinuas, niſi in caſu, quo ſubiectum, in quo recipitur, diſcontinuetur, & multiplicetur, cur in productione qualitatis non habentis contrarium, vt ſunt lumen, cæteræque ſpecies intentionales, quæ non ſolùm continuè; ſed etiam in inſtanti producuntur in toto medio, quod eſt inter obiectum, & potentiam, non erit ponenda vnica tantùm numero qualitas continuè per totum medium extenſa, niſi in caſu, quòd medium, in quo recipitur, diſcontinuetur, & multiplicetur?

21 Secundò, & principrliter, quia falſum omnino eſt, ſpeciem impreſſam per ſe ipſam, & ſine influxu obiecti producere, ſiue generare aliam ſibi ſimilem ſpeciem in partibus remotioribus; quod pluribus rationibus cōuinci poteſt; ſed in re tam clara ſufficiat hæc experientia; obiectum exiſtens extra portam cubiculi, non videtur à quocumque angulo eiuſdem cubiculi; ſed videretur neceſſariò, ſi ſpecies productæ immediatè ab obiecto producerent per ſe ipſas, & ſecluſa influentia obiecti, aliàs ſibi ſimiles ſpecies: ergo non eſt hoc admittendum. Probatur minor; ſi ſpecies productæ ab obiecto producerent per ſe ipſas alteras ſpecies obiecti ſibi ſimiles, eodem modo illas producerent, ac ipſæ productæ ſunt ab obiecto; ſed obiectum producit ſpecies verſus omnē partem medij, cum ab omni parte medij videatur: ergo etiā ſpecies ſemel producta ab obiecto in medio cubiculi multiplicaret aliàs verſus omnem partem cubiculi; & conſequenter neceſſariò per illas videretur obiectum ex quocumque angulo cubiculi; quia ſtatim, ac ſpecies obiecti perueniunt ad potentiam, ſequitur neceſſariò viſio obiecti, vbicumque obiectum ſit, etiamſi ſit à tergo videntis, vt patet in viſione, qua quis in ſpeculo videt ea, quæ ſunt à tergo.

22 Dicendum igitur eſt cum Scoto noſtro in 2. diſtinct. 13. quæſt. vnica, quem omnes diſcipuli ſequuntur, nullam ſpeciem ſenſibilem produci ab alia eiuſdem rationis; ſed omnes,

nes,

nes, quæ ſunt in medio vſque ad potentiam, ſiue continuæ ſint, vt contingit, quando partes medij, in quo recipiuntur, continuæ ſunt; ſiue diſcontinuæ, vt contingit, quando partes medij, in quo recipiuntur, diſcontinuæ ſunt; immediatè produci ab obiecto, cuius ſunt ſpecies, licet cum ſubordinatione effectus ad effectũ; priùs enim natura producuntur ſpecies, ſeu partes entitatiuæ ſpeciei, quæ ſunt proximiores obiecto, quàm remotiores, etiãſi in eodem inſtanti omnes per totum medium vſque ad potentiam diffundantur. Eſt etiã hæc ſententia in ſcholis ferè ab omnibus recepta: Et ratio efficax eſt, quòd ſpecies impreſſa ſolùm virtualiter repræſentat, ſeu eſt ratio, virtualiter repræſentandi obiectum, à quo procedit; ſed nulla ſpecies, ſeu pars ſpeciei omnium earum, quæ diffunduntur per mediũ vſque ad potentiam, eſt ratio repræſentandi virtualiter aliã eiuſdem rationis; ſed omnes, & quælibet pars earum, etiam minutiſsima, ſunt rationes virtualiter repræſentandi obiectũ: ergo nulla ex his ſpeciebus producitur ab alia; ſed omnes immediatè producuntur ab obiecto, cum ſobordinatione effectus ad effectum.

23 Neque admittendum eſt, quod docet Rubius tractatu de *obiectis, & ſpeciebus ſenſibilibus* quæſt. 10. num. 119. nimirum, ſpeciem productam ab obiecto in medio, licet non poſsit producere, ſeu multiplicare alias ſpecies, ſeu nouas partes ſpecierum ſine actuali dependentia ab obiecto; bene tamẽ actualiter ab ipſo dependẽdo. Nam inquiro, quid intelligat Rubius per actualem dependentiam ab obiecto? An influxum, quo conſeruat ſpeciem à ſe productam, an alium influxum, quo ſimul cum ſpecie à ſe producta concurrat ad productionem, nouæ ſpeciei, vel partis? Si primum intelligat, incidit Rubius in ſententiam Alberti magni, à nobis refutatam, & quam etiam ipſe refutat; ſiquidem tribuit ſpeciei productæ ab obiecto, & quæ ab ipſo in ſuo fieri, & conſeruari dependet, virtutem ſufficientem in actu primo ad hoc, vt ipſa ſola ſine concurſu obiecti producat, vel multiplicet vlteriorem ſpeciem, ſeu partem ſpeciei. Si intelligat ſecundum, abſque neceſsitate, & conſequenter ſuperfluè tribuit ſpeciei productæ ab obiecto efficientiam reſpectu ſpeciei, vel partis ſpeciei, quæ vlteriùs generatur, ſeu producitur; nam ſi prædicta ſpecies, vel pars ſpeciei immediatè producitur ab obiecto, ad quid quæſo requiritur ſpeciei prioris efficientia? Ad nihil profecto, præſertim cum videamus, in productione prioris partis ſpeciei ſolùm obiectũ abſque ad-

Digitized by Google

adminiculo, vel iuuamine alicuius ſpeciei producere ſpeciē ſibi contiguā: poterit igitur, etiā in aliqua diſtantia, nō excedēte ſphæram ſuæ actiuitatis, ipſum ſolū, & ſine adminiculo prioris ſpeciei à ſe productæ, producere, ſeu multiplicare ſpeciem, licet propter diſtantiam non euadat ita intēſa entitatiuè, ſeu perfecta, ſicut prior, quæ eſt ſibi proxima.

24 Sed obijciunt nobis tam auctores oppoſitæ ſententiæ, quàm ipſe Rubius, experientiam de obiecto exiſtente à tergo, quod videtur in ſpeculo; videtur enim non poſſe videri prædictum obiectum per ſpeciem ab ipſo immediatè productam, cum non ſit in ſitu, à quo poſsit eam in oculo producere: ergo dicendum eſt videri per ſpeciem productam ab ſpecie, quam obiectum impreſsit in ſpeculo.

25 Sed ad hanc obiectionem optimè reſpondet Scotus loco citato num. 4. ſpeciem impreſſam, per quam videmus in ſpeculo rem exiſtentem à tergo, immediatè cauſari ab ipſo obiecto, & non ab ſpecie exiſtente in ſuperficie ſpeculi (en quam ſiniſtrè citatur Scotus à Conimbricenſibus hic cap. 7. quæſt. 8. artic. 2. pro oppoſita ſententia) aliàs, inquit Scotus, per prædictam ſpeciem non videremus obiectum, ſed ſpeciem illius exiſtētem in ſuperficie ſpeculi; quod falſum eſt. Neque obſtat, quòd obiectum ſit à tergo; nam ex hoc ſolùm ſequitur, non poſſe obiectum cauſare in oculo ſpeciem ſui impreſſam actione directa; cū quo optimè ſtat, quòd illam cauſet actione reflexa; nam vt ibidem ſubdit Scotus, agens naturale cum non agat ex electione; ſed ad vltimum de potentia, ſi propter aliquod impedimentum non poteſt agere ſecundum lineam rectam, & adhuc non eſt, exauſta potentia, ſeu virtus eius, agit ſecundum lineam reflexam.

DISPVTATIO SEXTA.

De obiecto ſenſibili in communi.

DE obiecto ſenſibili ſenſuum externorum in communi ex profeſſo diſputat Ariſtoteles capit. 6. huius libri, eo quòd in capitibus ſubſequentibus acturus erat de ſenſibus externis, & de eorū obiectis in particulari, ſeu ſpeciali, quem nos ſequētes hoc in loco hanc diſputationē inſerimus, vt ſic clariùs, & faciliùs in ſubſequētibus de ſenſibus ex-

Digitized by Google

externis, & de eorum obiectis in ſpeciali diſputemus. Quinque autem examinanda ſunt in hac diſputatione; Primum, *Quid, & quotuplex ſit obiectum ſenſibile ſenſuum externorum?* Secundum, *An ad ſenſationem ſenſuum externorum ſit neceſſaria realis præſentia obiecti?* Tertium, *Quo pacto ſenſibile commune immutet ſenſum?* Quartum, *Vtrùm ſenſibile propriū indiuiſibiliter exiſtēs poſſit ſenſu percipi?* Quintum, *Vtrùm ſenſus poſſit falli circa ſenſibile proprium?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit obiectum ſenſibile ſenſuum externorum?

1 Circa primum, quod inquiritur, in hac quæſtione, duo ſunt certa, & vnū vertitur in dubium; primū certum eſt, nullam ſubſtātiam eſſe obiectum per ſe ſenſibile; ita expreſsè docuit Ariſtoteles cap. 6. huius libri: & ratio eſt clara, nam ſenſibile per ſe ſolùm dicitur illud, quod per ſpeciem propriam immutat ſenſitiuam potentiam; ſed experientia conſtat, nullam ſubſtantiam immutare potentiam aliquam ſenſitiuam per propriam ſpeciem; ſed hoc præſtare medijs accidentibus, & ſpecierum ipſorum; videtur enim ſubſtātia, in quantum eſt aliquo colore affecta, & tangitur, in quantum eſt calida, vel frigida, & ſic de reliquis: ergo neceſſariò fatendum erit, ſola accidentia eſſe obiecta per ſe ſenſibilia, & non ſubſtantias.

2 Secundum certum eſt, accidentia non quomodocumque eſſe obiecta per ſe ſenſus; ſed ſingularizata, & determinata ad eſſe huius: ita expreſsè docuit Ariſtoteles pluribus in locis, præſertim 1. Metaphyſices, & in libro de ſomno, & vigilia, & etiam in hoc ſecundo libro de anima: & ratio eſt, quia accidentia non mouent, & immutant ſenſum exteriorem, niſi vt ſunt à parte rei exiſtentia; ſed à parte rei non poſſunt exiſtere, niſi ſingularizata, & determinata per principia indiuiduationis ad eſſe huius: ergo vt ſic ſunt obiecta per ſe ſenſuum exteriorum, & non aliter.

3 Quod vertitur in dubium eſt, an in accidenti ſingulari (quod, vt modo dicebamus, eſt obiectum per ſe ſenſuum exteriorum) ſingularitas, ſeu principium indiuiduationis, ſit ratio formalis ipſum ſentiendi, an ſolùm ſit conditio, ſine qua nō ſētiretur; ratio verò formalis

ma-

Digitized by Google

malis ipſum ſentiendi ſit ipſa natura ſpecifica accidentis ſecundum ſe conſiderata, qua ratione in Logica ſuper primum caput Porphyrij diſput. 1. quæſt. 3. diximus, naturis rerum ſolùm cōpetere ſua prædicata eſſentialia; neque vt ſic ſingulares, vel vniuerſales eſſe; competere tamen illis ex ſe, & tamquam propriam paſsionem vnitatem formalem, minorem vnitate numerali, communem multis negatiuè, ſiue per non repugnantiam? Sed ab hac dubitatione hic meritò ſuperſedeo; nam 1. lib. Phyſicorum, diſput. 1. quæſt. 5. ſect. 2. ex profeſſo illam expendimus, vbi ex mente Scoti ſtabiliuimus, non ſolùm rationem formalem ſentiendi accidens ſingulare non eſſe illius ſingularitatem, ſed illius naturā ſpecificam; ſed etiam idem ſtatuimus de ratione formali cognoſcēdi pro hoc ſtatu aliquam naturam ſingularē; neque dari pro hoc ſtatu ſpeciem impreſſam, neque ſenſibilem, neque intelligibilem, quæ per ſe, & directè ſingularitatē, ſeu principium indiuiduationis virtualiter repræſentet; quod rationibus comprobauimus, & obiectis in contrarium ſatisfecimus: videantur ibi dicta, nam ſemel exagitatum, iterum exagitare ſuperfluum eſt.

4 Circa ſecundum, quod in hac quæſtione inquiritur, celebris eſt diuiſio obiecti per ſe ſenſibilis, quam tradit Ariſtoteles cap. 6. huius libri in ſenſibile *proprium*, & in ſenſibile *commune*: & inſuper ſenſibile *commune* ſubdiuidit in quinque ſpecies, quæ ſunt *magnitudo, figura, numerus, motus*, & *quies*: quæ diuiſio, & ſubdiuiſio, cum ab omnibus, vt exactæ recipiantur, ſolùm requiritur, vt ad exactam earum intelligētiam aliqua prænotemus.

5 Primum eſt, vnum ex duobus membris prioris diuiſionis appellari ab Ariſtotele *ſenſibile commune*, non quia ſit conceptus abſtractus ab obiectis per ſe ſenſibilibus particularibus, vt eſt conceptus hominis, cum prædicatur de Petro, Ioāne, & Franciſco: nam vt numero 2. dicebamus, obiectum ſenſus debet eſſe ſingulare, & non vniuerſale. Neque etiam appellatur ſenſibile commune, quia ſolùm percipiatur à ſenſu communi interno, vt affirmauit Apollinaris 2. de anima, capite 8. nam omnia ſenſibilia communia, quæ numerauit Ariſtoteles, à ſenſibus externis percipiuntur. Nec demum quia etiamſi percipiatur à ſenſibus externis, & particularibus, hoc fieri nō poteſt ſine cōcurſu ſenſus interni cōmunis; nam ſenſus externi ad exercēdas ſuas operationes nō indigēt influxu, aut ſenſatione ſimultanea ſenſus interni cōmunis: ſed dicitur ſenſibile cōmune ad diſtinctionem obiecti

ſen-

ſenſibilis proprij, quòd ſicut dicitur ſenſibile proprium, eo quod ſolū percipiatur ab vno ex ſenſibus exterioribus; ita ſenſibile commune dicitur, eo quòd percipiatur à pluribus ex exterioribus ſenſibus.

6 Secundum eſt, quod cum ſubdiuidit Ariſtoteles ſenſibile commune in *magnitudinem, figuram, numerum, motum, & quietem*; per *quitem* non intelligere carentiam motus, quia cum hæc nihil poſitiuum ſit, à ſenſu externo percipi non poteſt; ſed intelligere permanentiam, & conſiſtentiam rei ſenſibilis in eodem loco, & ſitu. Similiter per *motum* non intelligere rationem formalem illius, ſcilicet, fluxum, aut tendentiam continuam, & ſucceſſiuam ad terminum; ſed variationem continuam, & ſucceſſiuam ſitus, & localis præſentia rei, quæ mouetur. Per *numerum* autem non intelligit rationem formalem illius, quæ in numerabilitate conſiſtit; nam ſenſus non enumerat, ſed intellectus; ſed intelligit multitudinem rerum ſenſibilium diſcontinuatarum. Item per *figuram* non intelligit rationem formalem qualitatis, ſed terminationem quantitatis, corporibus naturalibus inhærentis.

7 Quid autem nomine *magnitudinis* intelligat Ariſtoteles, aliqui recentiores, inter quos eſt Murcia de la Llana diſput. 5. quæſt. 2. in dubium reuocarunt, aſſerentes, intellexiſſe latitudinem entitatiuam, quam habet color, vel quodcumque aliud ſenſibile proprium ex ſe, & ſecluſa extenſione de prædicamento quantitatis, quæ communiter extenſio quantitatiua appellari ſolet. Imò addunt, extenſionem de prædicamento quantitatis non eſſe per ſe ſenſibilem, ſed per accidens.

8 Sed hæc interpretatio eſt contra omnes interpretes Ariſtotelis, tam veteres, quàm recentiores, qui nomine *magnitudinis* dicunt intellexiſſe Ariſtotelem extenſionem quantitatiuam, ſpectantem ad prædicamentum quantitatis, & per quam habent partes entitatiuas, tam accidētium, quàm ſubſtantiarum commenſurationem in ordine ad locum, ſeu ſpatium, quam ex ſe nō habent: ita ſentit Scotus noſter in 4. diſt. 12. q. 3.

9 Probari poteſt hæc noſtra, & communis ſententia: primò, quia ſi magnitudo, quam inter communia ſenſibilia enumerat Ariſtoteles, ſignificat extenſionem entitatiuam, ſequeretur, ſubſtantias materiales eſſe per ſe ſenſibiles: ſicuti, & ſunt cætera ſenſibilia cōmunia; ſiquidem ex ſe habent extenſionem entitatiuam: hoc autem eſt expreſsè contra Ariſtotelem, qui in hoc libro capit. 6. textu 65. affirmat, ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiam nullo modo eſſe per ſe ſenſibilem, hoc eſt, neque vt ſenſibile proprium, neque vt ſenſibile commune, ſed omninò per accidens.

10 Secundò, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, albedinem, vel quodcumque aliud ſenſibile proprium, modificatum per extenſionem entitatiuam, quam ex ſe habet, & ſeclusa modificatione, quam accipit ab extenſione quantitatiua, poſſe naturaliter à ſenſu percipi; quod dici non poteſt; aliàs, neceſſariò teneremur fateri, albedinem corporis Chriſti Domini exiſtentis in Euchariſtia naturaliter videri poſſe, & conſequenter Chriſtum ibi exiſtentem; cõtra experientiam, & communem omnium ſcholaſticorum ſentẽtiam. Sequela patet; nam albedo corporis Chriſti exiſtentis in Euchariſtia, licet careat actuali extenſione quantitatiua; habet tamen entitatiuam: & cum diſtincta ſit pars albedinis exiſtẽtis in capite Chriſti ab exiſtente in manu eius.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ad ſenſationem ſit neceſſaria realis præſentia obiecti?

1 SOlùm eſt ſermo in hac quæſtione de ſenſatione ſenſuum externorum. Nam ad ſenſationem ſenſuum internorum manifeſtum eſt, nõ requiri neceſſariò realem præſentiam obiecti, cum experientia conſtet, imaginationem ſæpè verſari circa res abſentes. Poteſt autem procedere hæc quæſtio, nõ ſolùm naturaliter, ſed etiam de potentia Dei abſoluta.

2 Si naturaliter, & de potentia ordinata quæſtio præſens procedat, Gabriel Vazquez, cæterique auctores, qui, vt vidimus diſputatione præcedenti quæſt. 5. à num. 8. & ſequentibus, ſuſtinebant, ſpecies impreſſas externorum ſenſuum (quæ ad ſenſationem naturaliter, & de potentia ordinata ſimpliciter neceſſariæ ſunt) etſi in ſuo fieri neceſſariò requirant prçſentiam realem obiecti, à quo efficienter cauſantur; non tamen in ſuo conſeruari; conſequenter ſuſtinent, ad fieri ſenſationis, etſi naturaliter, & de potentia ordinata ſimpliciter requiratur præſentia realis obiecti; ſecus verò ad eius conſeruationem. Nos autem, qui contra ipſos loco citato, à num. 12. & ſequentibus ſtabiliuimus cum veriori, & communiori ſententia, prædictas ſpecies, non ſolùm in ſuo fieri, ſed etiam in ſuo conſeruari ita pẽdere ab obiectis, à quibus producuntur, vt ſecluſa eorum reali præſentia, & influentia, non poſsint vllo modo permanere; conſequenter debemus dicere, ſicut de facto dicimus, non ſolũ ad fieri ſenſationis; ſed etiã ad eius cõſeruationem

nem naturaliter, & de potentia ordinata ſimpliciter requiri realem præſentiam ſuorũ obiectorum. Recolantur ibi dicta; nam eadem eſt ratio quoad hoc de ſenſationibus, & de ſpeciebus impreſsis ad eliciendas ſenſationes requiſitas.

3 Si verò quæſtio procedat de potentia Dei abſoluta; prima ſententia affirmat, nullam eſſe repugnãtiam in hoc, quòd potentia ſenſitiua exterior ſentiat obiectum, quod ſibi non eſt realiter præſens; ac per conſequens id fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam: ita Molina 1. parte quæſt. 55. art. 2. diſp. 2. membro 5. Vazquez ſuper 3. partem, tomo 3. diſp. 91. cap. 2. Rubius tractatu de obiectis, & ſpeciebus ſenſibilibus quæſt. 13.

4 Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia, ſi ad ſenſationem ſenſuum exteriorum requiritur realis præſentia obiecti, maximè quia ſpecies impreſſa illius, quæ ſimul cum potentia concurrit ad ſenſationẽ, pendet tam in fieri, quàm in conſeruari ab ipſo obiecto; ſed Deus per ſuam omnipotẽtiam poteſt ſupplere hanc dependẽtiam producendo ſe ſolo eandem ſpeciem, quam producit obiectum; vel ſemel producta ab obiecto, illam in abſentia obiecti conſeruãdo; ſiquidem hanc dependentiam, quam habet ſpecies ab obiecto, tam in fieri, quàm in conſeruari, eſt in genere cauſæ efficientis; & receptum eſt ab omnibus, poſſe Deum facere, ſe ſolo in genere cauſæ efficientis, quidquid facit cũ ſecundis cauſis: ergo fieri poteſt à Deo, quòd potẽtia ſenſitiua externa producat ſenſationem in abſentia obiecti.

5 Secunda ſententia docet, inuolvere repugnantiam, quòd ſenſitiua potentia exterior habeat ſenſationẽ obiecti, quod non eſt realiter præſens; & cõſequẽter oppoſitum neque potentia Dei abſoluta fieri poſſe: ita Gabriel in 2. d. 3. quæſt. 2. cõcl. 2. Suarez ſuper 3. part. Diui Thomæ tomo 3. diſp. 53. ſect. 4. & diſp. 55. ſect. 2. & plures alij. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quòd de ratione intrinſeca, & eſſentiali cognitionis intuitiuæ, tam intellectiuæ, quàm ſenſitiuæ eſt, terminari ad obiectum, vt realiter exiſtens, & præſens eſt, vt docet Scotus noſter pluribus in locis, & præcipuè quodlibeto 15. & in 2. diſtinct. 3. quæſt. 9. §. *Ad quæſtionem*, & in 4. diſtinct. 45. queſt. 2. & communiter auctores; ſed viſio, & aliæ ſenſationes externæ ſunt cognitiones, ſeu perceptiones ſui obiecti intuitiuæ, vt etiam communis fert opinio; ergo de ratione intrinſeca, & eſſentiali ipſarum erit terminari ad obiectum, vt realiter exiſtens, & præſens eſt, & conſequenter implicationem inuolvet terminari ad obiectum, quod realiter.

liter exiſtens, & præſens non eſt reſpectu talis terminationis.

6 Pro clara reſolutione huius quæſtionis nota, ſenſationem externorum ſenſuum, aliã eſſe veram, illam, ſcilicet, quæ terminatur ad obiectum, quod dicitur ſentiri ſecundum ſuum eſſe verum, vt eſt viſio, qua videmus albedinem niuis, nigredinem corui, &c. aliam verò apparentem, illam, ſcilicet, qua miraculosè viſus eſt Chriſtus in ſacramento Euchariſtiæ ſub forma pueri, & ſimiliter viſus eſt Chriſtus poſt reſurrectionem à Magdalena ſub forma hortulani, & à diſcipulis euntibus in caſtellum Emaus, ſub forma peregrini, &c. quæ non ad verum eſſe Chriſti, ſed ad formas illas apparentes terminantur.

7 Hac diſtinctione ſuppoſita, ad quæſtionem reſpõdeo, quòd ſi ſermo ſit de ſenſatione vera, implicationem inuolvere dari ſenſationem circa obiectum, quod ſecundum ſuum verum eſſe reale non ſit actualiter præſens: & loquendo de iſta ſenſatione, vera eſt ſecunda ſententia, ipſamque demonſtrat eius fundamentum deſumptum ex doctrina Scoti.

8 Si verò ſermo ſit de ſenſatione apparenti, dicendum eſt primò, non inuolvere contradictionem, quòd potentia ſenſitiua externa ſentiat obiectũ, quod ſecundum ſuum verum eſſe reale non eſt illi obiectiuè præſens: in hoc ſenſu vera eſt prima ſententia; & illam oſtendunt miraculoſæ viſiones, quibus viſus eſt Chriſtus in Euchariſtia ſub forma pueri, & poſt reſurrectionem ſub forma hortulani, vel peregrini. Imò addo ſenſationi apparenti repugnare, quòd obiectiuè terminetur ad verum eſſe reale obiecti, quod ſolùm apparenter ſentitur; aliàs non apparenter, ſed verè, & realiter ſentiretur.

9 Dicendum eſt ſecundò, implicationem inuolvere, quòd potentia ſenſitiua exterior ſentiat apparenter aliquod obiectum, & quòd prædictum obiectum, ſecundum illud eſſe apparens, quod ſentitur, non ſit realiter præſens tali ſenſationi. Hoc aſſertum etiam probat fundamentum ſecundæ ſententiæ deductum ex doctrina Scoti. Nam ſi omnes ſenſationes ſunt intuitiuæ, & ex doctrina Scoti ab omnibus recepta, cognitiones intuitiuæ, tam intellectuales, quàm ſenſitiuæ ex intrinſeca natura ſua poſtulant terminari ad obiecta realiter præſentia; profectò ſicut de intrinſeca ratione ſenſationis veræ eſt, quòd terminetur ad eſſe verũ obiecti realiter, & præſentialiter exiſtens: ita de ratione intrinſeca ſenſationis apparentis erit, quòd terminetur ad eſſe apparẽs obiecti realiter, & præſentialiter exiſtens; vt videre eſt in viſio-

ne, qua intuemur colores in iride, quæ, etſi non terminetur ad verum colorem; terminatur tamen ex intrinſeca natura ſua ad colores apparentes realiter, & præſentialiter exiſtentes.

10 Ex dictis colliges, in viſionibus miraculoſarum apparitionum miraculum non conſiſtere in hoc, quòd Deus ſuppleat ſuo ſpeciali concurſu cõcurſum, quem præſtare debebant obiecta miraculosè apparentia ad productionem ſuarum ſpecierum impreſſarum (vt inſinuare videntur auctores primæ ſententiæ in ſuo fundamento) ſed in formatione, ſeu fabricatione obiectorum apparentium; nam ſemel miraculosè formatis his obiectis apparentibus, ipſa obiecta virtute propria emittunt ſpecies impreſſas in potentias ſenſitiuas, quæ ſimul cum ipſis concurrunt ad productionem ſenſationum obiectorum apparẽtium.

11 Vndè ad rationem factam in fundamento primæ ſententiæ numero 4. quæ militare videtur contra noſtras aſſertiones, reſpondetur, ad ſenſationes ſenſuum exteriorum requiri neceſſariò realem præſentiam obiectorum, vel ſecundùm verum eſſe ipſorum, ſi ſenſationes ſunt veræ; vel ſecundum eſſe apparens, ſi ſenſationes ſolùm apparentes ſunt, non ſolùm, quia ſpecies impreſſæ ipſorum, quæ ſimul cum potẽtijs concurrunt ad ſenſationes, pendent efficienter in ſuo fieri, & conſeruari ab obiecto; ſed etiam, & præcipuè, quia cum omnes ſenſationes ſint intuitiuæ; ex intrinſeca, & eſſentiali natura ſua poſtulant terminari ad ſua obiecta, ſiue ſint vera, ſiue apparentia, vt realiter præſentia; ac per conſequens etiamſi Deus ſuo ſpeciali concurſu poſsit, (quando obiecta ſunt realiter præſentia) ſupplere influxum, quo prædicta obiecta influunt in productionem ſuarum ſpecierum impreſſarum; ſecus verò, quando prædicta obiecta non ſunt realiter præſentia; quia ſicut ſenſationes, eo quòd ſunt intuitiuæ, intrinſecè, & eſſentialiter pendent à reali præſentia ſuorum obiectorum; ita & ſpecies impreſſæ, quæ ad producendas ſenſationes ſimul cũ potentijs requiruntur, à præſentia reali ſuorum obiectorum intrinſecè, & eſſentialiter dependent.

12 Sed dubitabis, an ſicut Deus (quando obiecta ſenſationum ſunt realiter præſentia) poteſt ſupplere ſe ſolo influxũ, quo obiecta influunt in ſuas ſpecies impreſſas; ita etiam poſſit ſupplere influxum, quo ſpecies impreſſæ influunt in ſenſationes, ita vt potentia ſenſitiua, ſecluſa omni ſpecie impreſſa, producat determinatã ſenſationem circa aliquod obiectum

ſen-

Digitized by Google

ſenſibile realiter præſens, adiuta ſpeciali concurſu Dei?

13 Auctores, qui ſuſtinebant (vt ſupra diſputat. 5. quæſt. 2. num. 3. vidimus.) ſolam ſpeciem impreſſam eſſe virtutem effectiuam ſenſationis, & ſolùm attribui potentiæ producere ſenſationem, in quantũ informatur ſpecie impreſſa, quæ eſt tota virtus effectiua ſenſationis, & exemplificabant in ferro candenti; vbi tota vis calefaciendi eſt calor; ferro autem ſolùm attribuitur calefacere, in quantum informatur calore, qui eſt tota virtus calefaciendi: conſequenter dicunt, Deum ſua potentia abſoluta non poſſe ſuo ſpeciali concurſu ſupplere influxum, quo ſpecies impreſſæ influunt in ſuas ſenſationes; & eorum fundamentum eſt, quia ſpecies impreſſæ communicant potentijs virtutem producendi ſenſationes in genere cauſæ formalis, ipſas, ſcilicet, informando; & manifeſtum eſt, Deum nõ poſſe ſine forma ſupplere effectum formalem. Hæc ſententia ſatis plauſibilis eſt apud rigidos Thomiſtas, præſertim cum de habitibus ſupernaturalibus loquuntur, de quibus eadem ſolet exagitari difficultas, tam in materia de gratia, quàm in materia de viſione Dei, loquendo de lumine gloriæ.

14 Nos autem, qui eodem loco citato à num. 6. cũ Scoto; imò cum Diuo Auguſtino, communique ſententia firmiter ſtatuimus, ad efficientiam ſenſationis, non ſolùm ſpeciem obiecti; ſed etiam, & principaliter potentiam immediatè concurrere, vnamquamque, etſi inadæquatè; per virtutem tamen propriam, & diſtinctæ rationis à virtute alterius, & quoad hoc eſſentialiter ſubordinari; non ſecus, ac eſſentialiter ſubordinatur ſol, & homo ad generationem hominis, ſeu pater, & mater (ponendo matrem actiuè concurrere) ad generationẽ prolis. Et inſuper cum eodem Scoto à num. 14. docuimus, accidere ſpeciei impreſſæ, in quantum eſt principiũ inadæquatum ſenſationis, vel intellectionis, informare, ſeu inhærere in potentia; nam etiamſi de facto ipſam informet, & perficiat; ſed non tribuendo potentiæ aliquam actualitatem pertinentem ad cauſalitatem ſenſationis, vel intellectionis; & ſic in hypotheſi, quòd ſpecies impreſſa poneretur ſufficienter coniuncta ad agendum cũ potẽtia, ſecluſa informatione, vel inhærentia; ipſa, & potẽtia eodẽ modo concurrerent ad ſenſationem, vel intellectionem; ac modo cõcurrunt: cõſequenter dicimus, poſſe Deũ abſque vlla implicatione ſupplere ſuo ſpeciali concurſu influxũ quo ſpecies impreſſa ſimul cum potentia influit in ſenſationem, vel intellectionem. Ratio eſt clara, quia ſtando in dictis

principijs, ſpecies non influunt in ſenſationes, vel intellectiones vllo modo in genere cauſæ formalis; ſed pręcisè in genere cauſæ efficientis, quem influxum nullus dubitat, à Deo ſuppleri poſſe.

QVÆSTIO III.

Quo pacto ſenſibile commune immutet ſenſum?

1 Circa modum, quo ſenſibile commune immutat ſenſum, Rubius tractatu *de obiectis, & ſpeciebus ſenſibilibus*, quæſt. 11. tres refert ſententias; duas extremas, & vnam quaſi mediam. Prima ex extremis, & quam attribuit Ferrarienſi 2. libro de anima, quæſt. 11. Caietano, & Palacios ibidē cap. 6. Fonſecæ 2. Metaphyſices cap. 2. quæſt. 2. ſect. 5. ſuſtinet, ſenſibile commune non immutare ſenſum ad ſui perceptionem per ſpeciem propriam; ſed vel per nullam, vel per ſpeciem à ſolo ſenſibili proprio impreſſam.

2 Secunda ex extremis, & quam attribuit Scoto in 4. diſt. 12. quæſt. 3. num. 37. Henrico de Gandabo hic quæſtione 17. Ægidio ad textum 65. dubio 2. & Ianduno quæſt. 18. affirmat oppoſitum, ſcilicet, ſenſibile commune immutare ſenſum ad ſui perceptionem per propriam ſpeciem, & diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij, licet cum dependentia ab illa, quæ dependentia in eo cōſiſtit, quòd ſenſibile commune, cum ſit ſenſibile per ſe non primò, non poteſt agere ad ſenſationem ſine illo, quod eſt ſenſibile per ſe primò.

3 Tertiam, & quam appellat mediam inter extremas relatas, docet contra primam ſententiam, ſenſibile commune immutare ſenſum per ſpeciem aliquo modo ab ipſo productam: & contra ſecundā hanc, ſpeciem non eſſe diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij; ſed eandem aliquo modo modificatam: & hanc ſententiam ipſe ſequitur, & pro ea citat Diuum Thomam in hoc 2. de anima, lectione 13. & 1. parte quæſt. 17. art. 2. & quæſt. 78. & plures alios, eſtque communis inter recentiores, quos citant, & ſequuntur Patres Carmelitani diſp. 9. quæſt. 2. §. 2.

4 Sed in hac opinionum varietate dico primò; ſenſibile cōmune immutat ſenſum per ſpeciem propriam, & ab eo productam; in hoc aſſerto conueniunt auctores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ contra auctores primæ. Ratio pro ipſo eſt, quia ex Ariſtotele cap. 6. huius libri in hoc diſtinguitur ſenſibile per ſe à ſenſibili per accidens, quòd ſenſibile per ſe immutat potentiam per ſpeciem propriam, & quæ ab ipſo ſit producta; ſecus verò ſenſibile per accidēs; ſed ſenſibile commune

mune ex eodem Ariſtotele, in eodem loco, eſt ſenſibile per ſe: ergo immutat potẽtiam per ſpeciem propriam, & quæ ab ipſo ſit producta.

5 Confirmatur; ſpecies impreſſa ſolùm eſt ratio cognoſcendi per ſe obiectum, à quo immediatè procedit; ſed ſpecies impreſſa, per quam cognoſcimus ſenſibile commune, eſt ratio cognoſcendi, ſeu ſentiendi per ſe ipſum ſenſibile commune (aliàs ſenſibile commune non eſſet per ſe ſenſibile) ergo ſpecies impreſſa, per quã cognoſcimus, ſeu ſentimus ſenſibile commune, procedit immediatè ab ipſo ſenſibili communi, & conſequẽter erit propria illius.

6 Dico ſecundò; ſpecies, per quam ſenſibile commune immutat ſenſum, non eſt idem realiter cum ſpecie ſenſibilis proprij, ſed realiter diſtinguuntur, vel tanquam res à re, vt contingit inter ſpeciem ſenſibilis communis, quod dicitur magnitudo, & ſpeciem ſenſibilis proprij, ipſam concomitantem; vel tanquam res, & modus rei, vt contingit inter ſpeciem ſenſibilis proprij, & ſpeciem ſenſibilis communis, quod dicitur *motus, figura, quies*, & fortaſſis *numerus*. Hoc aſſertum eſt Scoti noſtri, cæterorũque auctorum, quos pro ſecunda ſententia citat Rubius, & fortaſſis in re non diſſentiunt auctores citati pro tertia ſententia, licet in verbis videatur oppoſitum aſſerere, vt in tertio aſſerto magis declarabitur.

7 Ratio efficax eſt, quia eodem modo diſtinguuntur inter ſe ſpecies ſenſibilis communis, & ſpecies ſenſibilis proprij, ac diſtinguuntur inter ſe ſenſibile commune, & ſenſibile proprium, quæ ſunt obiecta, à quibus ſpecies immediatè producuntur, & quorum ſunt virtuales repræſentationes; ſed ſenſibile proprium, & ſenſibile commune ſemper diſtinguuntur realiter, vel tanquam res à re, vel tanquam res, & modus rei: ergo idem fatendum erit de eorum ſpeciebus impreſſis.

8 Neque huic rationi obſtat, quòd reſpondet Rubius à numero 138. nimirum, etſi ſenſibile proprium, & ſenſibile cõmune realiter diſtinguantur; nihilominus cum vnum non poſsit ſentiri ſine alio, hinc euenire, vt vtrumque ſimul, & per modum vnius coniungantur ad productionem vnius ſpeciei impreſſæ: hoc, inquam, nihil obſtat; nam ex eo, quòd ſenſibile commune, & ſenſibile proprium ita ſe habeant, vt vnum non poſsit ſentiri ſine alio, etſi optimè inferatur, non poſſe ſenſibile commune producere ſpeciem impreſſam ſui, quin ſimul tempore, ſeu inſtãti ſenſibile proprium ſpeciem impreſſam ſui producat; tamẽ quod ſpecies iſtæ realiter non diſtinguantur, ſicuti & realiter di-

Digitized by Google

diſtinguuntur ipſarum obiecta, vndè infertur? Niſi fortè velit Rubius aſſerere, quòd quando obiectum, quod vnico intuitu conſpicimus, habet partes, vel homogeneas, vel heterogenias, omnes partes indiuiſibiliter, & per modum vnius concurrunt ad productionē vnius ſpeciei impreſſæ, & conſequēter prædictam ſpeciē impreſſam omnes partes obiecti indiuiſibiliter, & per modum vnius virtualiter repræſentare; quod ipſemet, vt falſum ex profeſſo reijcit loco citato quæſt. 8. & nos etiam reiecimus diſp. præcedenti quæſt. 4.

9. Poteſt etiam probari noſtrum ſecundum aſſertum hac ratione; quando aliqua ita ſe habent, vt vno exiſtēte, & permanente, aliud corrumpitur, vel tranſmutatur in aliud; ſignum euidens eſt diſtinctionis realis inter illa: ſed ſpecies impreſſæ ſenſibilis proprij, & ſpecies impreſſa ſenſibilis communis ita ſe habent, vt exiſtente, & permanente in potentia ſenſitiua ſpecie impreſſa ſenſibilis proprij, corrumpatur, & tranſmutetur in aliam ſpecies ſenſibilis communis: ergo ſignum euidens eſt, quòd ſpecies impreſſa ſenſibilis proprij, & ſpecies impreſſa ſenſibilis cōmunis realiter diſtinguantur, ſaltem vt res, & modus rei. Minor patet experientia, qua experimur, ſenſibile proprium, verbi gratia, album, quo modo quieſcit, poſtea idem numero moueri, & ſimiliter accipere nouam figuram ab illa, quam antea habebat, quod videre, & experiri non poſſemus, niſi exiſtente, & permanente in potentia viſiua eadem numero ſpecie, quæ virtualiter repræſentat album, variaretur, & corrumperetur ſpecies impreſſa, quæ virtualiter repræſentat ſenſibile commune, motum, ſcilicet, vel figuram.

10. Dico tertiò; implicationem inuolvit, quòd ſpecies impreſſa ſenſibilis communis immutet ſenſum, quin priùs natura prædictus ſenſus immutetur ab ſpecie impreſſa ſui ſenſibilis proprij: hoc aſſertum eſt Scoti, & aliorum auctorum ſecundæ ſententiæ, & ipſum etiam amplectuntur auctores tertiæ ſententiæ: imò propter iſtam intrinſecam dependentiam, quam habent ſpecies impreſſæ ſenſibilis communis ab ſpeciebus impreſſis ſenſibilis proprij reſpectu immutationis potentiæ ſenſitiuæ; dixerunt aliqui ex auctoribus tertiæ ſententiæ, *ſpeciem ſenſibilis proprij modificatam, eſſe ſpeciem ſenſibilis communis*.

11 Sed hic modus loquendi iſtorum auctorum videtur improprius, neque colligitur ex modo loquendi Diui Thomæ, quidquid contendant Patres Carmelitani in locis, & verbis ab ipſis citatis. Nam ſi ſpecies

cies ſenſibilis proprij, & ſpecies ſenſibilis communis ſunt ſpecies realiter diſtinctæ, vt in præcedēti aſſerto oſtenſum eſt, profectò ex eo, quòd ſpecies ſenſibilis communis ſit modus ſpeciei ſenſibilis proprij, etſi optimè dicatur, ſpeciem ſenſibilis communis eſſe modum ſpeciei ſenſibilis proprij; non tamen rectè dicitur, ſpeciem ſenſibilis proprij modificatam, eſſe ſpeciem ſenſibilis communis; quia hic modus loquēdi denotat, ſpeciem ſenſibilis proprij eſſe ſpeciem ſenſibilis communis, quod eſt falſum. Sicuti ex eo, quòd ſenſibile commune modificet ſenſibile proprium, etſi optimè dicatur, ſenſibile commune eſſe modum ſenſibilis proprij; non tamen rectè diceretur, ſenſibile proprium modificatum, eſſe ſenſibile commune; quia iſte modus loquendi ſignificaret, ſenſibile proprium eſſe ſenſibile commune, quod eſt omninò falſum, etiam cum addito modificatum.

12 Sed quidquid ſit de iſto modo loquendi, probari poteſt hoc tertium noſtrum aſſertum ratione deſumpta ex doctrina Scoti loco citato, quæ ſic efformari poteſt; ſenſibile proprium, & ſenſibile commune, etſi in hoc eſſentialiter, & intrinſecè conueniant, quòd vtrumque immutet potentiam ſenſitiuam per propriam ſpeciem; aliàs (vt benè obijcit Scotus) ſi ſenſibile commune per propriam ſpeciem nō immutaret potentiam ſenſitiuam, non eſſet ſenſibile per ſe, ſed potiùs per accidens; tamen in hoc eſſentialiter, & intrinſecè differunt, quòd ſenſibile proprium, cum ab eo potētiæ ſenſitiuæ deſumant vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam, immutat potentiam per ſe primò: at ſenſibile commune, cum ab eo potentiæ ſenſitiuæ non ſumant vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam (aliàs non poſſet ſentiri, vt ſentitur à potentijs ſenſitiuis diſtinctis in ſpecie) immutat potentiam non per ſe primò, ſed per ſe ſecundò: ergo manifeſtam implicationem inuolvet, quòd ſpecies impreſſa ſenſibilis communis immutet ſenſum, quin priùs natura prædictus ſenſus immutetur ab ſpecie impreſſa ſui ſenſibilis proprij: Patet conſequentia, quia aliàs in ratione immutandi potentiam ſenſitiuam idem reſpectu eiuſdem eſſet intrinſecè, & eſſentialiter primum, & non primum.

Nec video, quid ponderis poſsit obijci contra hoc.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens poſsit à ſenſu percipi?

1 STatuimus quæſtione præcedēti, ſenſibile commune non poſſe per ſuam propriā ſpeciem immutare potentiam ſenſitiuam, quin priùs natura (etiamſi in eodem inſtanti tēporis) prædicta potētia immutetur per propriam ſpeciem ſui ſenſibilis proprij. Explicandum reſtat, an è contra ſenſibile proprium per ſui propriam ſpeciem impreſſam immutare poſsit potentiam ſenſitiuam abſque eo quòd prædicta potentia ſimul immutetur per propriam ſpeciem impreſſam ſenſibilis communis, quale eſt actualis extenſio quantitatiua, & in ordine ad locum, & conſequenter, an ſenſibile proprium, ſi per miraculum poneretur indiuiſibiliter exiſtens, & carens extenſione actuali quantitatiua, vt de facto poſitum eſt corpus Chriſti in Euchariſtia, poſsit ab aliquo ſenſu percipi? Sunt enim de hac re variæ ſententiæ.

2 Prima ſententia ſuſtinet, non ſolum per potentiam Dei abſolutam; ſed etiam naturaliter, & per potentiam Dei ordinatam poſſe ſenſibile proprium exiſtens per miraculum indiuiſibiliter, & ſine extenſione quantitatiua actuali percipi à ſenſibus externis, quorum eſt obiectum proprium: ita OKam in 4. diſtinct. 10. quæſtione 5. artic. 3. & Maior ibidem quæſtione 5. & probabile cenſet Gabriel lectione 45. in canonē. Quod ſi his auctoribus obijcias, corpus Chriſti eſt ſenſibile proprium, cum ſit coloratum, & nihilominus non videtur oculo corporeo in ſacramēto Euchariſtiæ, vbi miraculosè exiſtit indiuiſibiliter, & ſine extenſione quantitatiua actuali; reſpondent, rationem huius eſſe, quia, vt fides locum habeat, Deus miraculosè illud occultat, ne videatur.

3 Fundamētum ipſorum eſt, quòd modus eſſendi in loco indiuiſibiliter non tollit ab obiecto ſenſibili proprio rationē formalem ſenſibili proprij, & primarij; aliàs corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtia indiuiſibiliter, non eſſet coloratum, neque haberet qualitates, quas in cœlo habet: ergo nihil obſtabit modus exiſtendi indiuiſibiliter ad hoc, vt naturaliter poſſit percipi à ſenſibus.

4 Sed hæc ſententia meritò reijcitur ab omnibus alijs ſcholaſticis, & philoſophis; & ratio eſt, quia ſenſibile commune, quale eſt magnitudo, ſeu extēſio actualis quantitatiua, & in ordine ad locum (vt ex dicendis cōſtabit) ad minus eſt cōditio ſimpliciter requiſita ad hoc, vt

Digitized by Google

vt ſenſibile proprium naturaliter poſsit mittere ſpeciem ſui in ſenſus, & conſequenter illos immutare: ergo ſine magnitudine, ſeu extenſione quantitatiua in ordine ad locum actuali non poterit naturaliter ſenſibile proprium ab aliquo ſenſu percipi: ex quo etiam patet ſolutio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

5 Reiecta igitur hac prima ſententia, & loquendo de potentia Dei abſoluta: ſecunda in ordine ſententia affirmat, ſenſibile proprium miraculosè indiuiſibiliter exiſtens non ſolùm poſſe percipi à ſenſibus; ſed etiam ipſum modum exiſtendi indiuiſibiliter: ita Murcia de la Llana diſp. 5. quæſt. 4. qui citat pro hac ſententia Scotum in 4. diſt. 10. quæſt. 9. Diuum Bonauenturam quæſtione vltima, ſanctum Thomam quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. ad 1. & diſt. 11. quæſt. 3. art. ad 4. & 3. part. quæſt. 76. art. 7. ad 2. ſed ſanè immeritò: nam licet hi auctores ſuſtineant, corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens, & conſequenter quodcumque ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens, per abſolutam Dei potentiam videri poſſe oculo corporeo; non tamen hoc affirmant, ſed potiùs expreſsè negant de ipſo modo indiuiſibiliter exiſtendi.

6 Fundamentum huius auctoris eſt, quia color (exempli gratia) eſt perceptibilis per viſum; ergo etiam præſentia realis coloris erit perceptibilis per viſum, ſed ſi Deus crearet aliquem colorem ſupernaturalē, non repugnaret, viſum eleuari à Deo ad videndum illum; ergo neque etiam repugnabit, eundem viſum eleuari à Deo ad videndam præſentiam ſupernaturalem coloris, vt eſt, quam haberet color, dum per miraculum indiuiſibiliter exiſteret.

7 Tertia ſententia per oppoſitum affirmat, neque modum indiuiſibiliter exiſtendi, quem per miraculum habere poteſt ſenſibile proprium, & de facto habet corpus Chriſti in Euchariſtia; neque ipſum ſenſibile proprium, quod afficitur prædicto modo indiuiſibilis exiſtentiæ, percipi poſſe ab aliquo ſenſu, adhuc per potentiam Dei abſolutam: ita Rubius tractatu de obiectis, & ſpeciebus ſenſibilibus quæſt. 12.

8 Et in primis nō poſſe percipi ab aliquo ſenſu, adhuc per potētiam Dei abſolutam, modum indiuiſibiliter exiſtendi, quem per miraculum habere poteſt ſenſibile proprium, & de facto habet corporis Chriſti in Euchariſtia (adhuc in hypotheſi, quòd prædictus modus in aliquo poſitiuo conſiſtat) probari poteſt hoc diſcurſu; implicat contradictionem, quòd percipiatur à ſenſu, quod nullo modo eſt ſenſibile; ſed modus iſte nullo modo eſt ſenſibilis; ergo im-

implicat contradictionẽ, quòd ab aliquo ſenſu percipiatur. Maior eſt certa apud omnes: minor ſic probatur; hic modus (quem habet album, exempli gratia, corporis Chriſti in Euchariſtia) non eſt ſenſibile proprium viſus, cum non ſit color, neque lux; neque etiam eſt ſenſibile commune, cum non cõtineatur ſub aliquo ſenſibili communi ex quinque enumeratis ab Ariſtotele; imò potiùs eſt oppoſitum cuidam ſenſibili communi, ſcilicet, magnitudini; ergo nullo modo eſt ſenſibile.

9 Quod ſi aliquis reſpondeat, ex his ſolùm inferri, prædictũ modum non eſſe ſenſibile per ſe, cum quo benè ſtat, quòd ſit ſenſibile per accidẽs, vt eſt ſubſtantia: contra hoc eſt, quòd ſenſibile per accidens ſolùm poteſt eſſe illud, quod reſpectu ſenſibilis per ſe induit rationẽ ſubiecti, vt cõtingit in ſubſtantia; ſed hic modus indiuiſibiliter exiſtendi non eſt ſubiectum reſpectu ſenſibilis per ſe: ergo etiam per accidens non poterit à ſenſu percipi.

10 Deindè neque etiam ſenſibile proprium, quod afficitur modo indiuiſibilis exiſtentiæ, poſſe percipi à ſenſu, adhuc potentia Dei abſoluta, probat Rubius hoc diſcurſu; ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens non poteſt percipi à ſenſu, quin etiam ſimul percipiatur ipſe modus exiſtendi indiuiſibiliter, quo afficitur; ſed modus hic exiſtendi indiuiſibiliter ſenſibilis proprij nõ poteſt percipi à ſenſu, adhuc potentia Dei abſoluta, vt probatum eſt: ergo neque etiam poterit percipi à ſenſu ſenſibile proprium, quando indiuiſibiliter exiſtit.

11 Maiorem huius diſcurſus ſic probat; ſi potentia Dei abſoluta ſenſus perciperet ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens, vel hoc præſtaret ſenſus per ſpeciem impreſſam ab ipſo obiecto, vel per ſpeciem impreſſam productam immediatè ab ipſo Deo: non poteſt ſuſtineri primum, quia obiectũ indiuiſibiliter exiſtens non habet approximationẽ, aut præſentiam debitam ad agendum actione trãſeunte in externam materiam. Neque etiam ſuſtineri poteſt ſecundum; nam vel hæc ſpecies immediatè impreſſa à Deo, virtualiter, ſeu efficienter repræſentaret ipſum obiectum, diuiſibiliter exiſtẽs, vel exiſtens indiuiſibiliter: non primum, quia repræſentaret obiectum aliter, ac eſt; neque ſecundum, nam per ſpeciem repræſentantem ſenſibile proprium indiuiſibiliter, non poteſt percipi ſenſibile propriũ, quin priùs percipiatur ipſe modus indiuiſibiliter exiſtendi; quod eſt intentum à Rubio.

12 Secundò probat ſuam ſententiam hac ratione; corpus Chriſti, adhuc, vt exiſtens eſt in-

indiuiſibiliter in Euchariſtia, eſt corpus organicum (ſumpta particula, *vt*, nō reduplicatiuè; ſed ſpecificatiuè) ergo non poterit percipi à ſenſu, vt exiſtens in Euchariſtia, quin vt organicum percipiatur; ſed nihil videri poteſt, vt organicum, niſi videatur, vt figuratum, & quātitatiuè extenſum: ergo implicat contradictionem percipi à ſenſu obiectum ſenſibile organicum, ſi per miraculum indiuiſibiliter exiſtat, vt de facto contingit in corpore Chriſti, exiſtente in Euchariſtia.

13 Quarta ſententia vera, & à nobis tenēda diſtinguit in ſenſibili proprio indiuiſibiliter exiſtente ipſum ſenſibile propriū, quod indiuiſibiliter exiſtit, ab ipſo modo indiuiſibiliter exiſtendi: & loquendo de modo indiuiſibiliter exiſtendi affirmat (& in hoc conuenit cum auctoribus tertiæ ſententiæ, & differt ab auctoribus ſecundæ) prædictum modum nō poſſe percipi à ſenſu, adhuc potentia Dei abſoluta: loquendo verò de ipſo ſenſibili proprio, quod indiuiſibiliter exiſtit, ſuſtinet (& in hoc conuenit cum auctoribus ſecundæ ſententiæ, & differt ab auctoribus tertiæ) poſſe per potentiam Dei abſolutam percipi à ſenſu, adhuc, vt indiuiſibiliter exiſtens, ſumpta particula *vt*, non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè. Hæc eſt expreſſa ſententia noſtri Scoti in 4. diſt. 10. quæſt. 9. §. *Ad quæſtionem ergo dico*, num. 5. eſt etiam Angelici Doctoris aliquibus in locis; ſed expreſsis verbis 3. parte, quæſt. 76. artic. 7. vbi reſpondens ad ſecundum argumentum ait, *Oculum corporalem Chriſti videre ſe ipſum ſub ſacramento exiſtentem, non tamen videre modum exiſtendi, quem habet ſub ſacramento, quia hoc pertinet ad ſolum intellectum.* Et per diſtinctionem factam in hac quarta ſententia poſſunt conciliari aliqua eius loca, in quibus aliquando dicit, corpus Chriſti ſub ſacramento Euchariſtiæ exiſtens, neque ſenſu, neque imaginatione poſſe percipi: ſic loquitur loco citato in corpore articuli. Aliquādo verò affirmat, per potentiam abſolutā Dei poſſe percipi à ſenſu corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia; ita affatur in 4. diſtinct. 10. quęſt. vnica, art. 4. quęſtiūcula 2. & diſtinct. 11. quæſt. 3. art. 1. ad 4.

14 Priorem partē huius noſtræ ſententiæ optimè probat diſcurſus factus n. 8. pro priori parte tertiæ ſententiæ: poſterior verò pars probari poteſt, quia ſi aliqua eſſet repugnantia in hoc, quod eſt videre ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens, maximè quam obijciebat Rubius citatus pro tertia ſententia, nimirum, implicare contradictionem videre ſenſibile proprium exiſtens indiuiſibiliter, ſine eo, quòd ſimul videamus ipſum modum in-

indiuiſibiliter exiſtendi, quem habet: hoc autem fundamentum falſum omnino eſt; nam, vt rectè obijcit Scotus loco citato, viſio, & quæcumque alia ſenſatio, quantumcumque intuitiuæ ſint, ex intrinſeca natura ſua ſolùm petunt terminari ad ſenſibile proprium ſingulare, & realiter exiſtens in aliqua determinata parte. Quod verò modus præſentialitatis, quem habet, ſiue diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis ſit, percipiatur, non eſt de intrinſeca ratione viſionis, vel cuiuſcumque alterius ſenſationis: ergo nulla eſt implicatio in hoc, quòd videatur, ſeu ſentiatur aliquod ſenſibile proprium, indiuiſibiliter exiſtens ſine eo, quòd videamus, aut ſentiamus modum indiuiſibiliter exiſtendi, quem de facto habet.

15 Confirmatur, & declaratur amplius; ſenſibile proprium in hoc differt à ſenſibili communi, quod etiamſi vtrũque ſit ſenſibile per ſe, & conſequenter moueat potentiam ſenſitiuam per ſpeciem propriam; tamen ſenſibile commune, cum non ſit ſpecificatiuum potentiæ ſenſitiuæ, ſed hoc ſolùm conueniat ſenſibili proprio, eſt impoſsibile, quòd ſenſibile cõmune moueat per ſuam ſpeciem potentiam ſenſitiuam, niſi prius natura prædicta potentia moueatur, & determinetur, & ſpecificetur à ſenſibili proprio, eiuſque propria ſpecie impreſſa; quia pendet ab illo, vt à ratione formali mouendi; & ideò ſine illo non poteſt ſenſibile commune mouere potentiam, adhuc per potẽtiam Dei abſolutam, vt quæſtione præcedenti dicebamus. At ſenſibile proprium, cum non pendeat à ſenſibili communi, in ratione formali mouendi potentiam ſenſitiuam; ſed ſolùm, vt à conditione naturaliter admouendum requiſita; cum enim ſpecies impreſſa, per quam ſenſibile propriũ mouet potentiam ad ſenſationem, naturaliter loquendo, debeat produci ab ipſo ſenſibili proprio; neceſſariò eſt requiſita in ipſo ſenſibili proprio magnitudo, ſeu extenſio quantitatiua; nam ſine dicta extenſione non poterit habere propinquitatem, & præſentiam ad producendam prædictam ſpeciem in potentia requiſitam: ſed Deus poteſt ſupplere ſua potentia abſoluta iſtam dependentiam producendo ſe ſolo in potentia ſenſitiua ſpeciem impreſſam, quam aliàs imprimeret ſenſibile propriũ, ſi eſſet diuiſibiliter præſens: ergo poterit per potentiam Dei abſolutam ſenſibile proprium percipi à potentia ſenſitiua, etiamſi non percipiatur ab eo ſenſibile commune, ſcilicet, extenſio eius quantitatiua, & multò potiori ratione modus exiſtendi in loco huic oppoſitus, ſcilicet, exiſtendi

in

Digitized by Google

in loco indiuiſibiliter, quam miraculosè habere poteſt, & de facto habet in Eucharistia corpus Christi.

16 Ad fundamentum, quo conabantur oſtendere auctores ſecundæ ſententiæ, poſſe potentia Dei abſoluta videri modum exiſtendi indiuiſibiliter, quem habere poteſt miraculosè ſenſibile proprium, negamus realem præſentiā coloris formaliter conſideratam eſſe perceptibilem per viſum, cum in ſententia noſtra, & Scoti ſit relatio extrinſecus adueniens; ſed quod eſt perceptibile per viſum in colore tanquam ſenſibile commune, eſt magnitudo, ſeu extenſio localis, quæ nō eſt formaliter præſentia realis, ſed fundamētum præſentiæ realis, quod fundamentum non habet præſentia realis coloris, dum miraculosè exiſtit indiuiſibiliter, ſed potiùs eius oppoſitum.

17 Ad diſcurſum, quo nitebatur Rubius oſtendere ſecūdam partem ſuæ ſententiæ, reſpondemus negando maiorem, nimirum nō poſſe ſenſibile proprium exiſtens indiuiſibiliter, adhuc potentia Dei abſoluta à ſenſū percipi; quin ſimul percipiatur modus indiuiſibiliter exiſtendi, quē habet: & ad probationē dicimus, quod in caſu, quo ſenſus per potentiam Dei abſolutam perciperet sēſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens, non viſo modo indiuiſibiliter exiſtendi, hoc præſtaret ſenſus per ſpeciē impreſſam, non ab ipſo obiecto, ſed à Deo immediatè productam. Et cum iterū inſurgit Rubius inquirendo, an hæc ſpecies repræſentaret ſenſibile propriū, exiſtens diuiſibiliter, an indiuiſibiliter? Reſpondetur, quòd neutro modo; ſed quòd abſtraheret à repræſentatione horū modorum exiſtendi: neque ex hoc ſequeretur, quòd ſenſatio producta à potentia, & prædicta ſpecie non eſſet intuitiua; quia de ratione intrinſeca ſenſationis intuitiuæ, (vt cum Scoto num. 14. dicebamus) non eſt, quòd terminetur ad obiectum, taliter, vel taliter exiſtens; ſed quòd terminetur ad obiectum realiter præſens, & exiſtens, etiam ſi abſtrahat à perceptione modi præſentiæ, & exiſtentiæ, vt in præſenti contingeret.

18 Ad ſecundam rationem, conceſſa tota maiori, diſtinguimus minorem: non poteſt videri corpus organicum, vt organicū eſt, niſi ſimul videatur eius figura, & extenſio, diſtinguo, ſi ſermo ſit de figura, & extēſione entitatiua, & ſubſtātiali, quā habet corpus ſubſtātiale ex ſe, & ſecluſa quantitate, vera eſt minor; at ſi ſermo ſit de figura, & extenſione quātitatiua, quæ eſt de qua loquitur argumentum factum in contrarium, falſa eſt minor; nam ſicuti ſine iſta figura, & extenſio-

ſione quantitatiua, & accidentali poteſt cōſiſtere corpus ſubſtantialiter, & entitatiuè organicū, vt omnes fatentur de corpore Chriſti exiſtēte in Euchariſtia; ita etiam per potentiam Dei abſolutam videri, & ſentiri poterit.

QVÆSTIO. V.

Vtrùm ſenſus poſsit falli circa ſenſibile proprium?

1 HVic quæſtioni anſā dedit Ariſtoles in 6. capit. huius libri, vbi inter ſenſibile proprium, & cōmune, hoc ponit diſcrimen, nimirum, quòd circa ſenſibile proprium non cōtingit, ſenſum errare, aut raro; bene tamen circa ſenſibile cōmune; quæ verba difficultate non carent, cum experiētia oppoſitum nobis conſtet: experimur enim, ſenſum circa ſenſibile proprium, nō ſolum errare, ſeu falli; ſed etiam hoc non raro contingere. Nam infirmi cibos dulces ſentiunt eſſe amaros; & multoties res apparent diuerſi coloris, ac ſunt.

2 Neque obſtat, ſi reſpōdeas, quòd quādo Ariſtoteles docet ſenſum circa ſenſibile propriū non falli, debet intelligi, quantum eſt ex ſe, etſi adſint conditiones omnes neceſſariæ ad hoc. quæ numero sūt tres; prima debita approximatio, cuiꝰ defectu falli ſolet ſenſus circa ſenſibile proprium, vt contingit in iride, vbi colores apparētes iudicat oculꝰ eſſe veros. Secunda, quòd medium ſit rectè diſpoſitum, cuius defectu manus apparet rubra, ſi per intermedium vitrum rubrū videatur. Tertia, quòd potentia non ſit læſa, & defectu huius conditionis infirmi cibos dulces ſentiunt, eſſe amaros. Hoc, inquā, non obſtat, nam ſi obſeruentur iſtæ conditiones, etiam ſenſus non fallitur circa ſenſibilia communia, vt experientia ipſa demonſtat.

3 Dicendum igitur nobis eſt cum Auerroe, & alijs pluribus interpretibus (omiſſis alijs interpretationibus) etſi ſenſus aliquando erret circa ſenſibile proprium ex defectu alicuius conditionis ex tribus aſſignatis; ſed nō ita facilè, ac frequēter, ac errat, & fallitur circa ſēſibile commune: ita propoſitionem illam vniuerſalem, *circa ſenſibile proprium non contingit ſenſum errare, aut raro; benè tamen circa ſenſibile commune*, correxit Ariſtoteles tex. 16 1. his verbis, *ſenſus quidem propriorum eſt verus, aut quàm pauciſsimum habens falſum*: & paucis interiectis, *circa cōmunia maximè iam eſt, decipi ſecundùm ſenſum*.

4 Hanc ſententiam Ariſtotelis, ſic explicatā cōprobat ipſa experiētia, qua experimur, etſi aliquando erret ſenſus circa propriū ſenſibile ex defectu alicuius conditionis ex tribus ſupradictis; nō tamē ita facilè, ac

ac frequẽter, ac errat circa ſenſibile cõmune. Rectè enim videmus, & ſine errore, Aſtra eſſe lucida, quæ lux eſt propriũ ſenſibile viſus: erramus autem in magnitudine, quia apparent parua, & ſunt magna: in figura, quia videtur plana, & ſunt rotunda: in quiete, quia videntur quieſcere, & velociſsimè mouẽtur: in numero, quia iudicãtur innumerabilia, & tamẽ nõ inueniũtur in magno numero: & ſic in alijs paſsim contingit.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De viſu.

A Capite 7. huius libri incipit Ariſtoteles diſputare de potentijs externis animæ ſenſitiuæ in ſpeciali, incipiendo à potentia viſus, eo quòd inter quinque ſenſus exteriores, tam in dignitate, quã in vtilitate ſenſus viſus primus, & præcipuus eſt, quem nos imitantes primo loco de potentia viſiua, quæ dicitur viſus, ſermonẽ ſtatuimus. Et quia in diſputationibus de ſingulis ſenſibus, non ſolũ examinandum eſt, quid ſit ipſe ſenſus; ſed etiã quid ſit eius obiectum, & quid eius organum? Ideò in hac diſputatione examinanda ſunt quinque; primum, *Quid ſit color?* Secundum, *quid ſit lumen?* Tertiò, *quo pacto requiratur lumen ad viſionem coloris?* Quartò, *quomodo fiat viſio?* Quintum, *quid ſit organum potentiæ viſiuæ?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit color?

1 QVòd color ſit obiectum viſus, experientia docet, neq; vllus in dubium reuocauit. In explicãdo autem, quid ſit, aliquorum ſententia fuit, colorem non eſſe qualitatem à lumine diſtinctã; ſed ipſum lumen receptũ in corpore opaco eſſe colorẽ, diuerſitatẽque colorũ prouenire à diuerſitate diſpoſitionũ corporis opaci, in quo recipitur lumen: vndè cõſequenter affirmabãt, abſente lumine, nullum eſſe colorem in rebus; ſed eo adueniente, aduenire etiã colores, hoc, vel illo modo diuerſos iuxta diuerſitatẽ corporũ opacorũ, in quibus lumẽ recipitur.

Digitized by Google

Hæc ſententia tribuitur Platoni in Timæo, Auicennæ lib. 6. naturalium, part. 3. cap. 1. & pluribus alijs ex Arabibus; & Alberto in ſumma de homine, quæſtion. de ſubſtantia coloris, & Andræe Ceſalpino libr. 5. Peripateticarum quæſtionum, quæſt. 7.

2 Probari ſolet hæc ſententia primò; quia Ariſtoteles 3. libro de anima textu 18. docet, lumen facere colores actu ex coloribus in potentia: ergo ſentit, lumen eſſe formam tribuentem rebus colores; & conſequenter abſente lumine nullum eſſe colorem in rebus; ſed ſolùm potentiam ad hoc, vt adueniente lumine, iuxta diuerſas rerum diſpoſitiones diuerſos colores ab ipſo lumine recipiant: quibus conſonat id, quod cecinit Virgilius 6. libro Æneidos, *Rebus nox abſtulit atra colores*: imò & ipſa Eccleſia in quodā hymno, *Rebuſq; iam color redit vultu nitētis ſideris*.

3 Secundò probari ſolet, quia eiuſdem coloris videntur colores, qui apparēt in iride, in nubibus, atque etiam in collo columbæ cum his, qui videntur in cæteris rebus, ſeu corporibus; ſed colores, qui videntur in iride, in nubibus, atque etiam in collo columbæ, non ſunt quid diuerſum à lumine refracto in nube, vel alio corpore iuxta diſpoſitiones eorum, ergo idem erit iudiciū de reliquis coloribus.

4 Pro ſolutione huius quæſtionis nota, colores eſſe in duplici differentia; nam quidam ſunt veri; quidam verò ſolùm apparentes: colores veri dicūtur quædam ſecundæ qualitates, quæ reſultant in mixto ex temperamento primarū qualitatum, vt ſunt albedo papyri, nigredo picis, &c. Colores apparentes appellantur, qui cauſantur in aliquo corpore, nō ex temperamento primarū qualitatum, quod eſt intrinſecè in ipſo; ſed à cauſa extrinſeca, nimirum, ex reflectione lucis in tali, vel tali ſubiecto, per tale, vel tale medium, vt ſunt colores, qui apparent in iride, in nubibus, in collo columbæ, & his ſimiles.

5 Hoc prænotato, placet mihi communis & vera ſentētia, quæ diſtinguit inter colores apparentes, & veros; & de coloribus apparentibus affirmat, non diſtingui à lumine; ſed eſſe ipſum lumen in tali, vel tali ſubiecto, per tale, vel tale medium, ſic, vel ſic refractum. De coloribus autē veris docet, eſſe qualitates realiter, & eſſentialiter diuerſas à lumine: ita ſupponit Scotus noſter in 2. d. 13. quæſt. vnica.

6 Et in primis colores apparētes nō diſtingui à lumine; ſed eſſe ipsū lumē ex tali, vel tali ſubiecto, per tale, vel tale mediū, ſic, vel ſic refractū, patet, quia huiuſmodi colores ſecūdū diuerſū aſpectū, diſtantiā, & ſitū ad.

ad corpus luminoſum variè ſe ſe viſui repræſentant (vt experientia demonſtrat in exemplis adductis) quod ſanè indicat, eos nihil aliud eſſe, quàm ipſum lumē in tali, vel tali ſubiecto, per tale, vel tale mediũ, ſic, vel ſic refractum.

7 Deinde veros colores eſſe qualitates realiter, & eſſentialiter diuerſas à lumine, probari poteſt primò ex definitionibus coloris, & luminis, quas tradidit Ariſtoteles 7. capite huius libri, & libro de ſenſu, & ſenſibili cap. 3. quæ neceſſariò præſupponunt, colorē verum præſupponere lumen, & conſequenter eſſe qualitatem à lumine diſtinctam. Nam lumen definit, *eſſe actum perſpicui*; colorem verò, *eſſe extremitatem perſpicui terminati*.

8 Secundò probatur rationibus; prima, quia ſi veri colores à lumine non diſtinguerentur, nō eſſent ita fixi, & permanentes; ſed verſatiles ſecundum diuerſum reſpectum ad corpus luminoſum. vt de apparentibus dictum eſt. Secũda, quia lumen non habet contrarium; colores autem veri, vt ſunt albedo papyri, & nigredo picis, contrarij ſunt. Tertia, quia productio luminis non eſt propriè alteratio; ad colores autem veros datur propria alteratio, vt docet Ariſtoteles libro 7. Phyſic c. 3. Quarta denique, quia lumē (vt quæſt. ſequenti, cũ Scoto oſtendam) eſt ſpecies intentionalis corporis luminoſi; ſecus verò colores veri.

9 Ad primum in contrarium adductum reſpondemus, quòd cum Ariſtoteles docet, lumen facere colores actu ex coloribus in potētia, & ſimiliter Virgilius canit, noctem colores abſtuliſſe, & Eccleſia in quodam hymno profert, diem, ſeu lucem illos reſtituiſſe, loquuntur in ordine ad actum videndi; nam lumen, licet non ſit verus color, eſt tamen conditio neceſſaria, vt veri colores actu videri poſſunt, vt infra q. 3. latiùs explicabimus.

10 Ad ſecundum patet ex dictis, falſum eſſe, colores, qui apparent in iride, in nubibus, in collo columbæ, &c. eſſe eiuſdem rationis cum alijs, qui reperiuntur in alijs ſubiectis; ſiquidem priores ſolũ ſunt colores apparentes; poſteriores verò ſunt veri colores.

11 Sed reſtat explicare duas definitiones, quas hic tradidit Ariſtoteles, vnam perſpicui, & alteram coloris; perſpicuum in 7. cap. huius libri ſic definit Ariſtoteles, perſpicuum eſt id, *quod non per ſe, ſed alieno lumine viſibile eſt*. Pro cuius definitionis intelligentia aduertendum eſt, perſpicuum bifariam ſumi apud Ariſtotelem; vno modo pro quolibet corpore tranſparenti, qualia ſunt aqua, aër, ignis, vitrũ, &c. quod vocari ſolet perſpicuum indefinitũ, ſeu in-

indeterminatum, eo quod viſus in illius extremitate non ſiſtat; ſed vlteriùs videndo tranſeat, & totũ peruadat. Alio verò modo accipi pro corpore, quod lumen participat, nec tamen translucidũ eſt, ob maximã, videlicet, denſitatẽ; ideòque ab Ariſtotele in libro de ſenſu, & ſenſibili c. 3. perſpicuũ terminatum dicitur; huiuſmodi ſunt aſtra. Perſpicuum priori modo ſumptũ eſt mediũ viſus, ſecus poſteriori modo. Rurſus perſpicuum indeterminatum, & quod eſt mediũ viſus, duplex eſt, vnũ, quod proprio, & natiuo lumine collucet, vt ignis in ſua ſphęra; alterũ, quod alieno, vt aër, aqua, vitrum, & cætera, quę non niſi lumine ab aliquo externo corpore defluente, ſplendent: ex quo etiã prouenit, vt priora ſemper actu ſint illuſtrata; hæc verò interdum actu illuſtrata ſint, interdum poteſtate duntaxat.

12 Ad rem ergo; Ariſtoteles in ſupra dicta definitione perſpicui non eſt complexus perſpicua terminata, vt ſunt aſtra; cuius ratio eſt, quia hæc non ſunt medium viſus, cum traijciendis ad oculum ſpeciebus minimè obſeruiant; neque etiam complexus eſt perſpicua interminata, quæ ex ſe, & natura ſua lucem habent, vt ignis; cuius ratio eſt, quia etiã ſi media ſint, per quæ viſio perfici poteſt; ſemper tamen actu lucida ſunt. Solùm ergo complexus eſt præfata definitione perſpicui à ſe tradita, omnia, & ſola perſpicua indeterminata, quæ ab externo corpore lucem accipiunt; & interdum illuſtrata ſunt, interdum non, vt aqua, aer, chryſtallus, vitrum, aliaque id genus. De his enim ſolùm verificatur, quod ſint media, per quæ fieri poteſt viſio, non per ſe, ſed alieno lumine viſibilia.

13 Naturam coloris duplici definitione explicuit Ariſtoteles, vna hoc libro cap. 7. altera libro de ſenſu, & ſenſibili cap. 3. Prior eſt huiuſmodi, *color eſt motiuum perſpicui in actu.* Poſterior ita ſe habet, *color eſt extremitas perſpicui terminati*: inter quas definitiones hoc eſt diſcrimen, quòd priori definitione amplexus eſt tam colorem verum quàm apparentẽ; nam cum tam verus color, quã apparens emittant ſpeciẽ ſui per perſpicuum indeterminatum, ſeu diaphanũ actu illuminatum, de vtroque colore optimè verificatur, quòd ſit *motiuum perſpicui in actu*. At poſteriori definitione ſolùm amplexus eſt verum colorem, & hunc, non in quantum eſt quædã ſecunda qualitas reſultans ex temperamento primarũ qualitatum; ſed in quantum deſeruit ad actum videndi; & per *extremitatem*, quæ eſt particula, quæ ponitur loco generis, intelligit non ipſam ſuperficiem extremam; ſed id, quod

na-

Digitized by Google

natum eſt apparere, ſeu videri in ipſa extrema ſuperficie, quod expreſsè docuit ipſemet Ariſtoteles ſubdens, *etenim color in termino corporis inhabitat, ſed nequaquam terminus eſt*. Per particulam verò *perſpicui terminati*, quæ ponitur loco differentiæ, differt à colore apparẽti, ſcilicet, à lumine, quod, etſi ſit qualitas apta nata videri; ſed non ſolùm in extremitate perſpicui terminati, cum etiam videatur in partibus profundioribus corporis diaphani, quod eſt perſpicuum interminatum.

QVÆSTIO II.

Quid ſit lumen?

1 SCotus noſter in 2. ſententiarum, diſt. 13 q. vnica ex profeſſo diſputat de luce, & de lumine: & de luce affirmat, non eſſe ſubſtantiam, & probat, quia ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis; lux autem per ſe ſenſibilis eſt; ſed eſſe formam accidentalem actiuam, conſequentem formam ſubſtantialem cæleſtis corporis; non ſecus, ac calor, frigus, ſiccitas, & humiditas ſunt formæ accidentales actiuæ, & conſequentes formas ſubſtantiales elementorum.

2 De lumine verò etiam affirmat, non eſſe ſubſtantiam, neque completam, neque incompletam, contra aliquos Philoſophos, quos refert Auicena libro 6. part. 3. cap. 2. & quòd non ſit ſubſtantia completa, probat, quia ſi eſſet ſubſtantia completa, & per ſe ſubſiſtens; vel eſſet ſpiritualis, vel corporalis; ſed nõ eſt ſubſtantia ſpiritualis, cum ſit extenſibile, & diuiſibile, quod ſubſtantiæ ſpirituali repugnat: neque etiam eſt ſubſtantia corporalis, aliàs duo corpora eſſent ſimul penetrata in eodem loco, cum videamus, lumen eſſe ſimul cum toto aere; non enim aduenìente lumine, recedit à loco, in quo erat aer, aliàs in medio illuminato non poſſet eſſe reſpiratio, quod eſt contra experientiam. Quòd etiam non ſit ſubſtantia incompleta, probat; quia duo tantùm ſunt ſubſtantiæ incompletæ, ſcilicet, materia, & forma: lumen autem non eſt materia, nam materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis; ſecus autem lumen: neque etiam eſt forma ſubſtantialis, quia illud, cui aduenit, manet perfectum in ſuo eſſe ſubſtantiali, ipſo lumine recedente, vt apparet in aere, quãdoque illuminato, quandoque tenebroſo: concludit ergo Scotus, lumen eſſe accidens, & non alterius prædicamenti, quàm qualitatis: in quibus cõueniunt cum Scoto ferè omnes auctores, tam antiqui, quã recentiores:

3 Sed obijcies primò; lumẽ di-

citur reflecti, & refrangi, quæ ſunt propria corporum: ergo lumen erit corpus, & conſequenter ſubſtantia. Reſpondetur, hæc non dici propriè de lumine, ſed ſolùm analogicè, & per ſimilitudinem; nam radius reflexus, ſeu refractus non eſt idem lumen cum recto, ſed alia pars luminis diſtincta. Pro quo nota ex Scoto triplicem eſſe radium luminis, rectum, qui diffunditur à luminoſo per medium eiuſdem diaphanitatis; & reflexum, qui ocurrēte corpore opaco, multiplicat ſe in oppoſitum, & refractum, qui ocurrente medio alterius diaphanitatis, multiplicat ſe in eo, vel verſus perpendicularem, ſi medium occurrens eſt denſius, vel è contra, ſi ſit rarius.

4 Obijcies ſecundò; contingit, aerem variari, lumine manente; ergo lumen non eſt accidens, quia accidens idem numero non migrat ex vno ſubiecto in aliud. Reſpondetur, in dicto caſu nouum lumē effici, ſicuti aere ab igne calefacto, per ventum amoto, ſtatim ſuccedens aer ab eodem igne calefit.

5 Obijcies tertio; duo lumina, à duobus luminoſis prouenientia, & in eodem numero diaphano recepta, non miſcētur in vnum, vt patet in luminibus duarum lucernarū; nam poſito vno corpore opaco, duæ apparent vmbræ, quod nō poſſet contingere, ſi vnum eſſet lumen: ergo lumen non eſt accidens, alias duo accidentia abſoluta, tantùm numero differentia eſſent in eodem numero ſubiecto. Reſpondetur, præfatum argumentum ſolùm poſſe militare contra auctores, qui ſuſtinent, lumen non eſſe ſpeciem intentionalem lucis; non verò contra nos, qui cum Scoto (vt ſtatim dicam) ſuſtinemus, lumen eſſe ſpeciem intentionalem lucis; nam plures ſpecies intētionales ſolùm numero diſtinctas poſſe eſſe in eodem numero ſubiecto, nullus negare poteſt, cum experiamur, nos ſimul videre plura obiecta, ſolo numero differentia, quod fieri non poteſt ſine pluribus ſpeciebus intentionalibus, etiam tantùm numero differentibus, exiſtentibus in eadem numero potentia: & ratio à priori eſt, quia ſpecies impreſſæ in repræſentādo virtualiter, (vt ſæpè dictum eſt) dicunt eſſentialem ordinem ad obiecta, quorum ſunt ſpecies, & ſic indiuiduationem accipiunt, non ſolùm à ſubiectis, in quibus inhærent; ſed etiam, & principaliter à terminis, ſeu obiectis, quæ adæquatè repræſentant.

6 Sed licet omnes in ſupradictis de lumine cum Scoto conueniant, differunt valdè in explicando, an lumen ſit ſpecies intentionalis lucis: & conſequenter qualitas eſſentialiter

ter diuerſa ab ipſa luce, à qua effectiuè procedit, vt in vniuerſum de omni ſpecie intentionali impreſſa reſpectu ſui obiecti, à quo procedit, ſtatuimus, diſput. præcedenti quæſt. 3.? An verò ſit qualitas naturalis, non ſecus, ac ſunt albedo, nigredo, &c. & conſequenter eiuſdem ſpeciei, & eſſentiæ cū luce, à qua efficienter prouenit, ſeu procedit?

7 Prima ſententia affirmat, lumen non eſſe ſpeciem intentionalem lucis; ſed eſſe tantùm qualitatem naturalem, & phyſicam, eiuſdem rationis, & ſpeciei cum luce, ſolùmque differre lucem à lumine in hoc, quòd eadem in eſſentia qualitas, vt eſt in corpore luminoſo, à quo emanat, vocatur lux; vt autem eſt producta ab eodem luminoſo in alio corpore perſpicuo vocatur lumen: ita videtur ſentire Diuus Thomas 1. parte quæſt. 67. articul. 3. & quæſtion. 10. de veritate articul. 8. ad decimum; Alexander, Simplicius, Albertus magnus in capit. 7. huius libri, & quàm plures alij, quos refert, & ſequitur Suarez libro 3. de anima cap. 14. eſtque recepta inter Thomiſtas, licèt Caietanus in locum 1. partis Diui Thomæ non omnino conſentiat; aſſerit enim, lumen eſſe qualitatem nobiliſsimam, eminenter continentem, tum reale eſſe, tum etiam intentionale.

8 Fundamentum Diui Thomæ eſt, quia ſpecies intentionales, cum non habent eſſe naturale, ſeu reale, non poſſunt producere effectus naturales, ſeu reales, nec denominare ſubiectum, in quo ſunt, neque percipi ab aliquo ex ſenſibus exterioribus: ſed lumen producit effectus naturales, ſeu reales; eſt enim calefaciendi, ſiccandique principium effectiuum; denominat lucidum ſubiectum, in quo eſt; percipitur à ſenſu exteriori viſus: ergo lumen non èſt qualitas intentionalis; ſed potius naturalis, & realis.

9 Confirmatur ampliùs à Suarez; ſi lumen eſſet ſpecies intentionalis lucis, quæ eſt in ſole, ſequeretur, quòd receptum in oculo per reflectionem in corpore opaco, eſſet ratio videndi lucem, quæ eſt in ſole, & conſequenter per ipſum refractum videremus lucē, quæ eſt in ſole, etiãſi ſol è regione, ſed à tergo eſſet; ſed hoc non contingit, vt experientia demonſtrat in homine exiſtēte in vmbra qui etiamſi recipiat lumen ſolis per reflectionē factã in pariete in oculis; non tamē videt per ipſum lucē, quæ eſt in ſole; ſed lumen productū ab ipſa luce ſolis refractum in pariete: ergo ſignum manifeſtum eſt, quòd lumen non ſit ſpecies intentionalis lucis, quę eſt in ſole; ſed tantùm qualitas naturalis, ſeu phyſica, & rea-

Digitized by Google

lis producta à luce ſolis.

10 Secunda ſententia verior, & à nobis tenenda, eſt Scoti noſtri loco citato, qui duo aſſerit; primũ eſt, lumen eſſe rationem videndi lucē, & cōſequenter ſpeciem intentionalē illius, & quid eſſentialiter ab ipſa diſtinctum: & in hoc opponitur primæ ſententiæ Diui Thomæ, & aliorum. Secundũ eſt, lumen ita eſſe ſpeciem intentionalem lucis, & rationem videndi illam, vt etiam in ſe ipſum ſit qualitas realis, potens producere effectus reales, denominare lucidum ſubiectum, in quo eſt, & percipi à ſenſu exteriori viſus, & in hoc non opponitur ſententiæ primæ D. Thomæ, vt ſine debito examine ei attribuunt Suarez, & recentiores Thomiſtæ: Scotum ſequuntur omnes diſcipuli, Hugo Cauellus in libris de anima diſp. 2. ſect. 9. dub. 1. Philippus Faber theoremate 66. cap. 2. & ex alijs Ægidius hic tex. 76. dubio 2. & 3. Thienenſis textu 71. Buridanus, quæſtio. 17. Zabarella libro 1. de viſu cap. 9. Piccolominus ibidem, & plures alij.

11 Quo autem pacto contingere poſsit, vt lumen ſit ſpecies intentionalis lucis, ſeu ratio videndi illam, vt etiam in ſe ipſum ſit qualitas realis, potens producere effectus reales, denominare lucidum ſubiectum, in quo eſt, & percipi à ſenſu exteriori viſus, optimè declarat Scotus exemplo deſumpto ex Diuus Auguſtino libro de doctrina Chriſtiana, vbi Divus Auguſtinus inquit, quòd cum diſtinguimus rem à ſigno, non propterea dicimus, ſignum non eſſe rem; aliàs ſignum eſſet nihil; & conſequenter ſignum appellari non poſſet; ſed rem appellamus id, quod nihil ſignificat; ſignum verò id, quod ita eſt res, vt ſimul ſit ſignum alicuius: ita ergo, inquit Scotus, cum eſſe intentionale diſtinguimus ab eſſe reali, non propterea dicimus eſſe intentionale non eſſe ens reale; aliàs nihil eſſet, ſed eſſe reale appellamus id, quod non eſt ratio ſentiendi; eſſe verò intentionale id, quod, præter eſſe rem, habet eſſe rationem ſentiendi; licet eſſe reale, quod habet, ſit ita debile, vt multoties non ſentiatur, nec exerceat aliquas alias operationes præter ſimul cum potētia producere ſenſationes.

12 Poſſumus etiam hoc idē alio exemplo naturali declarare: ſæpè enim videmus, lumine per vitrum rubeum trāſeunte, produci ſpeciem, & imaginem coloris vitri in pāno, vel pariete ſubiecto, illa rubedo, quæ eſt in vitro, eſt color realis, & ſic mouetur ad motum vitri, quod eſt eius ſubiectum; ſed color rubeus, qui eſt in panno, vel pariete, eſt color intentionalis, id eſt, ſpecies intentionalis coloris, qui eſt in

vi:

vitro; & ideò non mouetur ad motum panni, vel parietis; ſed ad motum vitri illuminati, à cuius colore cauſatur, tanquam ab obiecto: taliter autem eſt ſpecies intentionalis, & ratio vidēdi rubedinem vitri, vt ſimul etiam ſit res viſibilis, cum videamus, viſum ad ipſam terminari.

13 Aduertit præterea Scotus, duplex eſſe lumen, primarium, ſcilicet, & ſecundarium: lumen primarium eſt, quod immediatè cauſatur à luce: lumen verò ſecundarium, quod ab aliquibus appellatur ſplendor, ab alijs lumen accidētale, & eſt illud, quod cauſatur immediatè non à luce, ſed à lumine primario; & huiuſmodi eſt lumen, quod eſt in vmbra; nā in hoc diſtinguitur vmbra à tenebris, quòd tenebræ ſunt priuatio luminis tam primarij, quàm ſecundarij: vmbra verò ſolùm eſt priuatio luminis primarij. Ex his ergo duobus luminibus ſolùm lumen primarium, inquit Scotus, eſt ſpecies intentionalis lucis, quæ eſt in corpore luminoſo; nam lumen ſecundarium, etſi etiam ſit ſpecies intentionalis; ſed nō lucis exiſtentis in corpore luminoſo; ſed luminis primarij exiſtentis in corpore perſpicuo, tam interminati, quàm terminati.

14 Hanc ſententiam ſic explicatam probat Scotus; & præcipuè intēdit probare primam partem ſui aſſerti, quæ eſt, in qua directè opponitur Diuo Thomæ, & alijs auctoribus primæ ſententiæ, nimirū, lumen primarium eſſe ſpeciē intentionalem lucis, quæ naturaliter dimanat, & exiſtit in corpore luminoſo. Nam ſecūda pars ſui aſſerti, ſcilicet, lumen eſſe qualitatem realem, non ſolùm ab auctoribus primæ ſententiæ; ſed etiam ab omnibus (vno excepto Ægidio) recipitur, & manifeſtè eā conuincunt, ea, quæ adducta ſunt pro fundamento D. Thomæ, videlicet, lumē producere effectus reales, denominare realiter ſubiectū, in quo eſt, percipique à ſenſu exteriori viſus, quæ minimè præſtare poſſet, ſi qualitas realis non eſſet.

15 Probat ergo Scotus, lumē primarium eſſe ſpeciem intentionalem lucis, & conſequenter quid eſſentialiter diuerſum à luce; primò à poſteriori, nimirum, quia ſi lumen primarium non eſſet ſpecies intētionalis lucis, & conſequēter diuerſæ rationis à luce, ſed potiùs eiuſdem rationis cū luce, poſitū ſupra ſenſum impediret ſenſationem, ſeu viſionem lucis; quia ex Ariſtotele in hoc ſecūdo libro de anima ſenſibile poſitum ſupra ſenſum nō cauſat, ſed potiùs impedit ſenſationem ipſius. Sed lumen primarium poſitum ſupra viſum, non ſolùm non impedit, ſed potiùs cauſat ſenſationem,

ſeu

Digitized by Google

ſeu viſionem lucis: ergo ſignum euidens eſt, quòd lumen primarium non ſit eſſentialiter lux, ſed potius ſpecies intentionalis lucis, & conſequēter quid eſſentialiter à luce diuerſum.

16 Secundò, & eſt ratio quaſi à priori; nam lumini primario reſpectu lucis, à qua prouenit, conueniunt omnes conditiones, ſeu proprietates ad rationem ſpeciei intentionalis requiſitæ: ergo negari non poteſt, lumen primarium eſſe ſpeciem intentionalem lucis, antecedens patet inductione, nā poſito lumine primario in oculo videtur lux, & eo ſublato non videtur. Item lumen primarium in ſuo fieri, & conſeruari pendet à præſentia lucis; non habet contrarium, & demum duo lumina primaria ſolùm numero differētia poſſunt eſſe ſimul ſine ipſarum admiſtione in eodem ſubiecto, vt numer. 5. ſupra oſtendimus: hæc autem omnia ſunt proprietates ſpecierum intentionalium.

17 Demum probari poteſt ſoluendo ea, quæ ab auctoribus primæ ſententiæ adducta ſunt in contrarium. Ad fundamentum Diui Thomæ reſpōdemus, falſum omnino eſſe qualitates intentionales non habere eſſe naturale, ſeu reale; quia vt benè obijcit Scotus, ſi nullum eſſe naturale, ſeu reale haberent, nihil eſſent; & cōſequenter negamus repugnare qualitatibus intentionalibus producere aliquem effectum naturalem, ſeu realem, denominare ſubiectum, in quo ſunt, & percipi ab aliquo ſenſu ex exterioribus: & ſic non mirū, quòd hæc omnia conueniant lumini, non obſtante, quòd ſit ſpecies intentionalis lucis, cū inter ſpecies intentionales ſit qualitas magis intenſa, & perfecta, quæ aſsignari poteſt. Quod ſi hæc omnia non experimur in alijs qualitatibus intentionalibus, hoc eſt, quia earum eſſe naturale, ſeu reale valdè diminutum eſt; & quia non eſt nomen proprium illis impoſitum, à quo poſsint ſubiecta earum accipere denominationem, ſicut impoſitum eſt lumini.

18 Imò addimus, falſum eſſe nihil horum nos experiri in ſpeciebus intētionalibus aliarum rerum. Nam cum lumen tranſit per vitrum rubeum, videmus produci in panno, ſiue pariete ſubiecto rubedinem quandam, quæ rubedo viſibilis eſt, & nihilominus eſt ſpecies intentionalis rubedinis vitri, cum per illam, ſi oculus ibi ſupponeretur, videret oculus, tanquam per rationem videndi rubedinem, quæ eſt in vitro. Neque obſtat, quòd prædicta rubedo, generata à rubedine vitri, per quod tranſit radius ſolaris, non videatur in medio; nam ſpecies intentionales tam

par-

Digitized by Google

paruæ entitatis ſunt, vt adhuc poſitæ in ſumma intenſione, quam habere poſſunt, non videantur, niſi receptæ in aliquo ſubiecto opaco, vt videri eſt in lumine, quod eſt in ſua entitate ſpecies intentionalis magis perfecta, quæ emitti poteſt ab obiectis; & nihilominus non eſt viſibile, niſi receptum in opaco, vt probant experiētię, quas ad hoc probandum adducit Scotus loco citato de radijs ſolaribus, qui nocte non apparent; & tamen intercipiūtur inter nos, & cælum ſupra conum pyramidis vmbrę terræ: & ſimiliter de radijs ſolaribus tranſeuntibus per foramina oppoſita teterrimi carceris, qui non perciperentur ab homine ibi exiſtente, niſi ab atomis refrangerentur.

19 Ad confirmationem Suarez (quæ æquiuocatione laborat; nam non diſtinguit inter lumen ſecundarium, & primarium, ſicut diſtinguit Scotus) patet ex dictis, lumen ſecundarium genitum in vmbra per reflectionem luminis primarij factam in corpore opaco non polito, vt eſt, v.g. paries, quod ab aliquibus ſplendor, & ab alijs lumen accidentale dicitur; etſi ſit ſpecies intentionalis, ſed non lucis, quæ eſt in ſole, ſed luminis primarij cauſati à luce ſolis, & recepti in corpore non polito, ſicut eſt paries; & ſic non mirum, quod per ipſum non videamus lucem ſolis; ſed potius lumē primarium cauſatum a luce ſolis, & receptum in corpore non polito, ſcilicet, in pariete, cuius eſt ſpecies intentionalis impreſſa. Et dixi notanter *per reflectionem luminis primarij factam in corpore opaco non polito, vt eſt paries*; nam ſi corpus opacum, in quo reflectitur lumen primarium, cauſatum à luce ſolis, ſit diaphanum, & politum, vt eſt ſpeculum, & aqua; lumen genitum in vmbra ratione illius reflectionis, non erit ſecundarium, ſed ipſummet primariū, & immediatè genitum à luce, quæ eſt in ſole actione reflexa; & conſequenter per ipſum videri poterit ipſa lux, quæ eſt in ſole, vt experientia conſtat videri. Vnde hoc argumentum Suarez, ſi rectè perpēdatur, cōcludit manifeſtè oppoſitum illius, quod intendit.

20. Sed dubitabit aliquis, vtrū lumen inhæreat in corpore opaco, v.g. in pariete, an verò ſolùm extrinſecè illuminetur, ſcilicet, à lumine in hærente in corpore diaphano ſibi contiguo, v.g. aëre, vel aqua? Non deſunt; qui affirment, lumen non inhærere in corpore opaco; ſed ſolùm inhærere in corpore diaphano; & conſequēter corpora opaca illuminarī extrinſecè à lumine non in ipſis, ſed in corporibus diaphanis, ipſis contiguis inhærente. Et probant ex Ariſtotele, qui capit. 7. huius libri definit lumen,

men,

Digitized by Google

men, *eſſe actum perſpicui, vt perſpicuum eſt*: perſpicuum autem dicunt, appellari ſola corpora diaphana, non opaca.

21 Sed dicendum eſt, lumen eſſe inhæſiuè non ſolũ in corporibus diaphanis, vt ſunt aer, aqua, vitrum, &c. ſed etiam in corporibus opacis, vt ſunt corpora terreſtria; & conſequenter corpora opaca illuminari intrinſecè à lumine, inquam, in ipſis inhærente. Ratio eſt, quia corpora opaca differunt à diaphanis ratione denſitatis, tranſparentiæ oppoſitæ: ergo omne corpus habens denſitatem, tranſparentiæ oppoſitam, opacum eſt magis, vel minus iuxta maiorem, vel minorem denſitatem oppoſitam tranſparentiæ: ſed experientia conſtat, plura corpora denſa, denſitate oppoſita tranſparentiæ, & conſequcetei opaca, recipere in ſe, & per inhærentiam lumen, vt manifeſtum eſt in luna, & in alijs aſtris; ergo negari non poteſt, aliqua corpora opaca recipere formaliter, & per inhærentiam in ſe lumen; & conſequenter idem continget in alijs corporibus opacis, licet non ita profundè, eo quòd ſint magis denſa.

22 Ad auctoritatem Ariſtotelis in contrarium adductam reſpondemus, in definitione luminis *perſpicuũ* ſumi ab Ariſtotele pro quocumque corpore habente capacitatem recipiendi lumen, ſiue illud corpus ſit diaphanum, & capax lucis ſecundũ omnes ſuas partes, vt ſunt aer, aqua, vitrum, &c. ſiue ſolùm ſit capax lucis ſecundum vltimam, & extremam ſui partem: & quòd hoc ſit verum, patet, quia, vt quæſt. 1. huius diſputationis nu. 11. vidimus, *perſpicuum* diuiſit Ariſtoteles in perſpicuum indeterminatum, quale eſt corpus diaphanum, & in perſpicuum determinatum, quale eſt corpus opacum.

23 Solùm eſt aduertendum, lumen non inhærere in ſola ſuperficie corporis opaci; aliàs daretur ſuperficies luminis ſine profunditate, quod non minus repugnat, ac dari indiuiſibile ſeparatum; ſed dicimus, inhærere in aliqua parte extremæ perfunditatis, quantumuis corpus opacũ deſumpſit. Neque ex hoc ſequitur, debere inhærere in omnibus partibus profunditatis illius; nam etiamſi partes profunditatis ſint eiuſdem rationis; tamen denſitas earum impedit, ne lumen tranſeat ad omnes partes profunditatis, licet non impediat, quod tranſeat ad priores.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quo pacto requiratur lumen ad viſionem coloris?

1 NOtanter dicitur in titulo huius quæſtionis, *quo pacto requiratur lumen ad viſionem coloris.* Nam duo debent eſſe certa apud omnes: primum eſt, ad viſionem lucis, vel luminis primarij, exiſtentis in aliquo corpore opaco, præter lumen emiſſum ab ipſis (quod ex dictis quæſtione præcedenti eſt ſpecies intentionali ſipſorum; & conſequẽter quid ex parte obiecti ad ipſorum viſionem ſimpliciter requiſitum) non eſſe neceſſarium aliud lumen extraneum, neque ex parte obiecti, neque ex parte medij. Imò addo, quodcumque aliud lumẽ, extraneum impedire eorum viſionem, vt probat experientia, qua experimur, lunam, & ſtellas in præſentia ſolis non videri; & è contra in nocte eo perfectiùs videri ſtellas, vel quodcumque aliud corpus luminoſum, quo nox eſt obſcurior, & medium magis tenebroſum.

2 Secundum certum eſt, ad viſionem coloris aliquo modo neceſſarium eſſe lumen, quod adeò experientia notum eſt, vt non debeat in controuerſiam adduci: conſtat enim, ſine lumine primario, vel ſecundario nullum colorem videri, & eo perfectius videri colores, quo medium, vel colores ſunt magis illuminata, niſi fortaſſis lumen adeò ſit intẽſum, vt lædatur ſenſus. Sed quamuis hæc duo ſint, vel debeant eſſe certa; dubium tamen eſt apud auctores, quo pacto neceſſarium ſit lumen ad viſionem coloris, an ex parte medij, per quod fit viſio; an ex parte obiecti colorati, quod videtur; an ex parte vtriuſque?

3 Et loquendo de neceſsitate luminis ex parte medij, Murcia de la Llana diſp. 6. quæſt. 3. tenet partem negatiuam, ſcilicet, ad viſionem coloris non eſſe lumen neceſſarium ex parte medij; ſed ſufficere, quòd obiectum coloratum ſit illuminatum: eamdem ſentẽtiam amplexus eſt Suarez lib. 3. de anima, c. 16. & ipſãm defendit Hurtado diſp. 17. de anima, ſect. 2. fuitque Auicenę libro 6. natur. p. 3. c. 1. & præcipuum fundamentum ſunt experientiæ quædam; nam atra nocte, lõgiſsimo ſpatio (inquit Hurtado) conſpiciũtur ignes, & globi cæleſtes tetra caligine cõſpiciũtur, qui nõ poſſunt totum intermedium aerẽ illuſtrare: item addunt aliam, oculi feliũ, cicindelæ, & quercus putridæ in tenebris interlucẽt, & conſpiciuntur, vt Ariſtoteles in 7. cap. huius libri textu 72. annotauit, & nihilominus

nus non illuminant medium, per quod videntur, vt idem Ariſtoteles docuit libro de ſenſu, & ſenſibili his verbis, *lucida enim in tenebris nota ſunt fulgere; non tamen lumen facere.*

4 Sed vera, & Peripatetica ſententia docet oppoſitum, ſcilicet, ad viſionem coloris neceſſarium eſſe lumen ex parte medij; & conſequenter, exiſtēte medio omnino tenebroſo, non poſſe colorem emittere ſpeciem intentionalem ſui, neque in medium, neque in potentiam viſiuam, neque ab illa percipi: ita Scotus 2. ſentent. diſt. 3. quæſt. vnica, Diuus Thomas, & Caietanus hoc 2. libro capit. 7. ad textum 67. lect. 14. Conimbricenſes quæſtio. 4. art. 2. Patres Carmelitani diſput. 10. quæſt, 5. eſtque ſententia communis, & ferè ab omnibus recepta.

5 Probatur primò ex Ariſtotele, qui cap. 7. huius libri textu 67. definiens colorem, vt quid viſibile eſt, expreſsè affirmat ad hoc, vt color moueat perſpicuum, ſeu quod idē eſt, ad hoc, vt color emittat ſpeciem intētionalem ſui per medium capax lucis, eſſe ſimpliciter neceſſarium, quòd actu prædictum medium ſit perſpicuum, id eſt, quòd actu prædictum medium lucidum ſit; verba Ariſtotelis ſunt, *Omnis enim color motiuus eſt eius, quod eſt ſecundum actum perſpicuum, & hoc eſt ipſius natura, vnde nihil eſt viſibile ſine lumine, ſed omnino vnuſquiſque color per lumen viſibilis eſt*; vbi ex eo colligit, colorem non eſſe viſibilem, niſi per lumen, quia color natura ſua eſt motiuus perſpicui in actu, id eſt, per lumen actuale in eſſe talis conſtituti.

6 Secundò probari poteſt experientia, qua experimur aliqua colorata habentia ex ſe exiguum lumen, vt ſunt oculi felium, Cicindelæ, quercus putridæ, &c. huiuſmodi, nocte emittere ſpecies intentionales ſui luminis; non verò ſui coloris, cuius diſcriminis nulla alia poteſt aſsignari ratio, niſi quia ad hoc, vt corpora lucida emittant ſpecies intentionales ſui luminis, ſeu ſplendoris, etſi nō ſit neceſſarium, quòd medium ſit illuminatum; eſſe tamē ſimpliciter requiſitum, quòd medium ſit illuminatum ad hoc, vt colores emittant ſpecies intentionales ſui: & quia hæc ſupra dicta corpora colorata, licet in ſe ſplendida, & lucida ſint; non tamen potentia ſunt, cauſare lumen in medio, vt ex Ariſtotele num. 3. dicebamus; ideò in nocte non videntur eorum colores, neque emittunt ſpecies intentionales ſui, licet videatur, & emittat ſpeciē intentionalē ſui, lumen, ſeu ſplēdor, quo ſunt prædita.

7 Experientiæ autem, quæ ab Hurtado, & ab alijs adductæ ſunt ad oppoſitum probandū; bona venia, non ſunt ad rem: li-

Digitized by Google

licet enim optimè probent id, quod n. 1. vt certum ſtatuimus, videlicet, ad viſionē lucis, vel luminis exiſtētis in aliquo corpore opaco nō requiri aliquod aliud lumen extraneum; non tamen probant id, quod intendunt, nimirū ad viſionem coloris non requiri lumē ex parte medij; imò ex eo, quòd nocte videmus ſplendorem, ſeu lumen Cicindelarum (Hiſpanè lucernas) putridarum quercuum oculorū felium, &c. nō viſis eorum coloribus, probauimus num. præcedenti oppoſitum, ſcilicet, ad viſionem colorum lumen ex parte medij eſſe ſimpliciter neceſſarium.

8 Quod ſi quis, & magis ad rem, obijciat aliam experientiā, nimirum, qua experimur, aliqua corpora colorata exiſtentia in ſpatio illuminato videri non ſolū quoad lumē; ſed etiam quoad colores ab oculo exiſtēti in loco tenebroſo, reſpondetur, hoc cōtingere, quia lumen exiſtens in obiecto illuminato, non ſolùm natum eſt ſplendere, ſicut eſt lumen exiſtens in Cicindelis, in quercubus putridis, & in oculis feliū, ſed etiam eſt natum lumen generare, & conſequenter illuminare medium, licet imperfectè, & ideò dicatur medium tenebroſum, ſufficienter tamen ad hoc, vt corpus coloratum emittat per illud ſpecies intentionales ſuorum colorū.

9 Si verò loquamur de neceſſitate luminis ex parte obiecti, maior eſt controuerſia inter auctores; plures enim affirmant, lumen eſſe ſimpliciter neceſſarium ad viſionem coloris ex parte ipſius obiecti, ſeu coloris; non tamen omnes hāc neceſsitatem luminis ad vidēdum colorem ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti requiſitam, ex eodem capite venantur, ſeu deducunt.

10 Quidam dicunt, lumen neceſſariò requiri ad viſionē coloris ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti; quia color non eſt qualitas diſtincta ab ipſo lumine; ſed ipſum lumen receptum in corpore opaco eſſe colorē, diuerſitatemque colorū prouenire ex diuerſitate diſpoſitionum corporis opaci, in quo recipitur lumē: ita Plato, Auicena, Albertus magnus, Ceſalpinus locis citatis quæſt. 1. huius diſputationis. Sed de iſtorum ſententia non eſt curandum, cum ſupponat falſum fundamentum, iam à nobis loco citato refutatum.

11 Alij affirmant ad viſionē coloris, lumen eſſe requiſitum ex parte obiecti, ſeu coloris; quia lumen eſt forma tribuens coloribus, licet non entitatem, ſaltem viſibilitatem: ita Suar. 3. lib. de anima cap. 6. qui eandem ſententiam tribuit Diuo Thomæ 1. p. q. 67. art. 3. ad 3. vbi abſolutè docet, lumen colores actu viſibiles efficere; & in 1. diſt. 45. art. 2. ad 1. & diſt. 48.

48.art.2 ait, in obiecto viſus colorem ſe habere, vt materiale, & lucem, vt formale; & idem repetit in 2.diſt. 20.q.2. art.2.ad 2.& 1.contra gentes, cap.76.& 2.2.quæſt. 1.art.3. Imò videtur eſſe Ariſtotelis 3. libro de anima tex.18.vbi ait, lumen facere colores actu viſibiles, qui antea erant viſibiles in potentia: idem affirmant Conradus, & Medina 1.2.q.8. art.3. Petrus Martinez, & Palatius hoc in loco.

12 Tertiò alij ſuſtinent, lumē eſſe neceſſarium ad viſionem coloris ex parte obiecti, ſeu coloris, nō quia lumen tribuat entitatem, vel viſibilitatē coloribus; ſed quia ad producendam ſpeciem coloris, licet nō obiectiuè, ſaltem effectiuè debēt ſimul cōcurrere lumen, & color, vt duæ cauſæ partiales eſſentialiter ſubordinatæ; lumē, vt cauſa vniuerſalis, & color, vt cauſa particularis, quod declarāt exēplo intellectus agētis, qui quaſi vniuerſalis cauſa omniū ſpecierū intelligibiliū ſimul cū obiecto, ſeu phantaſmate concurrit efficienter, nō tamen obiectiuè, cum ſpecies intelligibiles non ſint ſpecies intentionales, ſeu rationes cognoſcendi ipſum intellectū agētem; ſed obiectum, ſeu phantaſma: & hoc, inquiunt, intendiſſe Ariſtotelem, cum comparauit intellectum agentem cū lumine 3. libro de anima, cum dixit, intellectum agentem facere res intelligibiles; ſicut lumē facit colores viſibiles: hūc modum philoſophandi amplectuntur Conimbricenſis hic c. 7.q.4.ar.2.& attribuunt Ægidio hoc loco, & Durando in 2.diſt.28.q.1.& etiam Vitellio lib.3. perſpectiuæ theoremate 1.

13 Quartò demum alij docēt, lumen eſſe neceſſarium ad viſionem coloris ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti, nō quia lumē tribuat entitatē, vel viſibilitatē colori, neq; etiā, vt efficiēter, eum adiuvet ad productionem ſuæ ſpeciei: ſed quia lumē eſt diſpoſitio neceſſaria in coloribus ad hoc, vt colores emittant ſpeciem intentionalē ſui, eo ferè modò, quo concurrit ex parte medij, ipſum diſponēdo, vt poſſit recipere ſpeciem coloris; ſolùmque eſſe diſcrimen in hoc, quòd ex parte medij eſt quaſi diſpoſitio materialis ſubiecti ad recipiendum; ex parte verò obiecti, ſeu coloris eſt diſpoſitio non ſubiecti, ſed agentis, vt poſſit virtus eius prodire in actum intentionalem producendi ſpeciē, ſine qua diſpoſitione nō poſſet.

14 E contrario verò etiam plures, & graues auctores defendunt, ad viſionem coloris, etſi requiratur lumen ex parte medij, nullatenus requiri ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti, quia neque requiritur, vt tribuat entitatem, vel viſibilitatem coloribus, neque etiam, vt eos effecti-

Digitized by Google

ctiuè adiuvet ad productionē ſuarum ſpecierum intentionalium; nec demum, vt diſpoſitio neceſſaria ad hoc, vt colores in medium actu perſpicuū emittant ſpecies ſuas intentionales: ita Auerroes hic cōmento 67. Ferrara quæſt. 13. Toletus q. 17. in probatione ſecundæ cōcluſionis; Rubius tractatu de ſenſu viſus quæſt. 6. Patres Carmelitanì diſput. 10. quæſt. 5. & videtur eſſe Diui Thomæ hìc lect. 14. & libro 3. lect. 10. & quæſt. vnica de anima art. 4. ad 4. cuius verba ad literam referunt, & ponderant Patres Carmelitani.

15 Præcipuum fundamentū huius ſententiæ eſt, quia color ex natura ſua intrinſeca habet virtutē mouēdi perſpicuum in actu, ſeu quod idē eſt, producēdi ſpeciē intētionalē ſui in medio actu illuminato: ergo ad viſionē coloris, etſi lumen requiratur ex parte medij, nullatenus erit requiſitū ex parte coloris, ſeu obiecti: conſequētia legitima eſt; antecedens eſt Ariſt. quia vt q. 1. huius diſputationis vidimus, non ſolū definiuit, colorem eſſe motiuum perſpicui in actu; ſed etiam ſubiecit, per hanc definitionem naturā intrinſecam coloris, in quantum viſibilis, ſeu obiectum viſus eſt, optimè declarari.

16 Sed in hac opinionū varietate dico primò; ad viſionē coloris nō ſolùm requiritur lumen ex parte medij (vt ſupra ex Ariſtotele, & cum communi ſententia oſtenſum eſt) ſed etiam eſt ſimpliciter neceſſarium ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti: in hoc aſſerto conueniunt omnes auctores, quos pro prima ſententia adduximus, licet in aſsignanda cauſa, cur ad viſionem coloris lumen ſimpliciter ex parte coloris, ſeu obiecti requiratur; valdè, vt vidimus, diſsideant.

17 Probari poteſt hoc aſſertū; primò ex Ariſtotele; nam in 3. de anima textu 18. ait, lumē facere colores actu viſibiles, qui ſolum erant in potentia: ergo ſupponit Ariſtoteles, ad actualē viſionem coloris ex parte ipſius coloris neceſſarium eſſe lumen: item definiens verum colorem libro de ſenſu, & ſenſibili cap. 3. dicit, eſſe extremitatem perſpicui determinati, vbi colorem definit, in quantū eſt obiectum viſus, vt quæſt. 1. huius diſputationis docuimus, & pronūtiat, eſſe illum tantùm in extremitate corporis perſpicui, ſeu illuminati: ergo ad viſionem coloris requirit in colore illuminationē, ſeu lumen.

18 Secūdò probari poteſt experiētijs; experimur enim exiſtente eadē illuminatione medij, colores corporis illuminati videri; ſecus verò, ſi corpus coloratum lumine nō illuſtretur, etiāſi ſit propinquius potentiæ viſiuæ: itē eo perfectiùs videri colores corporis illuminati, quo perfectiori lumine

illuſtrantur: ergo ſignũ euidens eſt, quòd ad viſionem coloris non ſolùm requiratur lumẽ ex parte medij; ſed etiam, & præcipuè ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti: conſequentia legitima eſt; antecedẽs patet in eo, qui exiſtens in loco tenebroſo alicuius ſpelũcæ, ex illo percipit colorem corporis illuminati, exiſtentis extra oſtium ſpelũcæ; ſecus verò colorẽ corporis non illuminati, exiſtentis iuxta ipſum: & ſimiliter eo perfectiùs percipit colorem corporis illuminati, exiſtentis extra oſtium ſpelũcæ, quo perfectiori lumine illuſtratur. Rationẽ à priori huius noſtri aſſerti infra in vltimo aſſerto proponemus.

19 Dico ſecundò; neceſsitas luminis ad viſionem coloris ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti requiſiti non prouenit ex eo, quod lumen ſit ratio formalis, à qua color habet, quòd ſit viſibilis: hoc aſſertum eſt contra Suarez, & alios auctores citatos pro ſecũdo modo philoſophãdi ex quatuor adductis pro prima ſẽtẽtia; & ni fallor, hoc efficaciter cõuincit fundamẽtum ſecundæ ſententiæ. Nam ſi color ex natura ſua intrinſeca, ex Ariſtotelis mente, habet, quòd ſit motiuus perſpicui in actu, ſeu quod idem eſt, habet virtutem producendi ſpeciem intentionalem ſui in medio illuminato; profectò ex intrinſeca natura ſua, & non à lumine, habebit etiam, quòd ſit viſibile. Nam hæc tria, color eſt natura ſua motiuus perſpicui in actu; color natura ſua habet virtutem producendi ſpeciem intentionalem ſui in medio illuminato; color ex natura ſua eſt viſibilis, ſeu obiectum viſus, ſynonyma ſunt, & eandem omninò rem ſignificantia. Nec video, quo pacto ſalvari poſſit, quòd color ſit ſenſibile propriũ viſus, ſi rationem formalẽ, ob quam eſt viſibilis, ſeu attingibilis per viſum, non haberet ex ſe, ſed illam emendicaret ab aliquo extrinſeco, ſcilicet, à lumine.

20 Id autem, quod ex Ariſtotele adductũ eſt in contrarium, nimirum, *lumen facere colores actu viſibiles, qui antea erant viſibiles in potentia*, etſi optimè conuincat, ad viſionem actualem coloris neceſſariò requiri lumẽ ex parte coloris, ſeu obiecti; non tamen ſuadet, lumen eſſe rationẽ formalem, à qua color habet, quòd ſit viſibilis; ſed hanc neceſſitatem venandam eſſe ex alio capite, quod definitioni coloris traditæ ab Ariſtotele, ſcilicet, colorẽ eſſe natura ſua motiuum perſpicui in actu, nõ repugnet; ſicut oſtenſum eſt, repugnare, aſſerere, quòd color natura ſua non ſit viſibilis; ſed potiùs ei conueniat, quòd ſit viſibilis à lumine, tanquam à forma; quod caput nos in vltimo aſſerto aſsignabimus.

21 Dico tertiò; neceſsitas luminis ad viſionem coloris, ex

parte

Digitized by Google

parte ipſius coloris, ſeu obiecti, requiſiti, non prouenit ex eo, quòd ad productionem ſpeciei coloris neceſſarium ſit, quòd tam color, quàm lumen, licet non obiectiuè, ſaltem effectiuè ſimul cōcurrāt, vt duæ cauſæ partiales eſſentialiter ſubordinatæ, lumē, vt cauſa vniuerſalis, & color, vt cauſa particularis. Hoc aſſertum eſt cōtra Conimbricēſes, & alios auctores citatos pro tertio modo philoſophandi ex quatuor adductis pro prima ſententia.

22 Ratio efficax eſt, quia ſpecies impreſſæ ſenſuum externorum ſolùm effectiuè proueniunt ab obiecto, cuius ſunt rationes cognoſcendi, ſeu quod virtualiter repræſentant, vt ex profeſſo docuimus diſputat. 5. quæſt. 5. ſed ſpecies impreſſæ coloris non ſunt rationes cognoſcendi lumen, neque ipſum, vt obiectum virtualiter repræſentant (ipſis aduerſarijs conſentientibus) ergo nequeunt à lumine vllo modo efficienter prouenire. Vndè diſtinctio illa, quòd proueniant ſpecies coloris à lumine, non tanquam ab obiecto, ſed tanquam à principio effectiuo, ficta ab aduerſarijs ad fugiendam difficultatem, innanis eſt. Nam cum ſpecies intentionales externorum ſenſuum ex intrinſeca natura ſua petant, virtualiter repræſentare tanquam obiectum, illud à quo effectiuè proueniunt, implicationem inuolvet, quòd effectiuè proueniant ab aliquo obiecto, & quod illud tāquam obiectum virtualiter non repræſentent. Neque in modo productionis aſsimilari poſſunt ſpecies intentionales ſenſibiles, & intelligibiles, cum hæc ſint ſpirituales, & nequeant ab obiecto materiali, quod virtualiter repræſentant, prouenire. Neque etiam Ariſtoteles loco citato, quantum ad hoc, cōparauit lumen cum intellectu agente, ſed ſolùm quantum ad effectum, quem præſtant, nimirum, quòd ſicut lumen per ſuam illuminationem efficit, vt colores, qui antea erant in tenebris, & conſequenter actu non emittebant ſpeciem intētionalem ſui, illam emittant, & videantur; ita intellectus agens per ſuam operationem, quæ eſt producere ſpecies intelligibiles in intellectu poſsibili, efficit, vt obiecta, quæ antea erant in phantaſia, & actu non videbantur, quòd actu ab intellectu percipiantur.

23 Dico vltimò; neceſsitas luminis ad viſionem coloris ex parte ipſius coloris, ſeu obiecti, requiſiti prouenit, (vt vltimus modus philoſophandi ex quatuor relatis in prima ſententia ſuſtinebat) ex eo, quòd lumen in obiecto eſt conditio ſimpliciter requiſita, vt color emittat ſpeciem intētionalem ſui. Ducor ad hoc aſſerendum, quia, vt in primo aſſerto oſtenſum eſt, ad viſionem coloris neceſſa-

rium eſt lumen ex parte ipſius coloris,ſeu obiecti, & in hoc conſpirant omnes auctores pro prima ſententia citati; & licet Scotus de hac re non loquatur; tamen Philippus Faber theoremate 66. in fine ſecundi capitis docet,Scotum multùm fauere huic ſententiæ: imò Rubius,quamuis teneat oppoſitam ſententiam, affirmat,hãc ſententiam in hoc ſenſu,in quo à nobis defenditur, eſſe maximè probabilem; ſed non eſt neceſſarium ex eo quòd lumẽ ſit ratio formalis, à qua color habet, quod ſit viſibilis, vt in ſecundo aſſerto oſtenſum eſt: neque ex eo, quòd ad productionem ſpeciei impreſſæ coloris neceſſarius ſit concurſus effectiuus luminis,vt probauimus in tertio aſſerto: ergo à ſufficienti partium enumeratione erit neceſſarium,vt conditio requiſita in colore,ſeu obiecto ad hoc, vt emittere valeat ſpeciem intẽtionalem ſui.

24 Confirmatur, & declaratur ampliùs, quia ponere, vt nos ponimus, lumen eſſe conditionem requiſitam ex parte coloris ad hoc,vt color emittat ſpeciem intentionalem ſui, & conſequenter actualiter percipiatur à viſu,non contrariatur doctrinæ Ariſtotelis adductæ pro fundamento oppoſitæ ſententiæ,ſcilicet,colorem ex natura ſua eſſe motiuum perſpicui in actu,ſeu quod idem eſt, quòd color ex natura ſua ſit viſibilis; & inſuper eſt valdè rationi conſentaneum; nam ſi illuminatio medij eſt diſpoſitio neceſſaria ad hoc,vt color intentionaliter agat in ipſum,ſiue quod idem eſt, ad hoc, vt color producat in medio ſpeciem intentionalem ſui,quanto magis erit neceſſaria hæc diſpoſitio illuminationis ad agendum intentionaliter in ipſo colore,ſeu obiecto,quod eſt efficiens,quod intentionaliter agit?

25 Neque per hoc tollimus à coloribus eſſe ex natura ſua viſibiles, ſeu motiuos perſpicui (quæ eſt ratio formalis vnica, & adæquata viſus,& in qua colores, & lumen vniuocè conueniunt) in actu primo completè, & perfectè; quia benè ſtat, quòd virtus actiua ex ſe ſufficiens ad agendum poſtulet in ſubiecto, in quo eſt, diſpoſitionẽ aliquam,vt quid neceſſarium ad prorumpendum in actum ſecundum, & actualem operationem,vt exemplificari poteſt in potentijs ipſis ſenſitiuis,quæ,etiamſi ex natura ſua (ſuppoſita receptione ſpeciei impreſſæ) potentes ſint in actu primo producere ſenſationem; nihilominus,vt prorumpant in actum ſecundum, neceſſaria eſt,vt diſpoſitio, organizatio in ſubiecto ipſius potentiæ ſenſitiuæ. Imò accõmodatiùs exemplum adduci poteſt in ipſis obiectis ſenſibilibus proprijs, vt ſunt ipſi colores

reſ-

Digitized by Google

reſpectu viſus, qui etiamſi ex ſe, & natura ſua ſint potentes mouere perſpicuũ in actu, ſeu quod idem eſt, emittere ſpeciẽ intentionalem ſui in potẽtiam viſiuam actu illuminatam; nihilominus naturaliter hoc actualiter non repræſentant, niſi ſint diſpoſiti, & modificati per ſenſibile commune, puta per magnitudinẽ, ſeu extenſionem quantitatiuã, vt ſupra dicebamus. Poterãt igitur modo ſimili, in prædicta motione pẽdere ab illuminatione, ſeu lumine.

26 Ex dictis patet, quid reſpõdendum ſit ad illam difficultatem, quam attigit Suarez libro 3. de anima, cap. 16. *vtrùm, ſcilicet, obiectum formale viſus ſit tãtùm vnicum?* Reſpõdetur enim, vnicum tantum eſſe, non ſecus, ac potentia viſiua vnica tantùm eſt: & omiſſa ratione, quã ad hoc probandũ adducit Suarez (ſupponit enim falſum fundamentum, & à nobis ſecundo aſſerto refutatũ, ſcilicet, lumen eſſe rationem formalem, à qua colores habent, quòd ſint viſibiles; & conſequenter dicit, ſolùm lumen eſſe obiectum formale viſus; colores autem ſolũ ratione luminis) vera ratio eſt, quia etiamſi lumen, & colores, quæ ſunt obiecta per ſe, & propria viſus, ſint in eſſe rei qualitates diſtinctæ; tamẽ in eſſe viſibilis, ſeu tangibilis per viſum, ſunt eiuſdẽ rationis, cũ tam lumen, quàm colores ex intrinſecis naturis ſuis poſſint mouere intentionaliter perſpicuũ, quæ eſt definitio obiecti formalis viſus, tradita ab Ariſtotele; & ſolùm eſt inter ipſa diſcrimen hoc, quòd colores, ad hoc, vt actualiter prorumpant in motionem intentionalem perſpicui, requirunt, vt cõditionem, ſeu diſpoſitionẽ, quòd perſpicuum ſit actu illuminatum; ſecus verò lumen, cum potiùs lumen actu perſpicuũ illuminet.

QVÆSTIO IV.

Quomodo fiat viſio?

1 Sententia Platonis fuit, viſionem fieri radiorum ex oculis emiſsione; quem modũ philoſophandi ſequuti ſunt etiam Stoici, & quàm plures alij, quos referunt Plutarchus lib. 4. de placitis Philoſophorum, & Suarez 3. libro de anima cap. 17. non tamen hæc ſententia Platonis ab omnibus eodem modo explicatur.

2 Quidã dicunt, oculos emittere ſpiritum lucidum, & per illũ alterare medium; inde verò vſque ad obiectũ viſibile pertingere quendam ſplendorem, cõmiſcerique ſpeciebus viſibilibus, atque ita perfici viſionẽ abſque vlla reflectione ad oculum. Sed hunc modum philoſophandi *non* eſſe iuxta mẽtem Platonis, annotauit Galenus 7. de *placitis*; non enim negauit Plato ab obiecto deuenire ſpecies vſque ad potẽtiam viſiuã.

3 Propterea alij mentem Platonis ſic explicant; dicunt enim, viſum emittere lucem vſque ad obiectũ viſibile, quò cum appulerit, regredi ſimul cum ſpecie vſque ad oculum, ibique peragi viſionẽ; ita Galenus loco citato, & Plutarchus lib. 4. *de placitis Philoſophorum*, citato capite 3. Gregorius Nyſſenus 4. *de viribus animæ*; Nemeſius *de natura hominis*, capite 7. addunt aliqui, lucem emiſſam ab oculo, ſpiritibuſque delatam non peruenire ad viſibile; ſed ad certam vſque diſtantiam ſpatij, ad quam etiã ſpecies viſibiles occurrant, quæ ſpiritibus viſorijs commiſtę reuertuntur ad oculum, vt ibi viſio perficiatur.

4 Denium Valleſius libro 2. controuerſiarum medicarum cap. 18. aliter exponit; nam dicit, primum omnium recipi in oculo ſpecies intentionales; deindè verò egredi ab oculo ſpiritus viſorios per aërem vſque ad certam diſtantiam, in illiſque eſſe facultatem formãdi viſionem; & ideò egreſſos ab oculo, cum ſufficienter approximantur obiecto, formare viſionem in aëre: & opinionẽ Platonis ſic explicatã amplectitur prædictus auctor.

5 Econtrariò verò omnes Peripatetici, tam veteres, quàm recentiores firmiter affirmant, viſionem non fieri radiorum ex oculis emiſsione; ſed potiùs per receptionẽ in potentia viſiua ſpeciei intẽtionalis obiecti, quæ ſpecies intentionalis ſimul cum potentia viſiua, tanquam duæ cauſæ partiales eſſentialiter ſubordinatæ producunt viſionem: & quia hæc actio, per quam producitur viſio, eſt actio immanens, eius terminũ, ſcilicet, viſionem ſubiectari, & recipi in ipſa potẽtia viſiva, à qua producitur. Et inſuper quia viſio eſt quædam qualitas intentionalis formaliter, & expreſsè repræſentans obiectum, à quo media ſpecie impreſſa cauſatur; ideò ab ipſa, tãquã à forma potentiam viſiuã, in qua inhæret, & eſſe, & denominari formaliter videntem: ita expreſsè Ariſtoteles docet, & probat libro de ſenſu, & ſenſibili cap. 2.

6 Probari poteſt; primò, quia tam ad ſenſationes, quã ad intellectiones neceſſariũ eſt, ponere in potẽtijs ſpecies impreſſas obiectorũ, vt ex profeſſo demõſtrauimus ſupra diſp. 5. q. 1. ſed poſita ſpecie impreſſa obiecti viſibilis in potentia viſiua, prędicta potẽtia conſtituitur in actu primo potens producere viſionẽ: ergo omnia alia, quæ à Platonicis, vel Stoicis requirũtur, figmenta, & ſuperflua ſunt. Neque obſtat, quòd tã mediũ, quã obiectũ debeãt eſſe illuminata ad hoc, vt obiectũ emittat ſpeciem intentionalẽ ſui; nam hæc illuminatio aliũdè prouenire debet, non ab oculo; aliàs in tenebris oculus videre poſſet colores, quod eſt falſum.

7 Se-

7 Secundò probari poteſt inquirendo à Platonicis, qui dicunt, viſionē fieri radiorum ex oculis emiſsione, an viſio fiat extra oculum, vt aſſerebāt primi expoſitores, & etiā Valles, vel intra oculum per reflectionem prædictorum radiorū ad oculum, vt reliqui expoſitores, & magis ad mentem Platonis ſuſtinebant; ſed neutro modo: ergo nullo modo fieri poteſt viſio, radiorum ex oculis emiſsione. Probatur minor quoad vtramque partem.

8 Et in primis, non poſſe fieri viſionem extra oculum patet; quia ſi extra oculum fieret, in aëre fieret, quod videtur abſurdum; tum quia productio viſionis non eſſet actio immanens, ſed tranſiens: tum etiam quia non eſſet operatio vitalis; & demum quia non eſſet oculus, ſed aër, qui videns denominaretur.

9 Deindè neque etiam fieri poſſe in oculo per reflectionem prædictorū radiorum, ex eo cōuincitur, quòd talis emiſsio, & reflectio radiorum eſſet omninò ſuperflua ad viſionem; nam nō eſſet neceſſaria ex parte potentiæ, cum per illam potentia non roboraretur; ſed potiùs exhauriretur; neque ex parte obiecti, quia obiectum ex ſe, & ſecluſa tali emiſsione, & reflectione radiorum, vim habet emittendi ſpecies intētionales ſui, tam in medio illuminato, quàm in potētia viſiua: quibus adde, eſſe imperceptibile, quòd oculus tanta vi emittat hos radios viſuales, vt in inſtāti, quo fit viſio aſtrorum cæleſtium, prædicti radij pertingāt ad cælum, & inde per reflectionem ad oculum reuertantur.

10 Quod ſi cum Platonicis num. 3. citatis ad hoc vltimum reſpondeas, prædictos radios non peruenire vſque ad obiectū viſibile; ſed vſque ad certā diſtantiam ſpatij, ad quam etiā ſpecies viſibiles occurrant, indeque commiſtos cum ſpeciebus reuerti, ſeu reflecti ad oculum; falſum, & frigidum eſt; falſum, quia in illa ſententia nihil cogit reflectionē radiorū, cum nec ſit obſtaculum vlteriùs procedendi, neque actio libera ſit, vt poſsit per ſe regredi. Frigidum, quia ſi radij non perueniunt vſque ad obiectū viſibile; ſed ad certam, & determinatam diſtantiam: ergo in tota reliqua diſtātia, quæ poterit eſſe maior, fiet viſio abſq; radiorum emiſsione: ergo etiā fieri poſſet abſq; vlla emiſsione radiorum in reliqua parte; quia non eſt maior ratio ad vnum, quàm ad aliud.

11 Tertiò probari poteſt iterum, inquirendo à Platonicis, an iſti radij, qui emittuntur ex oculis in viſione alicuius obiecti, ſint ſubſtantia, an accidens? Nam cum neutrum eſſe poſsint; manifeſtè ſequitur, confictum eſſe, viſionem fieri radiorum ex oculis emiſsione.

Digitized by Google

ne. Aſſumptum probo, quoad vtramque partem.

12 Et in primis non ſunt ſubſtantia, nam ſi eſſent ſubſtātia, eſſent ſubſtantia corporea; ſicut & eſt ipſe oculus, à quo producuntur; ſubſtantia autem corporea eſſe nequeunt multis de cauſis; primò, quia viſio fit in inſtanti; ſubſtantia autē corporea non poteſt moueri in inſtanti ab oculo vſque ad obiectum, præſertim cum ſubſtātia corporea moueatur localiter, & plura obiecta ſint remotiſſima, vt ſunt aſtra, quæ videntur in cælo. Secūdò quia prædicta ſubſtantia corporea deberet, oculū, aërem, imò & ipſos cælos penetrare ad hoc, vt aſtrorū cæleſtium fieret viſio. Tertiò, quia flante vēto maximo, prædicta ſubſtantia corporea, huc, & illuc deferretur, & ſic ad obiectum non pertingeret, & cōſequenter nō fieret viſio; quod eſt contra experientiam.

13 Neque etiam ſunt accidens; primò, quia accidentia non migrant à ſubiecto in ſubiectum, ſicuti Platonici affirmant, radios iſtos migrare; nam dicunt moueri ex vno loco in alium. Secundò, quia ſi eſſent accidens, maximè aliquod lumen; conſtat autem, lumen eſſe nō poſſe, ex eo quòd omne lumen videtur in tenebris, cùm pertingit corpus opacum; & manifeſtum eſt, radios iſtos nō videri in tenebris, etiamſi pertingant corpus opacum.

14 Sed contra prædicta, aliqua nobis Platonici obijciunt; primò obijciunt Ariſtotelem, qui 3. Meteorologicorum cap. 3. 4. & 6. & in problematibus ſect. 31. problemate 36. ſententia Platonis, quæ docet, viſionem fieri radiorum ex oculis miſsione, ad diſſolvendas quaſdam dubitationes vtitur. Reſpondetur, Ariſtotelem vſum fuiſſe prædictis locis ſententia Platonis, non quia putaret eſſe veram; ſed quia nondum propriam, ac veram ſententiam comprobauerat; & ad intētum nihil referebat, vti Platonis ſententia, quę pro tunc communis erat: ita annotauerunt ibi Alexāder, & hoc loco Philoponus, & Conimbricenſes cap. 7. quæſt. 5. art. 2.

15. Secundò obijciunt eundem Ariſtotelem, qui libro 5. de generatione animalium, cap. 1. ait, oculos prominentes non poſſe, tam procul cernere, quàm qui in cavo ſunt; & reddit pro ratione, quia horū motus in vaſtum non diſsipatur, ſed recta via meat: vbi videtur, emiſsionem aliquā oculis tribuere. Reſpondetur, Ariſtot. hoc loco ſolū contendere, homines habētes oculos recōditos, longiùs, & acutius videre, quā homines habentes oculos eminētes; & ratio, quam aſsignat, optima eſt, nimirum, quia motus in vaſtum nō diſsipatur; ſed recto tramite procedit; motus, inquam, qui fit ab obiecto

in

in potentiam per emiſsionem ſpeciei; non verò motus, qui fiat à potentia in obiectum, vt contendunt aduerſarij.

16 Tertio obijciunt; idẽ obiectũ à lõge viſum apparet minoris quantitatis, quàm apparet viſum à propinquo: ergo non percipitur per ſpeciem, ſed per radium à potẽtia emiſſum, qui in maiori diſtantia minor eſt. Conſequentiam probant, quia ſpecies eodẽ modo ſunt rationes repræſentandi obiectum, quãdo potẽtia eſt in loco proximo obiecto, ac quando eſt in loco remoto. Reſpondetur negando conſequentiã, & ad eius probationẽ dicimus, quòd ſicut ipſi dicũt, radium emiſſum ab oculo in maiori diſtantia eſſe minorem, & ideò idẽ obiectum à longè viſum apparere minoris quantitatis, quã apparet viſum è propinquo: ita nos aſſerimus, ſpeciem intẽtionalem, quæ emittitur ab obiecto, & eſt virtus repræſentatiua illius, in maiori diſtantia eſſe minoris virtutis, & perfectionis; & ideò idem obiectum à longè viſum apparere minoris quantitatis, quã apparet viſum è propinquo: & ratio à priori eſt, quòd obiectũ in emiſsione ſpeciei intẽtionalis ſui eſt agẽs naturale, & omne agẽs naturale potiùs, & perfectiùs agit in propinquũ, quàm in remotum.

17 Quartò obijciunt; potentia viſiua non ſolùm percipit obiectum; ſed etiam diſtantiam eius ab alio; ſed diſtãtia nõ poteſt percipi per ſpeciem ſui: ergo percipitur ex eo, quòd potentia viſiua emittit radios, qui totum medium vſque ad obiecta percurrentes, & inde ad potentiam redeuntes, ſeu modò quaſi metiuntur diſtantiam, & ſic eam potentiæ manifeſtant. Reſpondetur negando minorem; nam cum diſtãtia, ſaltem pro materiali includat extenſionem quãtitatiuam, ſeu magnitudinem; erit, vt ſic, inter ſenſibilia per ſe communia enumerãda, vt de facto illam enumerauit Ariſtoteles cap. 6. huius libri; & conſequenter potens emittere in potentiam viſiuam propriam ſpeciem intentionalem ſui; imò diſtinctã ab ſpecie ſenſibilis proprij, vt ex profeſſo cum Scoto, & alijs, docuimus ſupra, diſputat. 6. quæſt. 3.

18 Quintò, & vltimò obijciunt; oculi plura, vel multò tempore intuendo laſſantur: itẽ faſcinantes res, quas aſpiciunt, reali alteratione, & qualitate afficiũt, per quam lædere, imò & occidere ſolent: ergo viſio fit per extramiſsionem ſpirituum vitalium, ſeu radiorum viſualium à potentia. Reſpondetur ad primum, oculos laſſari, plura, vel multò tempore intuendo, non quia emittant radios, ſeu ſpiritus vitales; ſed quia temperamentum ipſorum laſſatur ex nimia, & continua attentione. Ad ſecundum dicimus

mus

Digitized by Google

mus, nociuam qualitatē egredientem ab oculis faſcinātium non eſſe viſionem faſcinātium, & conſequenter ex hac experientia inepte colligi viſionem fieri per extramiſsionem radiorum.

QVÆSTIO V.

Quid ſit organum potentiæ viſiuæ?

1 PRO reſolutione huius quæſtionis notandum eſt ex Galeno lib. 10. *de vſu partium*, cap. 1. & libro 8. cap. 6. & ex Veſalio libro 2. *de compoſitione corporis humani*, Toleto hic quæſt. 16. aliiſque quàm plurimis, ſtructuram oculi, præter varios muſculos, quibus in hāc, vel illam partem mouentur, conſtare ex tribus humoribus, & quinque tunicis, vt ex anatome eſt manifeſtum: nam in centro oculi, qui quaſi globi figuram habet, eſt quidam humor, qui chryſtallinus, vel gratialis dicitur, eo quòd referat ſimilitudinē chryſtalli, vel grandinis. & hic humor eſt durus, licet cedat compreſſus, vt cedere ſolet cera, non multùm dura. Hunc humorem circundat tenuiſsima quædam tunica, quæ ſpecularis, & aranea dicitur, eo quòd ſpeculis valdè eſt ſimilis in nitore, & ſplendore, & telas aranearum in ſubtilitate imitatur. Deindè huic humor cryſtallinus, hac tunica coopertus habet ſibi adiūctum alium humorem, qui dicitur vitreus, eo quòd ſplendeat, quaſi vitrum liquefactum, & in hoc humore humor cryſtallinus taliter emerſus eſt, vt media eius pars ſuperemineat, non ſecus, ac ſi globus ligneus in aquā mitteretur. Humorem vitreum circundat tunica retinea nuncupata, eo quòd venulis, & quaſi arterijs intexta modum quēdam retis habet, & ad eam partem deſinit, qua humor cryſtallinus eminere incipit ſuper vitreum. Deinde eſt alia tertia tunica, quæ vtrumque humorem vitreum, & cryſtallinum circundat, quæ dicitur vuea, eo quòd eſt ſimilis folliculo vuæ, à quo pendulum detractum eſt, propter foramē, quod in parte eminentiori oculi habet. Hæc verò tunica non eſt omninò diaphana; ſed affecta aliquo colore, & propterea nō debuit omni ex parte contegere pupillam; ſed ex anteriori parte patentem relinquere, ne viſio impediatur; neque eodem colore afficitur tunica vuea, in quibuſcumque oculis, ſed diuerſo, ex cuius diuerſitate diuerſis nominibus vocātur oculi diuerſorum, nēpè nigri, cæſij, virides, &c. vt docet Ariſtoteles libro 1. de hiſtoria animalium capite 10. & propterea appellari ſolet hæc tunica vuea nigrum oculi. Hanc tertiam tunicā ſubſequitur tertius quoque humor, qui aqueus,

Digitized by Google

vel albugineus dicitur, ſimilis albo oui, à quo humore aqueo humectatur pupilla, ne exiccata ab intrinſeco, deſtruatur temperamentum oculi, & potentia ipſa pereat. Hunc humorem ſequitur quarta tunica, quam corneam vocant, quia valdè ſimilis eſt laminæ corneæ; ſed ſplendida, & diaphana, totum ambiens oculũ. Tandem ſequitur quinta tunica alba, quodam prædita foramine, ſicut vuea, per quod pupilla conſpiciatur, & ad eam tranſmitti poſsint ſpecies: & hæc vltima tunica fortis eſt, & vocatur adhærens; quia integrum oculum, quaſi firmat, & communiter dicitur album oculi.

2 Ad eaudem oculorum ſtructuram (quamuis extrinſeca quadam ratione) concurrunt duo nerui, originem trahentes à cerebro, & ad oculos vſque protracti, vnus quidem per partem dexteram, & alius per ſiniſtram, qui poſtquam aliquantulum diſtant à cerebro, inter ſe coniunguntur; & rurſus antequam ad oculos pertingant, ſeparantur, qui vocãtur nerui optici, ſeu viſorij; quia & per eos tendunt ſpecies obiectorum ab externis ſenſibus vſque ad internũ ſenſum, qui dicitur communis; & ſimiliter ſpiritus animales deriuantur à cerebro vſque ad oculos, vt his medijs poſsint ipſi oculi ſuam viſionem elicere; ambiantur que duplici tunica, intimiori quidem tenui; exteriori verò dura; ex quibus ortũ habent duæ aliæ tunicæ, vuea, & cornea. Hæc eſt admirabilis ſtructura oculorum. Quod ergo nunc inquirit quæſtio eſt, in quanam parte ex his omnibus reſideat potentia viſiua, tanquam in ſubiecto, vel organo, in quo viſio fiat?

3 Prima ſententia affirmat, ſubiectum, ſeu organum potentiæ viſiuæ ſolum eſſe tunicam araneam, circundantem humorem cryſtallinum; ita Toletus loco citato; & fundamentum eius eſt, quia læſa hac tunica impeditur viſio. Tamẽ hæc ratio nihil probat, quia etiam læſo quocumque humore, tunica, vel neruo optico, impeditur etiam viſio, & tamen ex ſententia ipſius Toleti potentia viſiua non reſidet in aliquo humore, vel aliqua alia tunica, neque in neruis opticis.

4 Secunda ſententia docet, organum, ſeu ſubiectum potentiæ viſiuæ non eſſe aliquem humorem, vel tunicam ex his, quæ ſunt in oculo; ſed potentiam viſiuam reſidere tanquã in organo, ſeu ſubiecto in cõiunctione illa, qua nerui optici inter ſe coniunguntur; ita Auicena 6. naturalium quæſtionum, part. 3. cap. 8. ſed neque hæc ſententia placet; primò, quia nerui illi poſt prædictam coniunctionem, iterum per ſuas

per ſuas vias ſegregantur, vt quilibet tendat ad ſuum oculum: imò per experientiam artis anatomicæ conſtat, aliquãdo hos neruos non coniungi, ſed à cerebro vſque ad oculos diuiſos ſemper procedere, vt teſtatur ſe vidiſſe Veſalius libr. 4. *de fabrica corporis humani* cap. 4. ſecundò, quia experientia conſtat, vno oculo clauſo, alterum acutius videre, ac antea ille ſolus videbat, cuius rationem Ariſtoteles ſectione 31. problematum, quæſt. 4. aſsignauit dicens, rationem huius eſſe, quia virtus animæ applicanda per duplicem potentiã, applicatur per vnam, & ideo perfectiorem habet effectum; quæ omnia ſtare non poſſent, ſi viſio nõ fieret in aliqua parte oculi, ſed in coniunctione neruorum opticorum.

5 Dicendum igitur eſt cum communi, & recepta ſententia, potentiam viſiuam reſidere tanquam in organo, ſeu ſubiecto in pupilla, quæ integratur ex humore cryſtallino, & tunica aranea; ſic docuit Ariſtoteles 1. libro de *hiſtoria animalium*, cap. 9. & 5. libro de *generatione animalium* capit. 1. & Galenus libr. 8. de *vſu partium*, capit. 6. congruentiæ ad hoc probandum ſunt, quia in pupilla aranea, tunica circundata maximè, & præcipuè concurrunt conditiones ad organum potentiæ viſiuæ requiſitæ, cum ſit pars oculi magis ſplendida, perſpicua, & diaphana, habeatque à tergo opacum aliũ humorem, eo modo, quo à tergo adiunctum eſt ſpeculo plũbum, ſeu ſtanneum bitumen, vt poſsit in eo fieri ſpecierum reflectio. Eſt etiam in centro oculi, & conſequenter in medio aliarum partium collocata, ita vt omnes aliæ partes videantur à natura ordinatæ ad illam ornandam, & tuendam; & conſequenter eſſe partem oculi principaliorem, quæ eſt in qua reſidere debet potentia viſiua.

6 Ex quibus duo colligo; primum, humorem iſtum cryſtallinum, aranea tunica circumdatum, re vera viuere, & informari anima: aliàs non poſſet eſſe organum potentiæ viſiuæ, neque eſt eadem ratio de ipſo, & de ſanguine, & alijs tribus humoribus; nam ſanguis, & alij tres humores fluidi, & conſiſtentes ſunt, & humor iſte, qui dicitur pupilla, non eſt fluidus, ſed conſiſtens. Secundum, in animalibus habentibus duos oculos, eſſe duas potentias viſiuas numero diſtinctas. Vndè cum communiter dici ſolet, in quolibet animali eſſe tantum quinque ſenſus exteriores, non eſt ſermo de diſtinctione numerica, ſed de ſpecifica.

7 Quod ſi aliquis inquirat, quæ ſit ratio, propter quam etiãſi in homine ſint duæ potentiæ viſiuæ, & conſequenter

duæ

Digitized by Google

duæ viſiones, non appareant obiecta duplicia? Reſpondetur, rationem eſſe, quia obiecta videntur intuitiuè, & conſequenter, vt ſunt in ſe, & non iuxta numerum potentiarum; aliàs aſpiciens plura obiecta vno oculo, apparerent ei, vt vnum tantum obiectum, quod non contingit.

DISPVTATIO OCTAVA.

De auditu.

DE auditu diſputat Ariſtoteles 8. cap. huius libri; & quia euidenti experientia conſtat, eius per ſe, & adæquatum obiectum eſſe ſonum; quatuor in hac diſputatione examinabimus, quibus omnia, quæ exagitari ſolent de ipſo auditu, de eius obiecto, & de organo, in quo reſidet, comprehẽdemus. Primum, *quid ſonus ſit, & quo modo, & in quo ſubiecto fiat?* Secundum, *de diuiſione ſoni, & ſpecialiter de voce, & echo.* Tertium, *quo modo, & per quod medium ſonus immutet auditum?* Quartum, *quodnam ſit organum auditus?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſonus ſit, & quo modo, & in quo ſubiecto fiat?

1 PRO intelligentia eorum, quæ dicẽda ſunt in hac quæſtione, notandum eſt, in productione ſoni duos motus locales interuenire, vnũ, quo duo corpora apta ad cauſandum ſonũ ſe collidũt, aut aliquod corpus ſolidum violenter frãgitur, vel diuiditur: alterũ corporis medij (aëris, ſcilicet, vel aquæ) per eorum colliſionem, vel fractionẽ reſilientis. Hoc notato, primum, quod inquirit præſens quæſtio eſt, quid ſit ſonus? An, ſcilicet, ſit aliquis ex duobus motibus localibus nominatis? An verò ſit aliqua qualitas?

2 Prima ſentẽtia affirmat, eſſe motum, non illũ, quo duo corpora ſe collidunt, aut quo aliquod corpus ſolidũ violenter frãgitur, vel diuiditur; ſed illũ, quo corpus medium, aër, ſcilicet, vel aqua, reſilit. Pro hac ſententia citat Toletus quæſt. 19. Themiſtium, & cæteros expoſitores Græcos, & ipſemet affirmat, nõ eſſe improbabilẽ, videturque habere fundamẽtũ in Ariſtotele cap. 8. huius libri, vbi ait, ſonum eſſe ictum, & mo-

medium corporum ſolidorum: & ſuaderi poteſt hac ratione.

3 Si ſonus non eſſet motus, ſed qualitas, aut eſſet qualitas prima, vel ſecunda; ſed nō eſt prima qualitas, quia qualitates primæ, vt ex dictis in ſecundo libro de generatione. conſtat, tantum ſunt quatuor, ſcilicet, caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas. Neque etiā eſt qualitas ſecunda; quia qualitates ſecundæ reſultant ex commiſtione primarum qualitatum; ſonus autem nō reſultat ex primarum qualitatū commiſtione; ergo nullo modo eſt qualitas.

4 Sed dicendum eſt cum cōmuni, & recepta ſententia, ſonum eſſe qualitatem; & conſequenter quid diſtinctum à motu locali, nō ſolùm corporum ſe collidentium, ſed etiam corporis medij reſilientis: ita Auicena libro 6. *naturalium*, parte 2. cap. 5. D. Thomas hic lectione 16. & plures alij, quos refert, & ſequitur Rubius tractatu de ſenſu auditus quęſt. 1. & probari poteſt multis vijs.

5 Primò, quia ex Ariſtotele capite 6. huius libri, motus eſt ſenſibile commune; ſed ſonus eſt ſenſibile proprium, cum ſolùm percipiatur ab vnico ſenſu, ſcilicet, ab auditu; ergo ſonus non eſt motus. Secundò, quia proprietates ſonus ſunt valdè diuerſæ à proprietatibus motus; ergo ſonus, & motus ſunt entitates eſſentialiter diuerſæ. Antecedens patet; nam ſonus dicitur grauis, vel acutus; motus verò non dicitur grauis, vel acutus; ſed tardus, aut velox. Tertiò, quia experientia conſtat, ſonum campanæ aliquandiu permanere, tranſacto motu, non ſolùm corporum ſe collidentium, ſed etiā corporis medij reſilientis; ergo ſonus nō eſt aliquis ex his motibus.

6 Ad auctoritatem Ariſtotelis in cōtrarium adductam reſpondetur, ibi Ariſtotelem non definijſſe ſonum per cauſam formalem, ſed per conditionem requiſitam (vt infra dicā) ex parte cauſæ eſſentialis ſoni. Ad rationem dicimus, ſonum eſſe qualitatem primam, id eſt, non reſultantem ex commiſtione quatuor primarum qualitatum. Neque obſtat, quòd non ſit aliqua ex quatuor primis qualitatibus enumeratis ab Ariſtotele 2. libro de generatione; quia Ariſtoteles (vt ibi annotauimus) non enumerauit omnes primas qualitates; ſed illas tātùm, quæ conducunt ad generationem, vel corruptionem miſti ex elementis.

7 Sed inquires, ad quam ſpeciem qualitatis ſpectet ſonus; & ſimiliter, an ſit, quid permanens? Ad primum reſpondeo, cum ſit qualitas ſenſibilis, non poſſe ſpectare, neque ad primam, neque ad ſecundam ſpeciē qualitatis ex quatuor enumeratis ab Ariſtotele: & cum ſit primò ſenſibilis, non ſpectabit

Digitized by Google

bit ad quartam ſpeciem, ſed ad tertiam: & cum non ſit qualitas diu permanens, ſed citò tranſiens, non eſſe appellandã paſsibilem qualitatẽ, ſed paſſionem Hoc totum conſtat ex dictis in Logica cap. de qualitate, diſput. vnica, quæſt. 2. & quæſt. 3. ſect. 3.

8 Ad ſecundam dico, ſonum etſi citò euaneſcat, eſſe nihilominus in ſua entitate quid permanens, non ſecus, ac eſt rubor ortus ex verecundia, & ſimiliter impulſus, qui à proijciente imprimitur in proiectis; aliàs ſonus non eſſet qualitas, ſed motus, aut tempus. Et hoc conuincitur experientia vocis reflexæ, quæ vocatur echo: prius enim auditur vox recta, & poſt modum reflexa: ergo toto illo tempore permanet ſonus vocis; ſiue echo fiat per reflectionem ipſius vocis, ſiue per reflectionem ſpecierum intentionalium vocis; nam cum ſpecies intentionales, non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari pendeant ab obiectis, neceſſarium eſt, vt toto tempore, quo durant ſpecies intentionales vocis, ſeu ſonus, duret etiam, & permaneat ipſa vox, ſeu ſonus, cuius ſunt intentionales ſpecies.

9 Circa ſecundum, quod requirit quæſtio, ſcilicet, quomodo fiat ſonus? Primo dubitari poteſt de actione, per quam per ſe producatur? & dicendum eſt, quòd etiamſi in productione ſoni interueniant duo illi motus locales ſupra numerati, ſcilicet, motus localis, quo duo corpora ſonantia ſe collidũt, & motus localis, quo corpus medium per impulſum ei impreſſum à corporibus ſe collidentibus reſilit; nihilominus per nullum ex his motibus localibus per ſe produci ſonum; cuius ratio eſt, quia, vt dictum eſt, ſonus eſt quædam qualitas, & motus localis, quales iſti ſunt, non terminantur per ſe ad qualitatem, ſed ad *vbi*. Quare in productione ſoni, præter duos motus locales enumeratos, admittendus eſt alius motus, ſeu mutatio, per quam per ſe producatur ſonus, qui etſi neceſſariò præſupponat prædictos motus locales, ipſe tamen motus localis non ſit, ſed motus alterationis, ſũpto motu alterationis latè, pro illo, ſcilicet, quod per ſe terminatur ad qualitatem.

10 Et ſi inquiras, quo pacto iſte motus alterationis, per quem per ſe producitur ſonus, pendeat à duobus motibus localibus, quibus corpora ſonãtia, ſe collidunt, & corpus medium reſilit? Placet, quod reſpondet Rubius, quæſt. 2. ſcilicet, pendere ab illis ſolùm in genere cauſæ diſpoſitiuæ. Sed diſplicet valdè, quod idẽ Rubius ibidem ait, nimirum, nullam dari cauſam particularẽ per ſe effectiuam iſtius motus alterationis, per quẽ per ſe pro-

Digitized by Google

producitur ſonus, ac per conſequens eius effectionē tribuēdā eſſe cauſæ primæ. Dicendū eſt enim, dari cauſam particularē per ſe effectiuā motus, ſeu mutationis, per quē producitur ſonus, videlicet, ipſa corpora ſonantia, quæ ſe collidunt.

11 Ducor ad hoc aſſerendū; primò, quia exiſtimo, eſſe expreſſam ſententiam Ariſtotelis, qui in principio octaui capitis corpora ſonantia appellat ea, quæ virtutem, ſeu potentiam habent efficiendi ſonum per mutuam colliſionem, & hanc virtutem ſonatiuam affirmat eſſe maiorem, vel minorem in vnis corporibus, quàm in alijs iuxta maiorem, vel minorem participationem cōditionum, quas ad hoc requiri ibi enumerat: & textu 79. docet expreſsè, corpus medium reſiliens non eſſe præcipuam cauſam ſoni; ſed ſonantia corpora, ſeu percutientia. Secundò, quia experimur, ex diuerſis accidentibus, quibus diſpoſita ſunt ſonantia corpora, diuerſos etiam ſonos prouenire: ergo ſignum manifeſtum eſt prædicta corpora eſſe cauſam per ſe ſoni, licet hoc non præſtent, niſi medijs aliquibus diſpoſitionibus, vt ſunt colliſio eorum, & reſilientia corporis medij.

12 Quod ſi iterum inquiras, an ſonus diſpoſitiuè dependens à motu, quo corpora ſonantia ſe collidunt, & à motu, quo corpus medium reſilit, dependeat ſolùm in ſuo fieri, an etiam in ſua conſeruatione ab eis? Reſpondet Rubius, ſibi videri, ſonum à poſteriori motu, non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari dependere. Sed mihi oppoſitum videtur, ſcilicet, etſi ſonus diſpoſitiuè dependeat à prædictis motibus in ſuo fieri, ſed non in ſuo conſeruari, non ſecus, ac philoſophati ſumus 8. libro Phyſicorum, diſput. 2. quæſt. 3. de impulſu. cuius ſignum euidens eſt experientia, qua experimur, præcipuè in cymbalis, manere ſonum, & conſeruari in aere, etiam tranſactis motibus, tam colliſionis corporum ſonantium, quàm reſilientiæ corporis medij.

13 Quod ſi rurſus inquiras, an ad efficiendum ſonum neceſſariò requirantur tria corpora, duo extrema ſe collidentia, & quoddam medium, quod reſiliat, & in quo ſubiectetur ſonus? Reſpondetur, abſque dubio requiri tria prædicta corpora, cum hoc expreſsè doceat Ariſtoteles cap 8. textu 78. his verbis, *Fit autem ſecundum actum ſonus ſemper alicuius ad aliquid & in aliquo*. Quod ſi obijcias, virga vehementi motu per aerem tracta efficit ſonum, & tamen ibi tantùm ſunt duo corpora, ſe collidentia, virga, ſcilicet, & aer. Reſpondet benè Cardinalis Toletus, aerem ſecundùm diuerſas partes ſui habere rationem

nem corporis extremi collidentis, & corporis medij reſilientis; illæ enim partes, quæ tangunt virgam, habent rationem corporis collidentis; illæ verò, quæ ex tali colluſione, & percuſsione pelluntur, habent rationem corporis reſilientis. Ex quibus colligo, quod etiamſi ad ſonum requirantur duo corpora, ſe collidentia, & aliud medium reſiliens: non tamen requiri, quod corpus medium reſiliẽs ſit diſcontinuum ab vtroque corpore ex his, quæ ſe collidunt.

14 Secundo dubitari poteſt, quomodo ſonus incipiat, & deſinat eſſe? Et quantum ad inceptionem dicendum eſt, ſonum quantũ eſt ex natura ſua, petere fieri in inſtanti, & conſequenter per primum ſui eſſe; non ſecus, ac lux, impulſus, cæteræque qualitates, quæ non ſupponunt in ſubiecto cõtrarium, ipſis diuiſibiliter oppoſitum: quia, vt ex profeſſo docuimus 5. Phyſicorum, diſputatione 1 quæſt. 1. qualitates, quæ non habent contrarium, ſibi diuiſibiliter oppoſitum in ſubiecto, in quo producuntur (qualis eſt in omnium ſententia ſonus) non poſſunt per ſe, & quãtum eſt ex natura ſua, motum ſucceſsiuũ terminare: nihilominus per accidẽs habere ſonum, quòd de facto ſemper producatur ſucceſsiuè; & conſequenter, quod incipiat eſſe extrinſecè, & per vltimum ſui non eſſe: cuius ratio eſt, quia alteratio, per quam producitur ſonus in ſuo fieri (vt ſupra dictum eſt) pendet diſpoſitiuè ex motu locali, tam colliſionis corporum ſonantium, quàm reſilientiæ medij, in quo recipitur; qui motus, cum ſucceſsiui ſint, ita & alteratio, qua producitur ſonus, cùm ipſos cõcomitatur, etiam, licet per accidens, ſucceſsiua erit: quæ omnia exemplificare poſſumus in nutritione, quæ etiãſi per ſe, & quantum eſt ex natura ſua, petat fieri in inſtãti, cum eius terminus per ſe ſit ſubſtantia, ad quam per ſe non datur motus; nihilominus, vt docuimus 1. libro de generatione diſput. 4. q. 4. à num. 12. de facto ſemper eſt motus ſucceſsiuus per accidens; quia in ſuo eſſe pendet à diſpoſitione alimẽti, quæ ſit motu ſucceſsiuo

15 Quantum verò attinet ad deſitionem, affirmandum eſt, ſonum deſinere eſſe (non obſtante, quod non habeat cõtrarium) ſucceſsiuè, & conſequẽter extrinſecè, & per primum ſui non eſſe, non ſecus, ac de impulſu philoſophati ſumus 8. Phyſicorum, diſp 2. q. 4. hoc patet experientia, qua per auditum ſentimus, ſonum paulatim, & ſucceſsiuè langueſcere, quouſque tandem omnino euaneſcit. Ex quibus omnibus colligere licet, ſonũ ſuſcipere magis, & minùs ſecũdũ intenſionem; ac per conſequẽs

non ſolùm extenſiuè, ſed etiã intenſiuè eſſe diuiſibilem.

16 Circa tertium, & vltimũ, quod quærit quæſtio, nimirũ, in quo ſubiectetur ſonus? Cõmunis, & recepta ſententia eſt, ſonum ad minùs ſubiectari in corpore medio, reſiliente ex colliſione, ſeu fractione corporum ſonantium; quod clarè conuincit experientia, qua experimur, flante vento, à loco, vbi fit ſonus, prædictum ſonum audiri in loco, vbi ante non audiebatur, cuius nullam aliã rationem poſſumus aſsignare, niſi quòd ſonus ſubiectetur in aere medio, reſiliente ex colliſione, ſeu fractione corporum ſonantium, qui aer cum moueatur à vento flante, mouetur etiam ſonus, qui in ipſo eſt, & propterea ſpecies intentionales, quas emittit in inſtãti ſonus in tota ſphæra ſuæ actiuitatis, attingunt ad locum remotiorem, ad quem non attingerent, ſi aer, in quo ſubiectatur ſonus, & conſequenter ipſe ſonus, à vento flante non moueretur, & appropinquaretur ad locum, vbi auditur.

17 Eſt tamen difficultas, an etiam ſubiectetur ſonus, in ipſis corporibus ſonantibus, & ſe collidentibus? Partẽ affirmatiuam tenent Vega libro 1. de *arte medendi*; Auerſa quæſt. 54. ſect. 5. & eam etiam ſequuti ſunt aliqui ex antiquioribus Philoſophis, quos refert Appollinaris hic quæſtione 21. quorum fundamentũ eſt, quia ſi poſt pulſationem cymbali, ex quo ſonus reſultat, manu cymbalũ apprehendatur, impeditur ſonus; quod fieri non poſſet, ſi ſonus non ſubiectaretur in cymbalo, quod eſt vnũ ex corporibus ſonantibus, & ſe collidentibus.

18 Probabiliorem nihilominus exiſtimo partem negatiuam, ſcilicet, ſonum non ſubiectari in corporibus ſonantibus, & quorum colliſione reſultat ſonus; ita D. Thom. Auicena, Simplicius, & quàm plures alij, quos referunt, & ſequuntur recentiores: imò Rubius id colligit ex pluribus locis Ariſtotelis, quæ in ipſo videri poſſunt.

19 Ratio à priori eſt; quia corpora ſonantia, & ſe collidentia in productione ſoni, vnum non ſe habet, vt principium actiuum, & aliud, vt paſſiuum; ſed vtrumque concurrit, vt principium actiuum partiale, vt expreſsè docuit Ariſtoteles textu 85. & demonſtrat experientia: ergo ſonus non in ipſis, ſed in corpore medio reſilienti debet ſubiectari; patet conſequentia, nam cum actio productiua ſoni ſit actio tranſiens, non poterit, neque ipſa, neque terminus eius in principijs agentibus, vt ſunt corpora ſonantia, & ſe collidentia ſubiectari, aliàs non actio tranſiẽs, ſed potiùs immanens diceretur.

Digitized by Google

20 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpōdetur, ideò poſt pulſationem cymbali, per apprehenſionem eius factā à manu impediri ſonū, non quia ſonus ſit inhærens in partibus ſolidis ipſius cymbali; ſed quia in aere incluſo in ipſo cymbalo, & in poris eius ſonus aliquis ſubiectatur, qui manet toto tēpore, quo durat impulſus receptus in prædicto aere ex pulſatione cymbali; conſtat autē per apprehenſionem cymbali factam à manu impediri impulſum, & conſequenter ſonū aeris exiſtētis intra ipſum cymbalum, & poros eius.

21 Sed dubitant auctores, an non ſolùm in aere, ſed etiam in aqua fieri, & ſubiectari poſſit ſonus? ſunt, qui dicant ſolū in aere, & nullo modo in aqua fieri, & ſubiectari poſſe ſonum; ita Commentator 2. de anima textu 76. Albertus tract. 3. & 18. & alij plures, & inſinuat Ariſtoteles dum textu 79. ait, *Sonum fieri per repercuſsionem ad aerem*; & textu 81. *aerem eſſe, qui facit audire*; & textu 82. *ſonatiuum dicitur, quod eſt motiuum aeris*; & textu 88. *omne, quod ſonat, in aere ſonare.*

22 Suaderi poteſt hæc ſententia, tum experientia; tum ratione: experientia, quia experimur, piſces ſub aqua magno excurrentes impetu nullum cauſare ſonum. Ratione, quia ad cauſandum ſonum præter impetum, quo corpora ſonantia ſe collidunt, requiritur etiam facilis diuiſio in corpore medio, quod reſilit, quod non competit aquæ, ſicuti & aeri, cum aqua ſit magis grauida, & corpulenta, quàm aer.

23 Sed tenendum eſt cum communiori, & probabiliori ſententia, etſi aqua non ſit medium ita aptum, ac aer ad hoc, vt in ipſa fiat, & ſubiectetur ſonus, poſſe tamen in ipſa fieri, & ſubiectari ſonum; ita D. Th. hic textu 79. & 83. & ibidem Caietanus, & Ægidius; fuitque ſententia Auicenæ 6. *naturalium*, 2. part. cap. 6. & Theophraſti, Simplicij, & Themiſti in hoc 2. libro de anima; imò & Ariſtotelis hic textu 79. vbi ait, *ſonum audiri non ſolùm in aere, ſed etiam in aqua.*

24 Probari poteſt, non ſolū experientia, ſed etiam ratione: experientia, quia experimur, lapides colliſos ſub aqua ſonare, & idem experimur de lebete ſubmiſſo in puteo, dum terram attingit. Imò Ariſtoteles lib. 4. de hiſtoria animaliū, cap. 9. affirmat, ranas ſonare ſub aquis, idque præſtare dimiſſa inferiori mandibula, aquaque modicè recepta in faucibus. Ratione, quoniam aqua omnes conditiones vendicat, quas aer, ad hoc, vt eſſe poſsit medium, in quo fieri, & ſubiectari poſsit ſonus, licet non ita exactas; eſt enim mollis, ac diuiſione facilis, cōprimique po-

Digitized by Google

teſt violenter: eſt ergo ſufficiẽs medium ad hoc, vt in ipſa fieri, & ſubiectari poſsit ſonus, licèt minùs idoneum, ac aer.

25 Ad auctoritates Ariſtotelis in contrarium adductas, reſpondetur, quòd cum loquutus eſt de medio, in quo fit, & ſubiectatur ſonus, ſpecialiter meminiſſe aeris, eo quòd aer ſit aptius medium, & vſitatũ, magiſque familiare, præcipuè ad perfectos ſonos. Ad experientiam dicimus, piſces natantes ſub aquis non cauſare ſonum, quia ſine violentia ipſas diuidunt. Ad rationem dicito, dẽſitatem aquæ non eſſe tantam, vt omnino ſonum impediat.

26 Sed quid dicendum erit de igne, de quo (vt annotauit Suarez libro 3. de anima cap. 19.) obliti ſunt auctores? Dicendum enim eſt cũ ipſo Suarez, eſſe quidem medium, in quo fieri, & ſubiectari poteſt ſonus; quod non ſolùm cõuincit experiẽtia, qua experimur, quòd cum quis violenter diuidit flammam, vel ſi intra illam corpora ſolida ſe percutiant, non minorem cauſari ſonum, quàm in aere; ſed etiam ratio ſuadet: etenim ignis rarior eſt aere, & facilis ad videndum, reliquaſque conditiones participat, ob quas aer ponitur medium, in quo fieri, & ſubiectari poteſt ſonus; ergo idem aſſerendum erit de igne.

QVÆSTIO II.

De diuiſione ſoni, & ſpecialiter de voce, & echo.

1 Sonus iam explicatus, in cõmuni ſumptus, tripliciter ſolet diuidi. Primò in ſonũ perfectum, id eſt, vocem, & in imperfectũ, qualis eſt qui cauſatur à rebus inanimatis, qui ideò non dicitur vox. Secũdò in rectũ, & reflexũ, qui appellari ſolet echo. Tertiò in acutum, & grauem, quæ tres diuiſiones examinandæ, & explicandæ ſunt in hac quæſtione.

2 Quoad primam diuiſionem notandum eſt ex Galeno libro *de vocis inſtrumento*, cap. 4. & 7. *de vſu partium*, capit. 4. & ex Valleſio libro 2. capit. 21. vocem edi tantùm ab animalibus, pulmonem habentibus, & reſpirationem: vndè primum principium vocis anima eſt; ſed inſtrumenta, quibus formatur, ſunt plura. Primum eſt pulmo, aerem intra ſe continens. Secundum eſt aſpera arteria, quæ ima ſuî parte pulmonem attingit, & vſque ad linguam dilatatur. Tertium eſt larynx, quæ à parte anteriori colli ſe prodit inſtar nucis, eſtque in ſumitate aſperæ arteriæ; ſunt in ea tres cartilagines, veluti vaſa quædam inter texta muſculis, vt facilè poſſint dilatari, & cõprimi. Quartum eſt lingula quædam,

Digitized by Google

qua operitur larynx, & aſpera arteria, ne illuc ſubintret cibus, aut potus, aut aliquid ex eis, quæ in ſtomachum mittẽda ſunt. Quintum eſt palatum, quaſi quoddam vocis refractorium, deſeruiens ad augendam vocem. Ex his omnibus numeratis aggregatur integrũ inſtrumentum formandæ vocis, ſimile fiſtulæ. Nam aſpera arteria correſpondet fiſtulæ; pulmo buccis aerem impellentibus; lingula loryngis foramini ſuperioris partis fiſtulæ, & ſicut per varia foramina modo clauſa, modò aperta variatur ſonus; ita loryngis rimula dilatata, vel compreſſa, variatur vox.

3 Ex his patet, optimam eſſe definitionem vocis, quam ex Ariſtotele colligit Philoponus, *Vox eſt ſonus ab anima eductus per inſtrumenta vocalia cum imaginatione aliquid ſignificandi*; in qua definitione ponitur particula *ſonus* loco generis, in quo conuenit vox, cum ſonis imperfectis, & qui fiunt à rebus inanimatis; reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ; & per particulas, *ab anima eductus*, differt à ſonis imperfectis, qui fiunt à rebus inanimatis: per particulas verò, *per inſtrumenta vocalia*, differt à ſonis, qui fiunt à piſcibus, & alijs animalibus, & etiam ab hominibus, non per inſtrumẽta vocalia, ſed alijs partibus corporis. Et demum per illas particulas, *cum imaginatione aliquid ſignificandi*, quæ tam vocibus hominum, quàm vocibus animalium conueniunt (non enim eſt de intrinſeca ratione vocis in communi ſumptæ ſignificare ad placitum, ſed ſat eſt, quod proferatur ex imaginatione, ſeu apprehenſione ſignificandi aliquod commodũ, vel incommodum) differt à tuſſi, quæ natura ſua non ordinatur ad aliquid ſignificandum, nec fit voluntariè, ſed coactè: quod ſi aliquando fiat voluntariè, & ad aliquid ſignificandum, hoc eſt per accidẽs, & ſolùm analogicè tali tuſſi ratio vocis conueniet.

4 Vlteriùs notanda eſt differẽtia vocis à loquutione, quòd vox, vt dictum eſt, communis eſt, tam hominibus, quàm alijs animalibus, pulmonem, & reſpirationem habẽtibus; loquutio verò, vt docet Ariſtoteles 4 de hiſtoria animalium, cap. 9. ſolùm conuenit hominibus: addit enim loquutio ſuper vocẽ, quòd ſit expreſſiua rationalis conceptus, quod vocibus animalium irrationalium cõuenire nõ poteſt: vnde loquutiones pſittaci, & hominis dormientis non vendicant perfectam rationẽ loquutionis, quãuis materialiter ſumptæ ſint ſimiles loquutioni. Addit etiam loquutio ſuper vocem, articulationẽ, id eſt, diſtinctionem in pronuntiatione ſyllabarum, & conſonantium, vocales enim

guture, & conſequenter ſolùm voce proferuntur; at conſonantes, vt proferantur, præter organa numerata ad prolationem vocis, etiam linguæ, & labiorum inſtrumentis indigent.

5 Quoad ſecundam diuiſionem conueniunt omnes, ſonum rectum appellari illum, qui per rectas lineas orbiculatim diffunditur, inſtar circulorum, quos efficit lapis in aquã proiectus: reflexum verò, ſeu echo dici illum, qui auditur, quando ſonus rectus incurrit in corpus concauum, & ſolidum, à quo tanquam pila reſilit ad aures. Sed quamuis in hoc omnes conueniant, differunt tamen in explicando, quo pacto fiat hic ſonus reflexus, ſeu echo.

6 Quidam dicunt, ad effectionem huius ſoni reflexi, ſeu echo neceſſariò requiri, quòd ſonus realis pertingat ſecundum ſuum eſſe reale ad locum concauum, & ſolidum, & iterum reflectatur in locum oppoſitum; non ſecus, ac ad reflectionem pilæ neceſſarium eſt, quòd ipſa pila per ſuum reale eſſe pertingat ad locum ſolidum, & inde reflectatur ad locum contrarium; ita Auicenna libro 6. *naturalium*, part. 2, cap. 6. & idem videntur ſentire Simplicius, Alexander, Philoponus, & D. Thomas in caput 8. huius libri, & Albertus magnus tract. 3. cap. 19.

7 Probari ſolet primò ex Ariſtotele, qui cap. 8. huius libri docet, reflectionem vocis, quæ dicitur echo, fieri, ſicut reflectionem pilæ ad parietem eliſæ; & ſect. 11. problematũ, quæſt. 13. docet, vocem prolatam ſæpè amittere formam, & per reflectionem iterum ſimilem fieri: quibus verbis non ſolùm videtur requirere ad ēcho, quòd ſonus realis pertingat ad locum reflectionis; ſed quòd ſonus reſultãs ex tali reflectione ſit diſtinctus à priori.

8 Secundò probari ſolet rationibus; prima, ſpecies intentionalis obiecti ſenſibilis, non ſolùm repræſentãt obiectum; ſed etiam diſtantiam eius: ſed quando auditur echo, non auditur in diſtantia, in qua facta fuit prima vox; ſed potius intra locum concauum, ex quo reſultat echo: ergo hoc euenit, quia ſpecies intentionales, per quas audimus echo, non ſunt emiſſæ à loco, in quo facta eſt primò vox, ſed à loco concauo, in quo fit echo, & ad quem peruenit vox ſecundum ſuum eſſe reale, & in quo reflectitur, & fit echo.

9 Secunda; ſi echo fieret per reflectionem ſpecierum intentionalium vocis, & non per reflectionem ipſius vocis; ſimul audirentur vox recta, & vox reflexa, ſeu echo; ſed hoc eſt contra experientiam, qua experimur, priùs nos audire vocem rectam, quàm vocem re-

reflexam, ſeu echo: ergo non eſt ſuſtinendum, echo fieri per reflectionem ſpecierum intẽtionalium vocis; ſed potiùs per reflectionem ipſius vocis. Maior patet, quia cum vox emittat ſpecies intentionales ſui, tam actione directa, quàm reflexa in inſtanti, ſi echo fieret per reflectionem ſpecierum intentionalium vocis, & non per reflectionem ipſius vocis; ſimul, & in eodem inſtanti, in quo percipitur vox recta, perciperetur etiam vox reflexa, quæ dicitur echo.

10 Dicendum nihilominus eſt cum communi, & recepta ſententia, ad cauſandum echo nõ eſſe neceſſarium, quòd vox ſecundum ſuum eſſe reale perueniat ad locum concauum, & ſolidum, & indè reflectatur in contrariam partem; ſed ſufficere, quòd vox emittat ſpeciem intentionalem ſui, non ſolùm actione directa, ſed etiã reflexa, pertingente vſque ad auditum.

11 Ducor ad hoc aſſerendũ; Tum, quia ſicut ad viſionem reflexam, quæ fit in ſpeculo, ſufficit reflectio ſpecierum intentionalium obiecti, & nullo modo eſt neceſſaria reflectio entitatis realis ipſius obiecti; ita pari modo ad auditionem reflexam ſufficiens erit reflectio ſpecierum intentionalium vocis, & nullo modo erit neceſſaria reflectio entitatis realis ipſius vocis. Tum etiam, quia echo factum in lõga diſtantia, auditur paruiſsimo tempore; eſt autem incredibile, quòd aer reſiliens, in quo ſubiectatur vox; & conſequenter ipſa vox, in tam paruo tempore percurrat totam illam diſtantiam, quæ eſt à loco, in quo prolata eſt vox vſque ad locum concauum, vbi fit echo, & iterum in contrarium reuertatur.

12 Ad primum locum Ariſtotelis ex adductis in contrarium reſpondetur, exemplum pilæ non tenere in omnibus; allatum eſt enim ab Ariſtotele, vt per analogiam, & ſimilitudinem reflectionis pilæ, reflectionem vocis explicaret; non verò quia exiſtimauerit, quòd ſicut reflectio pilæ eſt realis, & non intentionalis; ita & reflectio vocis. Ad ſecundum locum dicimus, quòd cum Ariſtoteles dicit, vocem prolatam ſæpè amittere formam, & per reflectionem iterum ſimilem fieri; non loqui de amiſſione, & fieri vocis quoad entitatem, ſed quoad actualẽ ſenſationem, quæ fit per auditum; quod non ſolùm eſt verũ, ſed etiam experientia cõprobatũ ferè in omni euentu, quo cauſatur actio. Vox enim prolata deſinit priùs audiri auditione recta, quã incipiat audiri auditione reflexa; tamen vox quoad entitatem realem non deſinit pro tunc eſſe.

13 Ad primam rationem, di-

cimus, verum eſſe, ſpecies intentionales. non ſolùm repræſentare obiectum; ſed etiam illius diſtantiam, cum diſtantia pro materiali ſit quantitas; & conſequenter ſenſibile cõmune, quod dicitur magnitudo; & naturaliter nõ poſsit ſenſibile proprium emittere ſpeciem ſui, quin etiam illã emittat ſenſibile commune: tamen hoc eſſe diſcrimen inter ſpecies ſenſibiles directè productas, & ſpecies ſenſibiles productas indirectè, quòd ſpecies sẽſibiles productæ ab obiecto actione directa repræſentãt obiectum directè; & conſequẽter in diſtantia, ſitu, & loco, in quo eſt: at ſpecies ſenſibiles, productæ ab obiecto actione indirecta, & per reflectionem, repræſentant obiectum indirectè; & conſequenter in diſtantia, ſitu, & loco oppoſitis diſtantiæ, ſitui, & loco, quæ habet, vt videre eſt in viſione facta per ſpecies reflexas in ſpeculo, quę repræſentant obiectum, quod eſt ante ſpeculum, & à tergo noſtro; à tergo ſpeculi, & ante faciẽ noſtrã, & pars, quæ eſt dextera in obiecto, in figura illa apparet ſiniſtra, & ſiniſtra dextera. Cum ergo echo percipiatur ab auditu per ſpecies vocis reflexas, non mirum, quòd per illas audiatur vox in diſtãtia, ſitu, & loco, oppoſitis diſtantiæ, ſitui, & loco, in quibus prolata eſt, ſcilicet, intra locum, ſeu à tergo corporis cõcaui, & opaci, in quo fit reflectio.

14 Ad ſecundam rationẽ negamus maiorem, ſcilicet, quòd ſi echo fieret per reflectionem ſpecierum intentionalium vocis, & non per reflectionem ipſius vocis, ſimul audirentur ipſa vox recta, & vox reflexa, quæ dicitur echo. Et ad probationem dicimus, quòd etiamſi in inſtanti producat vox, tam actione directa, quàm reflexa ſuas ſpecies intentionales in tota ſphæra ſuæ actiuitatis; nihilominus priùs audiri vocẽ rectam, quàm reflexam, quæ dicitur echo; quia in inſtanti, in quo profertur vox, auditus proferentis eſt intra ſphæram actiuitatis intentionalis vocis, quæ dicitur recta; non verò intra ſphæram actiuitatis intentionalis vocis, quæ dicitur reflexa, ſeu echo; & ſic pro tunc audit vocem rectam, & non reflexã; poſt paululum verò temporis audit vocẽ reflexam, ſeu echo, & non vocem directam, quia cũ aer, in quo ſubiectatur vox, & conſequenter ipſa vox accedat ad locum concauum, in quo fit reflectio ſpecierum, & diſcedat ab homine, qui vocẽ protulit; fit, vt auditus hominis proferentis vocem deſinat eſſe intra ſphæram intentionalem vocis directè, & incipiat eſſe intra ſphæram intentionalem vocis reflexæ, ſeu echo. Nec mirum videri debet, quòd vox parum diſtans ab homine pro-

fe-

Digitized by Google

ferente, non attingat actione ſua intentionali directa ad auditum hominis, à quo prolata eſt; bene tamen attingat per actionem intentionalem reflexam: nam hoc prouenit ex eo, quòd vox habet virtutẽ magnam ad agendum intentionaliter verſus illam partem, in quam prolata eſt; & ſic verſus illam partem poteſt intentionaliter agere, non ſolùm rectè, ſed etiam reflexè in magnam diſtantiam: at verò verſus oppoſitam partem illius, in quam prolata eſt, habet paruam virtutem intentionaliter agendi, & ſic verſus illam partem agit intentionaliter ad paruam diſtantiam.

15 Tertia denique diuiſio ſoni in acutum, & grauẽ perſpicua eſt, & data, vt notarunt Themiſtius, & Philoponus, per metaphoram ex tangibilibus deſumptam: ſicut enim enſis dicitur acutus, qui breui tempore altè penetrat; obtuſus verò, qui tardè: ita ſonus dicitur acutus qui breui tempore peruadit; grauis verò, qui obtundit auditum.

16 Et ſi inquiras, quales ſint iſtæ diuiſiones ſoni? Reſpondeo, eſſe accidentales; nam ſono accidit, quòd iſto, vel illo inſtrumento fiat; quod iſto, vel illo fine proferatur; quòd ſit rectus, vel reflexus; quod acutus ſit, vel grauis.

QVÆSTIO III.

Quomodo, & per quod medium ſonus immutet auditum?

1 Actum eſt de ſono realiter ſumpto, & in quantũ quædam qualitas eſt; agẽdum ſupereſt de ipſo, ſumpto intentionaliter, & in quantum eſt obiectum motiuum potentiæ auditiuæ; in quo ſenſu duo inquirit præſens quæſtio; primum, quo modo immutet auditum? Secundum, per quod medium?

2 Circa primum ſunt, qui dicant, & ſi ad auditionem ſoni neceſſariũ ſit, quòd ſonus immutet auditum per ſpeciẽ intentionalem ſui; non tamen illum actu immutare, quouſque perueniat ad auditum ſecundum ſuum eſſe reale; ita Auicena 6. *naturalium*, cap. de *auditu*; Albertus magnus *in ſumma de homine*, tractatu etiam de *auditu*; Alexander, Simplicius, Ægidius hic cap. 8.

3 Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſi ad auditionẽ non eſſet neceſſarium, quòd ſonus, qui auditur, ſecundum ſuum eſſe reale perueniret ad auditum; ſed ſufficeret, quòd peruenirent ad auditum ſpecies intentionales ſui; ſequæretur, quod in inſtanti, in quo productus eſt ſonus, audiretur in quacumque diſtantia ſuæ ſphęræ; quia cum ſpecies intẽtio-

tionales eius non habeant cõtrarium, diffunduntur in iſtanti in tota ſphæra actiuitatis intentionalis ſoni. Sequæla autem eſt contra manifeſtam experientiam, qua experimur, facta percuſsione arboris in Sylua, & conſequenter producto ſono, non ſtatim audiri ab exiſtentibus procul; ſed poſt aliquantulum temporis; & idem exemplificari poteſt in tonitruo reſultante ex violenta fractione nubis.

4 Sed communis, vera, & recepta ſententia tenet oppoſitũ, ſcilicet, etſi aliquando contingat in auditione ſoni, ſonum ſecundum ſuum eſſe reale peruenire vſque ad auditum, vt contingit, cum ſonus fit propè aures; nihilominus hoc eſſe per accidens; quia ad auditionem ſoni per ſe, & intrinſecè ſolùm requiritur, quòd ſonus intentionaliter immutet auditum, id eſt, quòd imprimat ſpecies intentionales ſui in potentiam auditiuam.

5 Ratio à priori eſt, quia ad omnem ſenſationem ſolùm requiritur, quòd obiectum medijs ſpeciebus ſenſibilibus, quas Ariſtoteles appellat formas ſine materia, coniungatur cum potentia; ſed ad hoc vt ſonus emittat ſpecies intentionales ſui in potentiã auditiuam, etſi requiratur, quòd potentia ſit intra ſphæram actiuitatis intentionalis ſoni; non tamen requiritur, quòd ſonus ſecundum ſuum eſſe reale attingat prædictam potentiam: ergo ad auditionem ſoni impertinens eſt, quòd ſonus ſecundũ ſuum eſſe reale immutet potẽtiam auditiuam; ſed ſolùm erit neceſſarium, quòd illam immutet intentionaliter, imprimendo, ſcilicet, in illam ſpecies intentionales ſui.

6 Maior huius diſcurſus, & eſt Ariſtotelis, & ab omnibus recepta; minor verò, in qua eſſe poterat, difficultas, probatur duplici experientia; prima, quia piſcatores experiuntur, piſces audire voces in aere emiſſas, & propterea ad profundiores partes aquæ fugere; quod euenit abſque eo, quod ſonus realis vocis perueniat ad aures piſcium, cum non perueniat aer verberatus, in quo ſonus vocis reſidet, & ſubiectatur, & ad cuius motionem mouetur ipſe ſonus.

7 Secunda, quia vt in plurimum colliſio corporum ſonantium, & reſilientia aeris medij, ex quibus cauſatur ſonus, longè diſtant ab auditu: eſt autem incredibile, paruam particulam aeris reſilientis, quæ eſt, in qua ſubiectatur ſonus realis, tam citò peruenire ad longam illam diſtantiam, in qua auditur ſonus, & per ſingulas audientium aures diuagari, præſertim, cum ſlante vento in contrarium, nihilominus ad aliquam diſtantiam audiatur ſonus.

8 Nec

8 Nec valet, quòd reſpondẽt aliqui, nimirum, ſonum illum realem ſubiectatum in illa parte aeris reſilientis, non peruenire per ſe ipſum ad auditum diſtantem; producere tamen alium ſimilem ſonum realem in parte medij, ſibi contigua, & ſecundum ſonum tertium, & tertium quartum, & ſic per ſucceſsiuas, & diuerſas productiones ſonorum, ſonum realem diffundi vſque ad auditũ. Hoc, inquam, non valet; tum quia vnus ſonus non eſt productiuus alterius ſoni; ſed cauſa productiua ſoni, vt ex Ariſtotele ſupra dicebamus, ſunt corpora ſonantia, mediante ſua colliſione, & reſilientia corporis medij, vt diſpoſitionibus ſimpliciter neceſſarijs, quare ceſſante colliſione corporum ſonantium, & reſilientia corporis medij, erit impoſſibile alium ſonũ primo ſimilem de nouo generari, præſertim ſi ſonus ſit vox, quæ ſolùm ab animalibus, & per vocalia inſtrumenta generari poteſt. Tum etiam, quia inquiro ab his auctoribus, qualis ex his ſonis audiatur, an primus, an vltimus? Si primus, cum iſte per ipſos non perueniat vſque ad auditum ſecundum ſuum eſſe reale, dabitur auditio ſoni abſque eo, quòd ſonus ſecundum ſuum eſſe reale perueniat ad auditum; quod ipſi negant fieri poſſe. Si vltimus, ergo ſonus factus in longa diſtantia, non audiretur, vt factus in diſtantia longa, ſed vt factus intra aerem, vel circa illã; quod eſt contra experientiam.

9 Ad fundamentum auctorum primæ ſententiæ (omiſſa ſolutione Patris Arriaga, quæ plura ſupponit falſa, vt ex profeſſo vidimus 1. libro de generatione, diſp. 3. quæſt. 3. num. 24.) fatemur libenter, ſonum emittere ſpecies intentionales ſui in tota ſphæra ſuæ actiuitatis in eodem inſtanti, in quo habet eſſe, quia, vt argumentum obijcit, ſpecies intentionales ſoni nullum præſupponunt contrarium in ſubiecto; & conſequenter, quòd in eodem inſtanti, in quo habet eſſe, audiatur ab omnibus exiſtentibus intra ſphæram ſuæ actiuitatis vniformiter, difformiter (id eſt, etiamſi ſonus, qui auditur ab omnibus exiſtentibus intra ſphæram ſuæ actiuitatis intentionalis, ſit eiuſdem rationis; tamen magis intenſus auditur ab his, qui ſunt viciniores loco, in quo producitur ſonus, quàm ab his, qui ſunt remotiores) ſed negamus, hoc eſſe contra experientiam, qua experimur, facta percuſione arboris in ſylua, & conſequenter producto ſono, non ſtatim audiri ab exiſtentibus procul, ſed poſt aliquantulum temporis; nam vt diximus libro 1. generationis citato, diſp. 3. q. 3. nu. 23. cauſa, ob quam experimur, facta percuſione arboris

ris in ſylua, & conſequenter producto ſono, non ſtatim audiri ab exiſtentibus procul; ſed poſt aliquantulum temporis, non eſt, quia ſonus nō in inſtāti, ſed ſucceſsiuè, & in tempore emittat ſpecies intentionales ſui; ſed quia etiamſi in eodem inſtanti, in quo producitur ſonus, emittat ſpecies intentionales ſui in tota ſphæra ſuæ actiuitatis; & conſequenter omnes homines, qui ſunt intra illam ſphæram, in eodem inſtanti vniformiter difformiter, audiant ſonum; nihilominus quia prædicta ſphæra in ſua extenſione determinata eſt, & contingere ſolet, quòd aliqui homines, etſi exiſtant propè terminos prædictæ ſphæræ; nō tamen intra illam, hinc eſſe, vt pro illo inſtanti iſti homines non audiant ſonum: quod ſi poſt paruiſsimum tempus homines iſti ſonum audiunt, hoc prouenit, quia ſonus, vt ſæpè dictum eſt, etſi ſit citò tranſiēs, eſt qualitas aliquandiu durans, & inſuper inhæret in aere, qui reſilit, & impellitur per colliſionem corporum ſonantium, & ſæpè cōtingit, quòd iſte aer, in quo inhæret ſonus, ratione impulſus in ſe recepti appropinquet ad locum, in quo ſupradicti homines exiſtunt, antequam deſinat eſſe ſonus, & conſequenter, quòd ſphæra, in quam diffundit ſpecies intentionales ſui, illos attingat, & audiant ſonum, quem in inſtanti, quo productus non audiebant ex defectu appropinquationis ſphæræ, in quam ſonus diffundit ſpecies intentionales ſui. Et de auditionibus, quæ fiunt in prædicta, & ſimilibus alijs experientijs, ab hominibus procul exiſtentibus à loco, quo generatur ſonus, & non de alijs intelligendi ſunt Ariſtoteles, & Scotus, cum primus de ſenſu, & ſenſibili cap. 7. & Secundus quæſt. 3. de anima affirmant, ſonum intentionaliter immutare priùs tempore medium, quàm organum; quod non cōtingit in obiecto viſus, & reddunt pro ratione, quia ſonus ſecundum ſuum eſſe reale diffunditur per motum.

10 Circa ſecundum, quod inquirit quæſtio, nimirum, per quod medium ſonus immutet intentionaliter auditum? Cōueniunt omnes aerem, cū ſubtiliſsimus ſit, eſſe aptiſsimum medium ad hoc, vt per ipſum ſonus immittat ſpecies intentionales ſui vſque ad potentiā auditiuam; & idem dicendum exiſtimo, & propter eandem rationem de igne; & præter rationem aſsignatam, id oſtendunt experientiæ quotidianæ.

11 De aqua verò Albertus *ſumma de homine, tract. de auditu, quæſt. vltima*, cenſet ineptam eſſe ad recipiendas ſpecies intentionales ſoni, & conſequēter non eſſe medium, per quod ſonus immutare poſsit intentio-

tio-

tionaliter auditum. Et ſuaderi poteſt ex Ariſtotele, qui hic textu 76. differentiam ponit inter auditum, & olfactũ, quòd medium auditus ſit aer; olfactus vero tam aer, quàm aqua; & textu 82. ait, ſonatiuum eſſe motiuum aeris, quibus indicare videtur, ſolum aerem eſſe capacem recipiendi ſpecies intentionales ſoni.

12 Sed vera, & recepta ſententia affirmat, etſi aqua non ſit ita apta ad recipiendas ſpecies intentionales ſoni, ſicut eſt aer; non tamen eſſe ſimpliciter ineptam, & conſequenter poſſe media illa intentionaliter auditum immutare; ita expreſsè docuit Ariſtoteles hic textu 79. dicens, *auditur quidem ſonus in aere, & in aqua; ſed minùs in aqua*: & libro 4. de *hiſtoria animalium*, cap. 8. fatetur, piſces ſub aqua audire; quod etiam conſtat experientia; nam ſtrepitu facto in litore terrentur; & nos etiam audimus ſonum lapidum ſub aqua ſe collidentium: & ratio eſt, quia ſi aqua habet conditiones requiſitas, licet non tam exactas, ſicut aer, ad recipiendum in ſe ſonum realem, vt quæſt. 1 num. 24. dicebamus: ergò potiori ratione illas habebit ad recipiendum in ſe ſpecies intentionales ſoni, cum hæ magis immateriales ſint.

13 Ad primam auctoritatem Ariſtotelis dicimus, Ariſtotelem poſuiſſe diſcrimen inter auditum, & olfactum, quòd medium auditus ſit aer; olfactus verò tã aer, quã aqua, non quia exiſtimauerit, aquã non eſſe medium auditus, cũ oppoſitũ expreſsè doceat locis pro noſtra ſentẽtia citatis; ſed quia cõmuniter appellatur mediũ alicuius potentiæ ſenſitiuæ illud, per quod commodè, & expeditè fit ſenſatio; quod non competit aquæ reſpectu auditus, ſicut cõpetit reſpectu odoratus, vt videri eſt in aquatilibus.

14 Ad ſecundã auctoritatem reſpondemus, quòd cũ non ſit nomen impoſitũ ad ſignificãdũ mediũ adæquatũ ſoni, optimè definiuiſſe Ariſtotelẽ ſonum per motiuum aeris, quia etiãſi aer non ſit mediũ adæquatum ſoni; eſt tamen inter media inadæquata principale, aptius, & magis vſitatum, & familiare.

15 De terra, & denſiſsimis alijs corporibus maior eſt difficultas; experientia enim, qua experimur, intra cubiculum, denſiſsimis, ac craſſiſsimis parietibus vndique ſeptum, audiri ſonum externum, maximè ſi pulſatur paries; videtur manifeſtè conuincere, terram; & alia corpora denſiſsima, etſi magis difficilè; quàm aer, & aqua recipiant in ſe ſpecies intentionales ſoni; non tamen eſſe ſimpliciter inepta ad illas recipiendas; & conſequenter non eſſe ſimpliciter, & abſolutè reijcienda à ratione medij,

dij, per quod ſonus immutare intentionaliter poteſt auditū. Neque obſtat, quòd Ariſtoteles intermedia, per quę auditur ſonus, ſolùm aerem, & aquam enumerauerit; nam Ariſtoteles ſolùm media communia, & vſitata enumerauerit; cætera autem minùs communia, & vſitata non excluſit; aliàs excluſiſſet omnes liquores, imò & ipſum ignem, nam nullum ex his intermedia, quibus fieri poteſt auditio ſoni, recenſuit.

16 Dicendum nihilominus eſt cum communi ſententia, dari poſſe corpora, ſiue terrea, ſiue alterius materiæ, ita denſa, vt ſimpliciter inepta ſint ad recipiendas ſpecies intentionales ſoni: & conſequenter ad eſſe medium, per quod ſonus intentionaliter immutet auditum: itaque abſolutè non aſſero terram, & alia corpora, quæ communiter dicuntur denſa, eſſe ſimpliciter incapacia recipiendi in ſe ſpecies intentionales ſoni, quia hæc communiter non ſunt ſummè denſa, cum aliquam raritatem admittant; ſed quòd huiuſmodi corpora poſſunt aliquando ad tam ſummam denſitatem peruenire, vt ſimpliciter ſint incapacia ſuſcipiendi in ſe ſpecies intentionales ſoni.

17 Ratio à priori eſt, quia raritas in ſubiecto eſt conditio ſimpliciter requiſita ad hoc, vt ſit aptum recipere in ſe ſpecies intentionales ſoni, vt manifeſtè conuincit experientia, qua experimur, tanto aliquod ſubiectum eſſe magis aptum ad recipiendas in ſe ſpecies intentionales ſoni; quanto magis rarum eſt, & tanto magis ineptum, quanto magis denſum eſt: ſed dari poſſunt corpora, ſiue terrea, ſiue alterius materiæ, ita denſa, vt omnem raritatem excludant (licet rariſsimè hoc contingat) ergo huiuſmodi corpora ſimpliciter erunt inepta recipiendo in ſe ſpecies intentionales ſoni; & conſequenter ad eſſe medium, per quod ſonus intentionaliter immutet auditum.

18 Experientia autem in contrariū adducta, qua experimur intra cubiculum, denſiſsimis, ac craſiſsimis parietibus vndique ſeptum audiri ſonum externum, maximè ſi pulſetur paries, non ſolùm non militat cōtra nos; ſed reſolutioni noſtræ fauet; dicimus enim in dicto caſu audiri ſonum; quia prædicti parietes, etſi comparatione facta ad alia corpora rara, appellari ſolēt denſiſsimi, & craſſiſsimi; re tamen vera, non ſunt ita denſi, & craſsi, vt omnē raritatem excludant; nam ſi excluderent omnē raritatē, prædictus ſonus minimè audiretur; nam vt dictum eſt, raritas in ſubiecto eſt conditio ſimpliciter requiſita ad hoc, vt poſsit in ſe recipere ſpecies intentionales.

19 Eſt autem aduertendum, ad

Digitized by Google

ad raritatem non requiri, quòd corpus, quod dicitur rarum, includat in ſe aliquos poros; tum quia ignis, & aer corpore rariſsimi ſunt, & tamen in ſe nullum porum admittunt. Tum etiam, quia raritas qualitas eſt; pori autem qualitates non ſunt: quod notanter aduerto; quia vidi plures laborare ad ſoluendam experientiã ſupra factam in inueſtigandis poris in parietibus plenis aere, in quibus ſpecies intentionales ſoni recipiantur; quia putant, prædictas ſpecies non poſſe recipi in partibus parietis ſolidis; ſed inaniter laborant; quia raritas illa parua, ratione cuius parietes aliqualiter ſunt capaces recipiendi ſpecies intentionales ſoni, non in ſolis poris (ſi fortè dantur) ſed in toto pariete reperitur; & ita ſpecies intentionales ſoni in toto pariete recipiuntur, magis, vel minus intensè iuxta maiorẽ, vel minorem raritatem ipſorum parietum.

QVÆSTIO IV.

Quodnam ſit organum auditus?

1 PRO reſolutione nota, in qualibet aure præter externam auriculam, eo fine datam à natura, vt ab externis contrarijs aliquo modo auditus defendatur, non ſecus, ac datæ ſunt oculis palpebræ: & præter quandam ſtrictam cauitatem habentem plures amfractus eo fine, vt aer externus in illis confractus non facilè ad finẽ illius ſtrictæ cauitatis peruenire poſsit, dari in extremitate prædictæ cauitatis, veluti quoddam tympanum conflatum ex pellicula quadam, quæ dicitur myringa, & ex ſubſtãtia quadam ſpirituoſa incluſa in prædicta pellicula, quæ ſubſtantia, etſi immobilis ſit, & cum reliquis partibus ſolidis continua, informeturque anima; eſt tamen adeò ſubtilis, & aerea, vt aeri comparetur; imò aer animatus ſoleat appellari. Inſuper cuilibet ex his tympanis infixus eſt quidam neruus deſcendens ab interiori parte cerebri, in qua reſidet ſenſus communis (quemadmodum oculis affixi ſunt nerui optici) per quem neruum deſcendunt ſpiritus ſenſitiui, ſeu animales à cerebro ad auditum, & aſcendunt ſpecies rerum, quæ audiuntur, ad ſenſum communem.

2 His ſuppoſitis, tenèndum eſt cum vera, & communi ſententia, organum, in quo potentia auditiua reſidet, eſſe tympanum illud, potiſsimè quoad ſubſtantiam illam ſpirituoſam, & aeream intus incluſam; ita Ariſtoteles libro de *ſenſu, & ſenſibili* cap. 2. & 2. *de partibus animalium*, cap. 10. & Galenus libro 8. *de vſu partium* cap. 6. Ratio eſt, quia in illa ſubſtantia ſpirituoſa, maximè, & præci-

cipuè concurrunt conditiones ad organum potentiæ auditiuæ requiſitæ; nam in ipſa magis prædominatur aer, quā in alijs partibus, quæ eſt conditio ad oganum potentiæ auditiuæ ſummè requiſita, & eſt pars præcipua auris, cum cæteris partibus ſit contecta, & eas quaſi pro muris habeat; & denique ſit maximè apta ad recipiendas ſpecies intentionales ſoni, quæ omnia ſatis congruenter oſtendunt, naturam ibi potentiam auditiuam conſtituiſſe.

3 Solum contra prædicta militare poſſet id, quod Suarez libro 3. de anima, cap. 22. refert ex Veſalio lib. 1. *de fabrica hominis*, c. 8. & Valuerde lib. 1. c. 3. ſcilicet, in ſciſionibus, & diuiſionibus anatomicis, etſi appareat illa pars, quam tympanum appellamus; non tamen apparere ſubſtantiam illam ſpirituoſam, & aeream, in qua organum potentiæ auditiuæ conſtituimus. Sed ad hæc benè reſpondet ipſe Suarez, hoc contingere, quia diſſoluto à corpore animo, pars illa ſubſtantiæ ſpirituoſa, & aerea facillimè diſsipatur, & non ſubſiſtit. Vndè licet experimento anatomiæ non ſit cognita, non ideo neganda erit, cum ratio conuincat, organum auditus debere eſſe aereum: cætera verò, quæ in auribus reperiuntur, terreſtria ſint.

4 Demum aduertendum eſt ex Ariſtotele libro 4. de *hiſtoria animalium*, cap. 8. in quibuſdā animalibus imperfectis auditum conſtitui non in capite, ſed in medio corpore, neque in eis prominere aures, ſed tantùm dari quemdam anfractum, cuius foramen extrinſecus videtur. Imò in quibuſdam imperfectioribus, adhuc non apparere locum determinatum auditus, vt etiam docuit idē Ariſtoteles loco citato c. 12. ſed quidquid ſit de iſta differentia, in omnibus tamen, quæ verè audiunt, debet reperiri ſubſtantia illa ſpirituoſa, & aerea, proportione debita, in qua organum auditus conſtituimus.

DISPVTATIO NONA.

De olfactu.

DE olfactu agit Ariſtoteles cap. 9 huius libri, & priuſquā de guſtu, & tactu, quia eſt ſenſus præſtantior illis, cum minùs materialis ſit, & in maiori diſtantia ſuum percipiat obiectum. Tria autem de olfactu ſunt in præſenti examinanda. Primum, *quid ſit odor*, qui ſecundum omnes eſt ob-

Digitized by Google

obiectum per ſe,& adæquatum olfactus? Secundum, *quomodo, & per quod medium odor olfactum immutet?* Tertium, *quod ſit olfactus organum?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit odor?

1 ODorem eſſe ſubſtãtiam, nimirum, vaporem illum, ſeu fumoſam exhalationem, quam res odoriferæ ſpirant, tenuerunt Plato in Timæo, Galenus libro *de inſtrumento olfactus*; Auicena libro 6. *naturalium parte 2. cap. de odore*; & plures alij ex Philoſophis antiquis; & videtur eis fauere Ariſtoteles, dum ſectione 13. problematum, quæſt. 5. docet, odorem eſſe exhalationẽ quãdam: & ratio pro hac ſententia deſumi poteſt, ex eo quòd odor deſervit ad confortandum cerebrum ex Ariſtotele libro de ſenſu, & ſenſibili cap. 5. imò deſervit ad nutrimentum ſpirituum vitalium, & animalium, vt docet Galenus 2. aphoriſmorum; ſed ſola ſubſtantia hæc præſtare poteſt, ergo odor ſubſtantia eſt.

2 Sed in hac re dico primò; odor non eſt ſubſtantia, nimirum, vapor ille, ſeu fumoſa exhalatio, quam res odoriferæ ſpirant; ſed eſt accidens, tam in rebus odoriferis, quàm in prædictis vaporibus, ſeu exhalationibus inhærens, ſpectans ad tertiam ſpeciem qualitatis, quæ dicitur paſsio, ſeu paſsibilis qualitas: eſt concluſio ab omnibus Peripateticis, tam veteribus, quàm iunioribus recepta. Et in primis non eſſe ſubſtãtiam, conuincitur ex eo, quòd ſubſtantia nõ eſt per ſe ſenſibilis; odor verò per ſe ſenſibilis eſt à ſenſu olfactus: deindè eſſe accidens ſpectans ad tertiam ſpeciẽ qualitatis, indè oſtẽdo, quia odor non ſolùm eſt per ſe ſenſibilis, ſed eſt per ſe ſenſibilis primò: qualitates autẽ, quæ ſunt primò per ſe ſenſibiles, collocandas eſſe in tertia ſpecie qualitatis ex quatuor enumeratis ab Ariſtot. patet ex dictis in Logica capite de qualitate, diſp. vnica, quæſt. 2. à num. 9.

3 Neque ea, quæ adducta ſunt in contrarium, alicuius ſunt ponderis. Ad Ariſtotelem dicimus appellare odorẽ halitũ, ſeu exhalationem, nõ formaliter, ſed ſubiectiuè; quia magna ex parte in halitu, ſeu exhalatione ineſt, ab eiſque defertur. Ad rationẽ reſpondemus, confortare cerebrum, & nutrire ſpiritus vitales, & animales non cõpetere omnibus odoribus, ſed ali-

Digitized by Google

aliquibus, & his non ratione ſui, ſed ratione fumoſæ exhalationis, in qua deferuntur, quæ cum ſubſtantia ſit, optimè poterit hæc omnia præſtare diſpoſita per odorem.

4 Dico ſecundò; odor non eſt aliqua ex primis qualitatibus; ſed inter ſecundas qualitates eſt enumerandus; reſultat enim in corporibus miſtis ex miſtione primarum qualitatum dominante ſiccitate, calore humidum decoquente: ita docet Ariſtoteles cap. 9. huius libri, & latius, & vberius libro de ſenſu, & ſenſibili cap. 5. & quod non ſit inter primas qualitates enumerandus, probat; quia nullum ex elementis puris odorem habet; haberet autem, ſaltem aliquis eorum, ſi odor qualitas prima eſſet. Quòd autem enumerandus veniat inter ſecūdas qualitates, conuincitur ex eo, quòd odor in miſtis reſultat ex miſtione, id eſt, ex actione, & reactione, primarum qualitatum; quod eſt proprium ſecundarum qualitatū, in qua actione, & reactione ſiccitas, & humiditas, cū ſint qualitates magis paſſiuæ, quàm actiuæ, ſe habent quaſi materia; caliditas verò, & frigiditas, cum ſint magis actiuæ, quàm paſſiuæ, ſe habent, vt cauſæ effectiuæ. *Additur dominante ſiccitate, calore humidum decoquente*, ad diſtinguendum odorē à reliquis ſecundis qualitatibus, & ſpecialiter à ſapore, cum quo odor habet maximā affinitatē. Licet enim ſapor, & odor in hoc conueniant, quod vtrique fiat ex ſicco, & humido; ſed cum hoc diſcrimine, quòd in ſapore vincit humidum; in odore verò ſiccum, ratione caloris humidum decoquentis.

5 Porrò odorem generari, nō ex quacumque primarū qualitatum miſtione; ſed ex illa tantùm, in qua ſiccitas exuperat humiditatem, calore humiditatem decoquente, probant experientiæ, quibus experimur, res odoriferas magis redolere, eo quòd calor extrinſecus magis excitat, & auget ſiccitatem, decoquēdo, & ſubtilizando humiditatem: & ſimiliter, quod aridi, & feruidi terrarum tractus, vt Arabiæ, & Syriæ ſunt optimorum odorum feraciſſimi. Et inſuper quòd res odoriferæ, ſi nimium humectentur, inodoratæ redduntur; ideòque in Ægypto flores minimè odorati ſunt, quia incubat illis roſcidus, & nebuloſus aër à Nilo flumine. Et è contrario roſa ſerenis diebus collecta maiorem odoris fragrantiam reddit. Et demum terra poſt diuturnam ſiccitatē, cum primùm cōpluitur, odorata fit, ſed nō ita, cum diu maduit; tunc enim non ſiccitas, ſed humiditas præualet.

6 Sed obijciet aliquis; vnus, idemque cibus ſecundum eandem partem ſapidus eſt, atque odoratus; ſed ſapor fit ex humido,

mido,& ſicco,humido prædominante: ergo non rectè dicimus,odorem fieri ex humido, & ſicco, prædominante ſiccitate;aliàs in eadem parte ſubiecti eſſet ſiccum, & humidum excellens,quod repugnat.Reſpondetur,negari non poſſe cũ ſuavi odore aliquando iucundum ſaporem inueniri;ſed maiori ex parte oppoſitum contingere, præſertim ſi ſermo ſit de ſuaviſſimis odoribus, ad quos,vt ad rem præſtantiorem in ſuo genere,reſpicere oportet,cum de odorum natura iudicamus. Quòd ſi aliquando in eodẽ cibo ſimul ſapor,& odor in gradu excellẽti reperiuntur, hoc prouenire,quia in prędicto cibo ſunt partes,etſi heterogeniæ,ſubtiliſſimè commiſtæ,& quarũ aliquibus prædominatur ſiccitas,& eſt odor;in alijs verò humiditas,& eſt ſapor;& ſic vitatur repugnantia.

7 Ex dictis aliqua poſſumus inferre, ex quibus natura odoris magis patefiat. Primum eſt, odorem non eſſe qualitatem productiuam ſui ſimilis; aliàs non poſſet inter ſecundas qualitates enumerari, cum nulla ex ſecũdis qualitatibus ſit productiua ſui ſimilis,vt videre eſt in coloribus,grauitate,leuitate,&c.Et ratio à priori eſt,quia neque odor, neque quæcumque alia ſecunda qualitas potentes ſunt producere temperamentum primarum qualitatum,ex quo reſultant.

8 Neque obſtat, quod obijcit Arriaga,ſequens oppoſitam doctrinam,nimirum,electrum relinquere odorem ſui in manibus,& vaſe,in quo cõſeruatur,tam tenaciter,vt etiamſi lauentur,remaneat.Nam reſpõdetur,hoc non prouenire,quia odor electri producat,ſeu generet in manibus, ſeu in vaſe alium ſimilẽ odorem;ſed quia aliqua pars, vel ſaltem aliqua exhalatio electri, in quibus ſubiectatur odor electri,relinquitur in manibus,vel vaſe,& in poris eorum,ita firmiter adhærens, vt vna, vel altera lotione aboleri non poſsit.

9 Secundum eſt,odorem non eſſe ſpeciem infimam,ſed ſubalternam,habentem ſub ſe plures ſpecies odoris, cum experiamur,diuerſos odores diuerſas habere proprietates, & diuerſa etiam requirere temperamenta, quæ ſine diuerſitate in ſpecie contingere nõ poteſt. Verum cũ pro hoc ſtatu cognitio noſtra à ſenſibus oriatur,& ex alia parte, propter hebetudinem ſenſus olfactus valdè tenuiter, & remiſsè olfaciamus, nec niſi odores,qui vehementer organum olfactus pulſant, exactè percipiamus;hinc fit,vt odorum differentias intrinſecas,& eſſentiales minùs teneamus;imò quòd eas nõ proprijs ſignificemus vocabulis, ſed translatitijs,& à ſaporibus,cum quibus odores magnam affinitatem habent, mutuatis: ſicut

enim ſpecies ſaporum, ita & ſpecies odorum nuncupamus odores acutos, acerbos, graues, & ſuaves. Odor acutus dicitur, qui celeriter, ac fortiter ſine faſtidio ſenſum olfactus ferit. Acerbus, qui cum quadā mordacitate pūgit. Grauis, qui ſegniter, ac parùm mouet; vel qui ob denſiorem fragrantiam, vt odor artemiſiæ, vel ob fœtidum halitum nares offendit. Suauis, qui leniter gratus, ac iucundus eſt.

10 Tertium, & vltimum eſt, odorem non ſolū habere latitudinem extenſiuam, quā, ſicut & cæteræ qualitates materiales, recipit à quātitate ſubiecti, in quo inhæret; ſed etiā habere latitudinem intenſiuam, cū experiamur eandē rem odoriferā, modò magis, modò minùs immutare potentiam olfactus; quod contingere nō poſſet, niſi odor in ea exiſtens, intēſionis, & remiſsionis capax eſſet.

QVÆSTIO II.

Quomodo, & per quod medium odor olfactum immutet?

1 Egimus de odore realiter ſumpto, & in quantum quædam qualitas eſt; reſtat, vt de ipſo agamus ſumpto intentionaliter, & in quantū eſt obiectum motiuum olfactus; & in hoc ſenſu duo inquirimus; primum, quo modo immutet olfactum? ſecundum, per quod medium illum immutet?

2 Circa primum Auicena 6. naturalium, part. 2. cap. 5. Galenus, & alij, qui, vt vidimus diſp. 5. q. 1. abſolutè negāt, dari ſpecies intentionales ſenſibiles, & ſimiliter Arriaga, qui, etſi admittat dari ſpecies intentionales ſenſibiles, ad videndum, & audiendum requiſitas; negat tamen diſput. 4. de anima ſect. 1. ſubſectione 5. dari prædictas ſpecies in olfactu, guſtu, & tactu; conſequenter dicunt ad olfactionem ſimpliciter eſſe neceſſarium, quod odor ſecundum ſuum eſſe reale, quod habet in illa fumoſa euaporatione, ſeu exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, diffundatur vſque ad olfactum, & illum immutare, non ſecundum aliquod eſſe intentionale, ſed ſecundum ſuum eſſe reale; & probant.

3 Primò experientia, qua experimur, graues odores ob eximiam ipſorum fragrātiam, vel fœtorem, ſtatim, ac ſentiuntur ab olfactu, lædere organū, imò & cerebrum: ergo ideo euenit, quia cum olfacimus odores, non ſecundū ſpecies intentionales, quæ prædictos effectus nullatenus cauſare poſſunt, ſed potiùs ſecūdum ſuum eſſe reale immutant olfactum.

4 Secundò, quia etiā experimur, vento in contrariū flante, olfactionē impediri: & ſimiliter ſemel extracta fumoſa illa exhalatione, in qua reſidet odor, odorificationem eius

retardari, quorum neutrũ eſſet poſsibile, ſi odor per ſolas ſpecies intentionales immutaret olfactum; quia neque iſtæ poſſunt à vẽto flante impediri, neque productio ipſarum retardari, cum producantur in inſtanti: ergo dicendum apparet, odorem, non per ſpecies intẽtionales ſui; ſed per ſuum eſſe reale, quod habet in fumoſa euaporatione, ſeu exhalatione potentiam olfactus immutare.

5 Nos autem, qui cum Ariſtotele, Scoto, & alijs Peripateticis diſp.5. quæſt.1. citatis ſtatuimus, non ſolùm dari ſpecies intentionales in omnibus ſenſibus exterioribus; ſed etiam huiuſmodi ſpecies intentionales eſſe ſimpliciter requiſitas ad hoc, vt ſimul cum potentia, vt duæ cauſæ partiales eſſentialiter ſubordinatæ ad ſenſationem eliciendam concurrant; conſequenter dicimus, etſi aliquãdo contingat, odorem ſecundũ ſuum eſſe reale, quod habet in fumoſa illa euaporatione, ſeu exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, vſque ad olfactum diffundi; nihilominus hoc non eſſe ad olfaciendum neceſſarium; ſed ſimpliciter, & in omni euentu requiri, quòd odor perueniat ad olfactum, illũque immutet ſecundum ſuum eſſe intentionale, id eſt, per ſpecies intentionales à ſe immiſſas: ita Auerroes textu 97. huius libri, & ibidem D.Thomas, & in 2. diſt.2. quæſt.2. artic.2. ad 5. & quam plures alij, quos refert, & ſequuntur Conimbricenſes hic quæſt.3. artic.1. & Suarez lib.3. de anima cap.24.

6 Probari poteſt primò ex pe-rientia, qua experimur, ſenſationem odoris fieri à longa diſtantia: de vulture enim ſcriptores produnt, olfacere ad quinquaginta milliaria: eſt autẽ incredibile, fumoſam illã euaporationẽ, ſeu exhalationem, in qua ſubiectatur odor, ita lõgè poſſe diffundi, præſertim cũ odor orbiculariter, id eſt, verſus omnẽ partem in ſphærã diffundatur: profectò etſi integra cadavera in rariſsimam materiam reſoluerentur, non poſſent tantum ſpatiũ exhalationibus replere.

7 Secundò, alia experientia, qua experimur piſces etiam ex longa diſtantia cibum olfacere; quod aliter fieri non poteſt, niſi quia per ſpecies intẽtionales ciborũ olfactus piſcium intentionaliter mouẽtur; nõ verò per odorẽ realem; quia iſte ſolũ exiſtit in cibis, qui lõgè, vt ſupponimus, diſtãt à piſcibus. Neque obſtat, ſi reſpondeas, odorẽ etiã realiter exiſtere in fumoſis exhalationibus, quas ſpirant cibi; quia exhalatio odorifera non poteſt in aqua conſeruari propter frigiditatem, & humiditatem, vt docet Ariſtoteles *de ſenſu, & ſenſibili*, cap.5.

8 Tertiò, quia ſi ad olfactionẽ ſemper eſſet neceſſarium, quòd odor ſecũdum eſſe reale, quod habet in illa fumoſa exhalatione,

tione, immutet olfactum, cum iſta fumoſa exhalatio, nec ſit aër, neque aqua, ſed alia diuerſa ſubſtantia; ſequeretur, neque aërem, neque aquam eſſe medium ad ſenſationē odoris, cōtra ea, quæ docet Ariſtoteles cap. 9. huius libri: imò ſequeretur, quòd nullū eſſet medium extrinſecum ad ſentiendū odorem, ſemperque ſentiretur per cōtactum phyſicum inter rem odorabilem, & olfactum; eſſetque olfactus quidā tactus, ſicut de guſtu aſſeruit Ariſtoteles in hoc 2. de anima, cap. 10.

9 Ad primam experientiā ex adductis in contrariū communis ſolutio eſt, probare quidem id, quod docuit Ariſtoteles *de ſenſu, & ſenſibili* cap. 5. & nos, vt certum in noſtra ſententia ſuppoſuimus, ſcilicet, aliquando contingere, odorem ſecūdum ſuum eſſe reale, quod habet in fumoſa illa euaporatione, ſeu exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, diffundi vſque ad olfactum; non tamen cōuincere, hoc eſſe ad olfaciendū neceſſarium. Poſſumus nos addere, etiam in caſu, quòd odores magnæ fragrantiæ, vel fœtoris non attingerent ſecundū ſuum eſſe reale olfactum; ſed ſolùm ſecundum eſſe intentionale, & per ſpecies, poſſent optimè ſpecies intentionales lædere, tam olfactum, quàm cerebrum, licet non per ſe, ſaltem per accidens, nimirū; quia ſpecies intētionales, quando ſunt valdè intenſæ, quaſi rapiunt, ſeu excitāt potentiam ad valdè intenſam operationem; & conſequenter potentia attrahit ad ſe plures ſpiritus vitales, qui nimio calore organum potentiæ, imò & ipſum caput lædunt.

10 Ad alias experientias n. 4. adductas reſpondemus, flante vento in contrarium impedirī olfactionem, non quia ventus contrarius impediat, ne odor, qui reſidet in fumoſa illa exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, deſinat emittere ſpecies intentionales ſui in tota ſphæra ſuæ intētionalis actiuitatis; ſed quia ſphæra actiuitatis intentionalis odoris, quæ limitata, & determinata eſt, ſemper cōcomitatur ipſum odorem, eſtque ab illo inſeparabilis. Vndè ſicut vento flante in contrarium elongatur ab his, qui antè olfaciebant; illa fumoſa exhalatio, in qua reſidet odor, & conſequenter ipſe odor, ita etiam elongatur ſphæra actiuitatis intentionalis odoris, & ſic qui antè olfaciebant, quia erant intra ſphæram actiuitatis intentionalis odoris, deſinunt olfacere; quia vento flante in contrarium, relinquuntur extra illam: ſimiliter iam extracta exhalatione fumoſa, in qua reſidet odor, olfactionem odoris retardari, non quia retardetur productio ſpecierum intentionalium odoris, quia cum fiat in inſtāti, eſt impoſsibile retardari; ſed quia contingere ſolet, quòd

quòd exhalatio illa fumoſa, in qua reſidet odor, ita ſit ſeparata ab olfactu, vt ſphæra actiuitatis intentionalis odoris illum non attingat, quovſque fumoſa illa exhalatio, in qua reſidet odor, à vẽto, vel ab alia cauſa approximetur ad potẽtiam olfactus, quæ approximatio, cũ ſit ſucceſsiua, requirit aliquã morã.

11 Circa ſecundum, quod inquirit quæſtio, ſcilicet, per quod mediũ odor intentionaliter immutet olfactum? Dicẽdum eſt cum Ariſtotele cap. 9. huius libri, & 4. *de hiſtoria animalium*, cap. 8. quem omnes Peripatetici ſequuntur, hoc mediũ eſſe tam aërem, quàm aquam: nos enim olfacimus per aërẽ, & piſces per aquam, vt experientia eſt compertum. Neque obſtat, quòd piſces in aqua degentes reſpiratione careant; nam reſpiratio, vt aduertit Ariſtoteles, ſolùm eſt neceſſaria ad olfactionẽ in animalibus, quæ habent organum olfactus abſconditum, & coopertum, ideſt, ita arctam ad illum viam, vt indigeat, reſpiratione dilatari; quod non habent piſces, & aquatilia, & plura etiam ex terreſtribus.

QVÆSTIO III.

Quod ſit organum olfactus?

1 OLfactui inſeruire naſum ijs animalibus, quæ reſpirant, eoque prædita ſunt, ſatis patet, & traditur ab Ariſtotele libro 1. *de hiſtoria animalium* cap. 11. & libro 5. *de generatione animalium* cap. 2. ea tamen animalia, quæ non reſpirant, & carent naribus, alia ſui corporis parte olfacere, aſſerit idẽ Ariſtoteles libro 2. *de partibus animalium* cap. 16. In qua autem parte ex pluribus, quæ reperiuntur intra naſum, olfactus, tanquam in organo reſideat, inter auctores dubium eſt; neque ibi determinauit Ariſtoteles.

2 Pro cuius reſolutione nota, naſum carne cartilaginoſa cõſtare, diſtinguique duobus foraminibus, inter poſita quadã cartilagine, quæ ab Ariſtotele 1. *de hiſtoria animaliũ* cap. 11. vocatur *interſeptum*. Ij meatus ex vna parte ad cerebrum vſque ducũtur, attingũtque duas cellulas, quæ ſunt in anteriori parte cerebri, appellanturque vẽtriculus cerebri. Ex alia verò ad finem palati flexuoſo circuitu exeunt. Hæc foramina, vt à ventriculo cerebri deducantur, deſeruiunt ad emittenda, & emugenda eius excrementa. Item cum ad palatum, & inde ad gutur deuiant, deſeruiunt reſpirationi, & ſimiliter pro ſenſu odoratus ſunt patens via, vt odores, ſeu ſpecies intentionales ipſorum ad ſenſum olfactus, ſeu odoratus ſine impedimento perueniant.

3 Rurſus in ſummitate naſi propè oculorum concava re-

peritur quoddā os ſpongioſum, & foraminoſum, in quo ſimul coniunguntur ſupradictæ foraminum viæ ad cerebrū, ad palatum, & ad nares, iuxta hoc os reperiuntur ex vtroque latere duæ carunculæ ſimiles extremitatibus mammilarum, quæ ideò carunculæ mammilares appellantur. Denique ſicut in alijs ſenſibus, ita in hoc adſunt duo nervi à cerebro vſque ad carūculas mammilares, & per eos deſcēdunt ad carūculas ſpiritus vitales, & ſimiliter emittūtur ad ſenſum cōmunem ſpecies intentionales odorum, qui per olfactum percipiuntur.

4 Addunt præterea aliqui in animalibus, quæ reſpirant, præſertim in homine ex mēte Ariſtotelis hoc in libro tex. 100. & libro *de ſenſu, & ſenſibili*, cap. 5. inueniri quoddam operculum ſupra carunculas mammilares, quod per reſpirationem, ſeu inſpirationem debet eleuari, vt ſentiātur odores. Sed quia vſus anatomicæ artis tale operculū non reperit, Galenus libro de olfactu hac de re Ariſtotelē reprehendit: ſed vt annotarunt Conimbricenſes cap. 9. quæſt. 4. art. 3. & Toletus quæſt. 26. Ariſtoteles nomine operculi non intellexit aliquam tunicā diſtinctam à rebus enumeratis, & ſic non mirum, quòd talis tunica vſu anatomicæ artis non inueniatur; ſed nomine operculi, quod ad olfactionem per inſpirationem debet eleuari, ſolùm indicare voluiſſe carunculas mammilares, quæ ſunt (vt ſtatim dicam) in quibus olfactus reſidet, cum ſint ſpōgioſæ, & poroſæ, ante inſpirationem eſſe conſtrictas, habereque poros, quaſi occluſos, & ſic ad olfaciendum requiri inſpirationem, vt ipſa media dilatētur, & pori earum, quaſi aperiantur, vt pateat aditus ad ingreſsionem, vel odoris, vel ſpecierum intentionalium odoris.

5 Ad rem ergo: Pater Suarez 3. libro de anima cap. 25. attribuit Galeno 8. *de vſu partium*, & libro *de inſtrumento odoratus*; Auicenæ 6. *naturalium*, part. 1. cap. 5. Alberto 2. de anima, capite 26. ſententiam, quæ aſſerit, organum olfactus in ventriculis cerebri reſidere: ſed Toletus refert Galenum pro ſententia communi: & ſimiliter Conimbricenſes cap. 9. quæſt. 4. art. 2. referunt pro ſententia communi Auicenam 5. Fen. 3. & magnum Albertum 2. parte ſummæ de homine, tractatū de olfactu. Econtrario Auerroes 2. collect. cap. 17. & Magneſius libro *de ſenſu particulari*, cap. 22. affirmant, per cartilagines narium deriuari nervos, & in his conſiſtere organum, ſeu ſenſorium olfactus. Et demum Vaſolius libro 4. cap. 3. quem aliqui moderni ſequuntur, exiſtimat, organum olfactus conſiſtere in illo oſſe ſpōgioſo, & foraminoſo, quod eſt iuxta carunculas mammilares,

Digitized by Google

res,quod per inſpirationem dilatatur, ſeu aperitur,& ceſſante inſpiratione, comprimitur, & quaſi clauditur.

6 Communis tamen, & ferè ab omnibus recepta ſententia, & cui libenter ſubſcribo, docet, organũ, in quo reſidet ſenſus olfactus, eſſe carũculas mãmilares,cui ſententię valdè fauet Ariſtot. (etſi de hac re ſatis obſcurè loquatur) nam cap.2. de ſenſu,& ſenſibili ait, inſtrumẽtum odoratus eſſe circa cerebrum,& libro 2.*de generatione animalium*,cap.4.docet,habere illud originem à cerebro;nam carunculæ mammilares propè cerebrum conſiſtunt,& ab eo propagantur.

7 Probari autem poteſt hæc noſtra,& communis ſententia; primò, quia organum olfactus non poteſt in ventriculis cerebri reſidere, neque etiam in nervis, qui per cartilagines narium derivãtur,nec in illo oſſe ſpõgioſo,& foraminoſo, quod eſt iuxta carunculas mammilares:ergo à ſufficienti partium enumeratione fatendum erit, reſidere in carunculis mammilaribus;nam in illis nervis,qui deſcendunt à ventriculis cerebri vſque ad carunculas mammilares,cum deſerviãt ad hoc, vt per illos deſcendant à cerebro ſpiritus vitales ad organum olfactus,& per illos aſcendant ad ſenſum communem ſpecies intentionales odorum,qui per olfactum percipiuntur, nullus aſſeruit organum olfactus reſidere. Conſequentia eſt legitima; antecedens probari poteſt inductione,& per ſingulas partes diſcurrendo.

8 Et in primis organum olfactus non poſſe reſidere in vẽtriculis cerebri, vt aſſerebat Galenus,optimè probat Auerroes ex eo,quòd cerebrum,& quæ, cumque illius pars, eſt expers ſenſus,vt docet Ariſtoteles lib. 2.*de partibus animalium*, cap. 2. fateturque ipſe Galenus 3. *de cauſis ſynthomatum*, vbi cerebrum organum nõ ſentiens appellat. Item cum in cerebrum cõmeant exhalationes odoriferæ,non ſecus,ac in ſtomachũ commeant cibi,neceſsè fuit,vt ſicut in palato, & lingua, quæ ſunt, quaſi ianua viæ,qua cibi deducuntur ad ſtomachũ,eſſet ſenſoriũ guſtus ad explorandũ, qui cibi ſunt congrui, vel incongrui ſtomacho,vt congrui admittantur,incongrui repellãtur:ita neceſsè fuit,vt in via, qua exhalationes odoriferæ deducuntur ad cerebrũ, antecedenter ad ipſum cerebrum cõſtitueretur aliquod organũ, in quo reſideret virtus olfaciendi, quæ exploraret, quæ exhalationes odoriferæ congruant cerebro, & quæ non,vt congruæ admittantur, incongruæ verò repellantur.

9 Deinde neque etiã poſſe reſidere in nervis,qui per cartilagines nariũ derivantur,vt ſuſtinebat Auerroes; non minus effi-

efficaciter oſtendit Galenus; primò, quia cum iſti nervi deriuentur, & deſcendant ad extimas vſque naſi oras, ſequeretur, rem odoriferam ijs admotam abſque inſpiratione mox ſentiri, quod eſt contra experientiam. Secundò, quia narium nervi inſtituti ſunt à natura, non ad olfaciendi, ſed ad tangendi munus, neque eandem temperiem tactus, & olfactus expoſtulant. Et demum tertiò, quia experimur, non ad oram naſi, ſed in abditiori aliquo receſſu nos odores percipere.

10 Nec tandem eſſe poſſe in oſſe illo ſpongioſo, & foraminoſo, quod reſidet iuxta carunculas mammilares, manifeſtè conuincitur ex eo, quòd oſſa ob concretionem terreſtrē, aut nihil, aut vix ſentire experimur: non ergo in prædicto oſſe virtus ſenſitiua olfactus reſidere poteſt.

11 Secundò probari poteſt noſtra, & communis ſententia poſitiuè, id eſt, oſtendendo in his carunculis mammilaribus maximè concurrere conditiones ad organum olfactus requiſitas. Nam imprimis ſunt iuxta cerebrum, & ab illo originem trahunt, quæ ſunt duæ conditiones ad organum olfactus ab Ariſtotele locis num. 6. citatis requiſitæ. Item cum ſint ſpongioſæ, & antè inſpirationem cōpreſſæ, & earum pori, quaſi cooperti, & occluſi, maximè aptæ ſunt ad hoc, vt per inſpirationem dilatētur, & pori earum aperiantur, & ſic pateat additus ad ingreſſum ſpecierum intētionalium odoris, qui mediante inſpiratione à ſenſu olfactus ſentitur. Demū, etſi in ſua ſubſtantia ſint organum diſtinctum à cerebro; tamen cum ab illo originem ducant quod ſummè frigidum, & humidum eſt, retinēt in ſe actu frigiditatem, & humiditatem cerebri, licet multo magis attemperatas, & in gradu remiſſiori, ac ſunt in cerebro, & cōſequenter ſunt in potentia ſiccæ, & calidæ, quæ eſt conditio ſimpliciter requiſita in organo olfactus ad hoc, vt eius obiectum, ſcilicet, odor, qui actu ſiccus, & calidus eſt, poſsit medijs ſuis ſpeciebus intentionalibus organum olfactus, ipſumque olfactum immutare; quia vt docuimus 1. libro de generatione, diſp. 6. quæſt. 4. cum Ariſtotele, & Scoto, nullum agēs poteſt agere in ſubiectum omninò ſimile, & vndequaque indifferens.

12 Nec video, quid obijci poteſt contra prædicta, niſi id, quod aliqui obijciunt, ſcilicet, organum olfactus non debere eſſe humidum, & frigidum, vt nos in vltimæ conditionis probatione ſupponimus. Nā Ariſtoteles de ſenſu, & ſenſibili cap. 2. affirmat, organum olfactus debere eſſe igneum. Sed ad hoc optimè reſpondet Diuus

Thō-

Digitized by Google

Thomas ſupra prædictum locum lectione 14. Ariſtotelem prædictis verbis non intendere in organo ſenſus ignem prædominari; aliàs ſibimet contrarius exiſteret, cum hoc in libro textu 130. ſuſtineat, ignem in nullo organo ſenſus prædominari; ſed quod intendit, eſt in actuali olfactione ignem prædominari; quia organum olfactus calefit à vapore odorifero, qui ſiccus, & calidus eſt.

DISPVTATIO DECIMA.

De guſtu.

DE guſtu, qui ſenſus præſtantior eſt actu, & ſi magnam affinitatem habeat cum illo, diſputat Ariſtoteles c. 10. huius libri. Nos autem tria de ipſo inueſtigabimus, quibus omnia, quæ neceſſaria ſunt ad cognitionem tam ipſius guſtus, quàm ſaporis, qui ab omnibus recipitur, vt obiectum per ſe, & adæquatum eius, aperiemus. Primum, *quid ſit ſapor, & quomodo immutet guſtum*? Secundum, *vtrum guſtus differat ſpecie à tactu*? Tertium, *quid ſit organum guſtus*?

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit ſapor, & quomodo immutet guſtum?

1 DE ſapore eodem modo philoſophandum eſt, ac in diſputatione præcedenti, quæſtione 1. philoſophati ſumus de odore, nimirum, non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens ſpectans ad tertiam ſpeciem qualitatis, quæ dicitur paſsio, ſeu paſsibilis qualitas: Item non eſſe inter primas, ſed inter ſecundas qualitates enumerandum, cum reſultet ex mixtione, & temperamento primarum qualitatum; ideoque, neque in aliquo puro elemento poſſe reperiri, neque eſſe productiuum per ſe alterius ſaporis ſibi ſimilis, habereque non ſolùm latitudinem extenſiuam, quam recipit à quantitate ſubiecti, in quo inhæret, ſed etiam intenſiuam, cum experiamur eandem rem ſaporoſam, modò magis, modò minus potentiam guſtus im-

immutare. Differt tamen ſapor ab odore, vt docuit Ariſtoteles libro de *ſenſu, & ſenſibili*, cap. 4. & ibidem D. Thom. lect. 10. & communiter auctores, quòd in temperamento primarum qualitatum, ex quo reſultat odor, ſiccitas exuperat humiditatem, vt diſput. præcedenti vidimus: at in temperamento primarum qualitatum, ex quo reſultat ſapor, humiditas aquea exuperare debet ſiccitatē terream: & hæc eſt ratio, cur ad dandum ſaporem rebus inſipidis vtimur rebus humidis, vt ſunt liquores.

2 Circa ſpecies ſaporis multa tradunt Galenus de *ſimpliciū medicamentorum facultatibus*, lib. 1. cap. 28. Plinius lib. 15. cap. 27. & Ariſtoteles *de ſenſu, & ſenſibili*, cap. 4. & quamuis non omnes conueniant in aſsignādo numerum earum, placet nobis ſententia Ariſtotelis, quā ſequuntur communiter auctores, qui in fine capitis decimi huius libri, ſpecies ſaporis capitalis, & ad quas omnes ſapores reduci poſſunt, ad octo ſpecies reduxit, quæ ſunt ſapor *dulcis*, cui opponitur *amarus*, tāquam extremus ſapor, non ſecus, ac inter colores opponuntur albus, & niger. Item ſapor *pinguis*, & ſapor *ſalſus*, qui etiāſi non ſint extremi; ſunt tamen circa extremos; nam pinguis eſt circa dulcē, & ſalſus circa amarum. Et denique ſapor *acer*, & ſapor *auſterus*. Sapor *acerbus*, & ſapor *accidus*, qui ſunt ſapores medij, non ſecus, ac inter colores ſunt *rubeus*, & *viridis*.

3 Circa ſecūdum, quod quærit quæſtio, nimirum, quomodo ſapor immutet guſtum? Vt certum ſupponendum eſt id, quod Ariſtoteles docuit, cap. 10. huius libri, & omnes Peripatetici cum ipſo, ſcilicet guſtum, & tactum in hoc differre ab alijs ſenſibus exterioribus, quòd medium, per quod alij ſenſus immutantur à ſuis proprijs obiectis, eſt animalibus ſentientibus extrinſecum, aer, ſcilicet, vel aqua: at medium, per quod ſenſus tam guſtus, quam tactus immutantur à ſuis proprijs obiectis, eſt ipſis animalibus ſentientibus intrinſecum. Nam in ſenſu guſtus, de quo in præſenti eſt ſermo, medium hoc eſt caro quædam interiecta inter organum guſtus, qui reſidet in lingua, vel palato, & externas eorum ſuperficies: ex quo prouenit, eſſe ſimpliciter neceſſarium ad hoc, vt ſapor immutet guſtum, quòd perueniat ſecundum ſuum eſſe reale, quod habet in re ſaporoſa, media ſaliua vſque ad contactum phyſicum illius carnis, quæ ponitur medium guſtus, quod per experientiam ſatis compertum eſt.

4 Sed dubitari poteſt, an poſtquam ſapor, qui eſt in re ſaporoſa, peruenit ſecundum ſuum eſſe reale vſque ad contactum phyſicum illius carnis, quæ poni-

nitur medium guſtus, ſit neceſſarium ad hoc, vt percipiatur à guſtu, quòd emittat ſpeciem intentionalem ſui in illum? Valleſius lib. 2. controuer. capite penultimo, & Arriaga diſp. 4. de anima ſect. 1. ſubſect. 5. affirmant, hoc non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere contactum prædictum cum carne, quæ eſt medium guſtus.

5 Sed auctores iſti immeritò hoc ſuſtinere conātur; primò, quia Ariſtoteles cap. 12. huius libri abſolutè de omnibus ſenſibus dixit, eſſe receptiuos formarum ſine materia, id eſt, ſpecierum intentionalium ſuorum obiectorum, ſiue hoc prǽſtēt per medium extrinſecum, vt præſtant in viſu, auditu, & olfactu; ſiue per mediū intrinſecum, vt contingit in guſtu, & tactu: ergo perperam hoc denegatur ſenſui guſtus.

6 Secundò, quia ad hoc, vt obiectum percipiatur à ſenſu, debet obiectum immediatè tāgere ſenſum, vel per ſe, vel per ſpeciem intentionalē ſui; aliàs non rectè diceret Ariſtoteles cap. 5. huius libri, ſenſus realiter pati à ſuis obiectis; ſed ſapor, qui eſt in re ſaporoſa per contactum ad illam carnem, quam ponimus mediū guſtus, non immediatè tangit ſenſum guſtus: ergo vt ab illo ſentiatur, neceſſariū erit, quod emittat per illam carnē ſpeciem intentionalē ſui, qua mediāte guſtus dicatur à ſapore pati, & tāgi; præſertim cū non poſsit excogitari alius modus, quo illū tangere poſsit, quia neque per ſe ipſum, cum accidens nō migret à ſubiecto in ſubiectu; neque per alium ſaporem realē, & eiuſdem rationis à ſe genitū; quia vt num. 1. dicebamus, ſapor eſt qualitas ſecunda; & cōſequenter incapax producendi aliam qualitatem eiuſdem rationis cum ipſa. Quibus omnibus adde, nullum ſenſibile poſſe per ſe ipſum, neque per aliud eiuſdem rationis cum ipſo immutare ſenſum ad ſenſationem ſui; quia, vt docet Ariſtoteles 12. capite huius libri, & nos in vltima diſputatione dicemus, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non valet facere ſenſationem.

QVÆSTIO II.

Vtrùm guſtus differat ſpecie à tactu?

1 PRima ſententia affirmat, guſtum, & tactum nō eſſe potentias eſſentialiter diuerſas, ſed ſolum accidentaliter, nimirum, quia tactus, qui eſt in lingua, & palato, ratione ſpecialis temperamenti, quod non participant tactus aliarū partium, potens eſt percipere, nō ſolùm qualitates tangibiles, vt ſunt caliditas, frigiditas, &c. ſed etiā ſapores: ita Ægidius in explicatione textus 103. & Paulus Venetus capite 10. huius libri: & fundantur in Ariſtotele, qui cap.

enim ſpecies ſaporum, ita & ſpecies odorum nuncupamus odores acutos,acerbos,graues, & ſuaves.Odor acutus dicitur, qui celeriter,ac fortiter ſine faſtidio ſenſum olfactus ferit. Acerbus,qui cum quadã mordacitate pũgit.Grauis,qui ſegniter,ac parùm mouet;vel qui ob denſiorem fragrantiam, vt odor artemiſiæ, vel ob fœtidum halitum nares offendit. Suauis, qui leniter gratus, ac iucundus eſt.

10 Tertium, & vltimum eſt, odorem non ſolũ habere latitudinem extenſiuam,quã,ſicut & cæteræ qualitates materiales,recipit à quãtitate ſubiecti, in quo inhæret;ſed etiã habere latitudinem intenſiuam,cũ experiamur eandẽ rem odoriferã, modò magis, modò minùs immutare potentiam olfactus; quod contingere nõ poſſet,niſi odor in ea exiſtens,intẽſionis, & remiſsionis capax eſſet.

QVÆSTIO II.

Quomodo,& per quod medium odor olfactum immutet?

1. EGimus de odore realiter ſumpto, & in quantum quædam qualitas eſt; reſtat, vt de ipſo agamus ſumpto intentionaliter,& in quantũ eſt obiectum motiuum olfactus;& in hoc ſenſu duo inquirimus;primum,quo modo immutet olfactum? ſecundum, per quod medium illum immutet?

2 Circa primum Auicenna 6. naturalium,part.2.cap.5. Galenus, & alij, qui, vt vidimus diſp.5.q.1.abſolutè negãt,dari ſpecies intentionales ſenſibiles,& ſimiliter Arriaga,qui,etſi admittat dari ſpecies intentionales ſenſibiles, ad videndum, & audiendum requiſitas; negat tamen diſput. 4. de anima ſect.1.ſubſectione 5. dari prædictas ſpecies in olfactu, guſtu, & tactu; conſequenter dicunt ad olfactionem ſimpliciter eſſe neceſſarium,quod odor ſecundum ſuum eſſe reale, quod habet in illa fumoſa euaporatione, ſeu exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, diffundatur vſque ad olfactum,& illum immutare,non ſecundum aliquod eſſe intentionale, ſed ſecundum ſuum eſſe reale; & probant.

3 Primò experientia,qua experimur,graues odores ob eximiam ipſorum fragrãtiam,vel fœtorem,ſtatim,ac ſentiuntur ab olfactu,lædere organũ,imò & cerebrum:ergo ideo euenit, quia cum olfacimus odores, non ſecundũ ſpecies intentionales, quæ prædictos effectus nullatenus cauſare poſſunt, ſed potiùs ſecũdum ſuum eſſe reale immutant olfactum.

4 Secundò, quia etiã experimur,vento in contrariũ flante, olfactionẽ impediri:& ſimiliter ſemel extracta fumoſa illa exhalatione, in qua reſidet odor, odorificationem eius

retardari, quorum neutrũ eſſet poſsibile, ſi odor per ſolas ſpecies intentionales immutaret olfactum; quia neque iſtæ poſſunt à vẽto flante impediri, neque productio ipſarum retardari, cum producantur in inſtanti: ergo dicendum apparet, odorem, non per ſpecies intẽtionales ſui; ſed per ſuum eſſe reale, quod habet in fumoſa euaporatione, ſeu exhalatione potentiam olfactus immutare.

5 Nos autem, qui cum Ariſtotele, Scoto, & alijs Peripateticis diſp. 5. quæſt. 1. citatis ſtatuimus, non ſolùm dari ſpecies intentionales in omnibus ſenſibus exterioribus; ſed etiam huiuſmodi ſpecies intentionales eſſe ſimpliciter requiſitas ad hoc, vt ſimul cum potentia, vt duæ cauſæ partiales eſſentialiter ſubordinatæ ad ſenſationem eliciendam concurrant; conſequenter dicimus, etſi aliquãdo contingat, odorem ſecundũ ſuum eſſe reale, quod habet in fumoſa illa euaporatione, ſeu exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, vſque ad olfactum diffundi; nihilominus hoc non eſſe ad olfaciendum neceſſarium; ſed ſimpliciter, & in omni euentu requiri, quòd odor perueniat ad olfactum, illũque immutet ſecundum ſuum eſſe intentionale, id eſt, per ſpecies intentionales à ſe immiſſas: ita Auerroes textu 97. huius libri, & ibidem D. Thomas, & in 2. diſt. 2. quæſt. 2. artic. 2. ad 5. & quam plures alij, quos refert, & ſequuntur Conimbricenſes hic quæſt. 3. artic. 1. & Suarez lib. 3. de anima cap. 24.

6 Probari poteſt primò experiẽtia, qua experimur, ſenſationem odoris fieri à longa diſtantia: de vulture enim ſcriptores produnt, olfacere ad quinquaginta milliaria: eſt autẽ incredibile, fumoſam illã euaporationẽ, ſeu exhalationem, in qua ſubiectatur odor, ita lõgè poſſe diffundi, præſertim cũ odor orbiculariter, id eſt, verſus omnẽ partem in ſphærã diffundatur: profectò etſi integra cadavera in rariſsimam materiam reſoluerentur, non poſſent tantum ſpatiũ exhalationibus replere.

7 Secundò, alia experientia, qua experimur piſces etiam ex longa diſtantia cibum olfacere; quod aliter fieri non poteſt, niſi quia per ſpecies intẽtionales ciborũ olfactus piſcium intentionaliter mouẽtur; nõ verò per odorẽ realem; quia iſte ſolũ exiſtit in cibis, qui lõgè, vt ſupponimus, diſtãt à piſcibus. Neque obſtat, ſi reſpondeas, odorẽ etiã realiter exiſtere in fumoſis exhalationibus, quas ſpirant cibi; quia exhalatio odorifera non poteſt in aqua conſeruari propter frigiditatem, & humiditatem, vt docet Ariſtoteles *de ſenſu, & ſenſibili*, cap. 5.

8 Tertiò, quia ſi ad olfactionẽ ſemper eſſet neceſſarium, quòd odor ſecũdum eſſe reale, quod habet in illa fumoſa exhala-

tione, immutet olfactum, cum iſta fumoſa exhalatio, nec ſit aër, neque aqua, ſed alia diuerſa ſubſtantia; ſequeretur, neque aërem, neque aquam eſſe medium ad ſenſationē odoris, cōtra ea, quæ docet Ariſtoteles cap. 9. huius libri: imò ſequeretur, quòd nullū eſſet medium extrinſecum ad ſentiendū odorem, ſemperque ſentiretur per cōtactum phyſicum inter rem odorabilem, & olfactum; eſſetque olfactus quidā tactus, ſicut de guſtu aſſeruit Ariſtoteles in hoc 2. de anima, cap. 10.

9 Ad primam experientiā ex adductis in contrariū communis ſolutio eſt, probare quidem id, quod docuit Ariſtoteles *de ſenſu, & ſenſibili* cap. 5. & nos, vt certum in noſtra ſententia ſuppoſuimus, ſcilicet, aliquando contingere, odorem ſecūdum ſuum eſſe reale, quod habet in fumoſa illa euaporatione, ſeu exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, diffundi vſque ad olfactum; non tamen cōuincere, hoc eſſe ad olfaciendū neceſſarium. Poſſumus nos addere, etiam in caſu, quòd odores magnæ fragrantiæ, vel fœtoris non attingerent ſecundū ſuum eſſe reale olfactum; ſed ſolùm ſecundum eſſe intentionale, & per ſpecies, poſſent optimè ſpecies intentionales lædere, tam olfactum, quàm cerebrum, licet non per ſe, ſaltem per accidens, nimirū; quia ſpecies intētionales, quando ſunt valdè intenſæ, quaſi rapiunt, ſeu excitāt potentiam ad valdè intenſam operationem; & conſequenter potentia attrahit ad ſe plures ſpiritus vitales, qui nimio calore organum potentiæ, imò & ipſum caput lædunt.

10 Ad alias experientias n. 4. adductas reſpondemus, flante vento in contrarium impediri olfactionem, non quia ventus contrarius impediat, ne odor, qui reſidet in fumoſa illa exhalatione, quam res odoriferæ ſpirant, deſinat emittere ſpecies intentionales ſui in tota ſphæra ſuæ intētionalis actiuitatis; ſed quia ſphæra actiuitatis intentionalis odoris, quæ limitata, & determinata eſt, ſemper cōcomitatur ipſum odorem, eſtque ab illo inſeparabilis. Vndè ſicut vento flante in contrarium elongatur ab his, qui antè olfaciebant; illa fumoſa exhalatio, in qua reſidet odor, & conſequenter ipſe odor, ita etiam elongatur ſphæra actiuitatis intentionalis odoris, & ſic qui antè olfaciebant, quia erant intra ſphæram actiuitatis intentionalis odoris, deſinunt olfacere; quia vento flante in contrarium, relinquuntur extra illam: ſimiliter iam extracta exhalatione fumoſa, in qua reſidet odor, olfactionem odoris retardari, non quia retardetur productio ſpecierum intentionalium odoris, quia cum fiat in inſtāti, eſt impoſsibile retardari; ſed quia contingere ſolet,

quòd

Digitized by Google

quòd exhalatio illa fumoſa, in qua reſidet odor, ita ſit ſeparata ab olfactu, vt ſphæra actiuitatis intentionalis odoris illum non attingat, quouſque fumoſa illa exhalatio, in qua reſidet odor, à vẽto, vel ab alia cauſa approximetur ad potẽtiam olfactus, quæ approximatio, cũ ſit ſucceſsiua, requirit aliquã morã.

11 Circa ſecundum, quod inquirit quæſtio, ſcilicet, per quod mediũ odor intentionaliter immutet olfactum? Dicẽdum eſt cum Ariſtotele cap. 9. huius libri, & 4. *de hiſtoria animalium*, cap. 8. quem omnes Peripatetici ſequuntur, hoc mediũ eſſe tam aërem, quàm aquam: nos enim olfacimus per aërẽ, & piſces per aquam, vt experientia eſt compertum. Neque obſtat, quòd piſces in aqua degentes reſpiratione careant; nam reſpiratio, vt aduertit Ariſtoteles, ſolùm eſt neceſſaria ad olfactionẽ in animalibus, quæ habent organum olfactus abſconditum, & coopertum, ideſt, ita arctam ad illum viam, vt indigeat, reſpiratione dilatari; quod non habent piſces, & aquatilia, & plura etiam ex terreſtribus.

QVÆSTIO III.

Quod ſit organum olfactus?

1 OLfactui inſeruire naſum ijs animalibus, quæ reſpirant, eoque prædita ſunt, ſatis patet, & traditur ab Ariſtotele libro 1. *de hiſtoria animalium* cap. 11. & libro 5. *de generatione animalium* cap. 2. ea tamen animalia, quæ non reſpirant, & carent naribus, alia ſui corporis parte olfacere, aſſerit idẽ Ariſtoteles libro 2. *de partibus animalium* cap. 16. In qua autem parte ex pluribus, quæ repeciuntur intra naſum, olfactus, tanquam in organo reſideat, inter auctores dubium eſt; neque ibi determinauit Ariſtoteles.

2 Pro cuius reſolutione nota, naſum carne cartilaginoſa cõſtare, diſtinguique duobus foraminibus, inter poſita quadã cartilagine, quæ ab Ariſtotele 1. *de hiſtoria animaliũ* cap. 11. vocatur *interſeptum*. Ij meatus ex vna parte ad cerebrum vſque ducũtur, attingũtque duas cellulas, quæ ſunt in anteriori parte cerebri, appellanturque vẽtriculus cerebri. Ex alia verò ad finem palati flexuoſo circuitu exeunt. Hæc foramina, vt à ventriculo cerebri deducantur, deſeruiunt ad emittenda, & emugenda eius excrementa. Item cum ad palatum, & inde ad gutur deuiant, deſeruiunt reſpirationi, & ſimiliter pro ſenſu odoratus ſunt patens via, vt odores, ſeu ſpecies intentionales ipſorum ad ſenſum olfactus, ſeu odoratus ſine impedimento perueniant.

3 Rurſus in ſummitate naſi propè oculorum concava re-

Digitized by Google

peritur quoddã os ſpongioſum, & foraminoſum, in quo ſimul coniunguntur ſupradictæ foraminum viæ ad cerebrũ, ad palatum, & ad nares, iuxta hoc os reperiuntur ex vtroque latere duæ carunculæ ſimiles extremitatibus mammilarum, quæ ideò carunculæ mammilares appellantur. Denique ſicut in alijs ſenſibus, ita in hoc adſunt duo nervi à cerebro vſque ad carũculas mammilares, & per eos deſcẽdunt ad carũculas ſpiritus vitales, & ſimiliter emittũtur ad ſenſum cõmunem ſpecies intentionales odorum, qui per olfactum percipiuntur.

4 Addunt præterea aliqui in animalibus, quæ reſpirant, præſertim in homine ex mẽte Ariſtotelis hoc in libro tex. 100. & libro *de ſenſu, & ſenſibili*, cap. 5. inueniri quoddam operculum ſupra carunculas mammilares, quod per reſpirationem, ſeu inſpirationem debet eleuari, vt ſentiãtur odores. Sed quia vſus anatomicæ artis tale operculũ non reperit, Galenus libro de olfactu hac de re Ariſtotelẽ reprehendit: ſed vt annotarunt Conimbricenſes cap. 9. quæſt. 4. art. 3. & Toletus quæſt. 26. Ariſtoteles nomine operculi non intellexit aliquam tunicã diſtinctam à rebus enumeratis, & ſic non mirum, quòd talis tunica vſu anatomicæ artis non inueniatur; ſed nomine operculi, quod ad olfactionem per inſpirationem debet eleuari, ſolùm indicare voluiſſe carunculas mammilares, quæ ſunt (vt ſtatim dicam) in quibus olfactus reſidet, cum ſint ſpõgioſæ, & poroſæ, ante inſpirationem eſſe conſtrictas, habereque poros, quaſi occluſos, & ſic ad olfaciendum requiri inſpirationem, vt ipſa media dilatẽtur, & pori earum, quaſi aperiantur, vt pateat aditus ad ingreſsionem, vel odoris, vel ſpecierum intentionalium odoris.

5 Ad rem ergo: Pater Suarez 3. libro de anima cap. 25. attribuit Galeno 8. *de vſu partium*, & libro *de inſtrumento odoratus*; Auicenæ 6. *naturalium*, part. 1. cap. 5. Alberto 2. de anima, capite 26. ſententiam, quæ aſſerit, organum olfactus in ventriculis cerebri reſidere: ſed Toletus refert Galenum pro ſententia communi: & ſimiliter Conimbricenſes cap. 9. quæſt. 4. art. 2. referunt pro ſententia communi Auicenam 5. Fen. 3. & magnum Albertum 2. parte ſummæ de homine, tractatu de olfactu. E contrario Auerroes 2. collect. cap. 17. & Magneſius libro *de ſenſu particulari*, cap. 22. affirmant, per cartilagines narium derivari nervos, & in his conſiſtere organum, ſeu ſenſorium olfactus. Et demum Vaſolius libro 4. cap. 3. quem aliqui moderni ſequuntur, exiſtimat, organum olfactus conſiſtere in illo oſſe ſpõgioſo, & foraminoſo, quod eſt iuxta carunculas mammilares,

Digitized by Google

res, quod per inſpirationem dilatatur, ſeu aperitur, & ceſſante inſpiratione, comprimitur, & quaſi clauditur.

6 Communis tamen, & ferè ab omnibus recepta ſententia, & cui libenter ſubſcribo, docet, organū, in quo reſidet ſenſus olfactus, eſſe carūculas mãmilares, cui ſententię valdè fauet Ariſtot. (etſi de hac re ſatis obſcurè loquatur) nam cap. 2. de ſenſu, & ſenſibili ait, inſtrumētum odoratus eſſe circa cerebrum, & libro 2. *de generatione animalium*, cap. 4. docet, habere illud originem à cerebro; nam carunculæ mammilares propè cerebrum conſiſtunt, & ab eo propagantur.

7 Probari autem poteſt hæc noſtra, & communis ſententia; primò, quia organum olfactus non poteſt in ventriculis cerebri reſidere, neque etiam in nervis, qui per cartilagines narium derivãtur, nec in illo oſſe ſpōgioſo, & foraminoſo, quod eſt iuxta carunculas mammilares: ergo à ſufficienti partium enumeratione fatendum erit, reſidere in carunculis mammilaribus; nam in illis nervis, qui deſcendunt à ventriculis cerebri vſque ad carunculas mammilares, cum deſerviãt ad hoc, vt per illos deſcendant à cerebro ſpiritus vitales ad organum olfactus, & per illos aſcendant ad ſenſum communem ſpecies intentionales odorum, qui per olfactum percipiuntur, nullus aſſeruit organum olfactus reſidere. Conſequentia eſt legitima; antecedens probari poteſt inductione, & per ſingulas partes diſcurrendo.

8 Et in primis organum olfactus non poſſe reſidere in vētriculis cerebri, vt aſſerebat Galenus, optimè probat Auerroes ex eo, quòd cerebrum, & quæcumque illius pars, eſt expers ſenſus, vt docet Ariſtoteles lib. 2. *de partibus animalium*, cap. 2. fateturque ipſe Galenus 3. *de cauſis ſynthomatum*, vbi cerebrum organum nō ſentiens appellat. Item cum in cerebrum cōmeant exhalationes odoriferæ, non ſecus, ac in ſtomachū commeant cibi, neceſsè fuit, vt ſicut in palato, & lingua, quæ ſunt, quaſi ianua viæ, qua cibi deducuntur ad ſtomachū, eſſet ſenſoriū guſtus ad explorandū, qui cibi ſunt congrui, vel incongrui ſtomacho, vt congrui admittantur, incongrui repellãtur: ita neceſsè fuit, vt in via, qua exhalationes odoriferæ deducuntur ad cerebrū, antecedenter ad ipſum cerebrum cōſtitueretur aliquod organū, in quo reſideret virtus olfaciendi, quæ exploraret, quæ exhalationes odoriferæ congruant cerebro, & quæ non, vt congruæ admittantur, incongruæ verò repellantur.

9 Deinde neque etiā poſſe reſidere in nervis, qui per cartilagines nariū derivantur, vt ſuſtinebat Auerroes; non minus effi-

efficaciter oſtendit Galenus; primò, quia cum iſti nervi deriuentur, & deſcendant ad extimas vſque naſi oras, ſequeretur, rem odoriferam ijs admotam abſque inſpiratione mox ſentiri, quod eſt contra experientiam. Secundò, quia narium nervi inſtituti ſunt à natura, non ad olfaciendi, ſed ad tangendi munus, neque eandem temperiem tactus, & olfactus expoſtulant. Et demum tertiò, quia experimur, non ad oram naſi, ſed in abditiori aliquo receſſu nos odores percipere.

10 Nec tandem eſſe poſſe in oſſe illo ſpongioſo, & foraminoſo, quod reſidet iuxta caranculas mammilares, manifeſtè conuincitur ex eo, quòd oſſa ob concretionem terreſtrẽ, aut nihil, aut vix ſentire experimur: non ergo in prædicto oſſe virtus ſenſitiua olfactus reſidere poteſt.

11 Secundò probari poteſt noſtra, & communis ſententia poſitiuè, id eſt, oſtendendo in his carunculis mammilaribus maximè concurrere conditiones ad organum olfactus requiſitas. Nam imprimis ſunt iuxta cerebrum, & ab illo originem trahunt, quæ ſunt duæ conditiones ad organum olfactus ab Ariſtotele locis num. 6. citatis requiſitæ. Item cum ſint ſpongioſæ, & antè inſpirationem cõpreſſæ, & earum pori, quaſi cooperti, & occluſi, maximè aptæ ſunt ad hoc, vt per inſpirationem dilatẽtur, & pori earum aperiantur, & ſic pateat additus ad ingreſſum ſpecierum intẽtionalium odoris, qui mediante inſpiratione à ſenſu olfactus ſentitur. Demũ, etſi in ſua ſubſtantia ſint organum diſtinctum à cerebro; tamen cum ab illo originem ducant quod ſummè frigidum, & humidum eſt, retinẽt in ſe actu frigiditatem, & humiditatem cerebri, licet multo magis attemperatas, & in gradu remiſſiori, ac ſunt in cerebro, & cõſequenter ſunt in potentia ſiccæ, & calidæ, quæ eſt conditio ſimpliciter requiſita in organo olfactus ad hoc, vt eius obiectum, ſcilicet, odor, qui actu ſiccus, & calidus eſt, poſsit medijs ſuis ſpeciebus intentionalibus organum olfactus, ipſumque olfactum immutare; quia vt docuimus 1. libro de generatione, diſp. 6. quæſt. 4. cum Ariſtotele, & Scoto, nullum agẽs poteſt agere in ſubiectum omninò ſimile, & vndequaque indifferens.

12 Nec video, quid obijci poteſt contra prædicta, niſi id, quod aliqui obijciunt, ſcilicet, organum olfactus non debere eſſe humidum, & frigidum, vt nos in vltimæ conditionis probatione ſupponimus. Nã Ariſtoteles de ſenſu, & ſenſibili cap. 2. affirmat, organum olfactus debere eſſe igneum. Sed ad hoc optimè reſpondet Diuus

Tho-

Digitized by Google

Thomas ſupra prædictum locum lectione 14. Ariſtotelem prædictis verbis non intendere in organo ſenſus ignem prædominari; aliàs ſibimet contrarius exiſteret, cum hoc in libro textu 130. ſuſtineat, ignem in nullo organo ſenſus prædominari; ſed quod intendit, eſt in actuali olfactione ignem prædominari; quia organum olfactus calefit à vapore odorifero, qui ſiccus, & calidus eſt.

DISPVTATIO DECIMA.

De guſtu.

DE guſtu, qui ſenſus præſtantior eſt actu, & ſi magnam affinitatem habeat cum illo, diſputat Ariſtoteles c. 10. huius libri. Nos autem tria de ipſo inueſtigabimus, quibus omnia, quæ neceſſaria ſunt ad cognitionem tam ipſius guſtus, quàm ſaporis, qui ab omnibus recipitur, vt obiectum per ſe, & adæquatum eius, aperiemus. Primum, *quid ſit ſapor, & quomodo immutet guſtum?* Secundum, *vtrum guſtus differat ſpecie à tactu?* Tertium, *quid ſit organum guſtus?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit ſapor, & quomodo immutet guſtum?

1 DE ſapore eodem modo philoſophandum eſt, ac in diſputatione præcedenti, quæſtione 1. philoſophati ſumus de odore, nimirum, non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens ſpectans ad tertiam ſpeciem qualitatis, quæ dicitur paſsio, ſeu paſsibilis qualitas: Item non eſſe inter primas, ſed inter ſecundas qualitates enumerandum, cum reſultet ex mixtione, & temperamento primarum qualitatum; ideoque, neque in aliquo puro elemento poſſe reperiri, neque eſſe productiuum per ſe alterius ſaporis ſibi ſimilis, habereque non ſolùm latitudinem extenſiuam, quam recipit à quantitate ſubiecti, in quo inhæret, ſed etiam intenſiuam, cum experiamur eandem rem ſaporoſam, modò magis, modò minus potentiam guſtus im-

nitur medium guſtus, ſit neceſſarium ad hoc, vt percipiatur à guſtu, quòd emittat ſpeciem intentionalem ſui in illum? Valleſius lib. 2. controuer. capite penultimo, & Arriaga diſp. 4. de anima ſect. 1. ſubſect. 5. affirmant, hoc non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere contactum prædictum cum carne, quæ eſt medium guſtus.

5 Sed auctores iſti immeritò hoc ſuſtinere conãtur; primò, quia Ariſtoteles cap. 12. huius libri abſolutè de omnibus ſenſibus dixit, eſſe receptiuos formarum ſine materia, id eſt, ſpecierum intentionalium ſuorum obiectorum, ſiue hoc præſtẽt per medium extrinſecum, vt præſtant in viſu, auditu, & olfactu; ſiue per mediũ intrinſecum, vt contingit in guſtu, & tactu: ergo perperam hoc denegatur ſenſui guſtus.

6 Secundò, quia ad hoc, vt obiectum percipiatur à ſenſu, debet obiectum immediatè tãgere ſenſum, vel per ſe, vel per ſpeciem intentionalẽ ſui; aliàs non rectè diceret Ariſtoteles cap. 5. huius libri, ſenſus realiter pati à ſuis obiectis; ſed ſapor, qui eſt in re ſaporoſa per contactum ad illam carnem, quam ponimus mediũ guſtus, non immediatè tangit ſenſum guſtus: ergo vt ab illo ſentiatur, neceſſariũ erit, quod emittat per illam carnẽ ſpeciem intentionalẽ ſui, qua mediãte guſtus dicatur à ſapore pati, & tãgi; præſertim cũ non poſsit excogitari alius modus, quo illũ tangere poſsit, quia neque per ſe ipſum, cum accidens nõ migret à ſubiecto in ſubiectu; neque per alium ſaporem realẽ, & eiuſdem rationis à ſe genitũ; quia vt num. 1. dicebamus, ſapor eſt qualitas ſecunda; & cõſequenter incapax producendi aliam qualitatem eiuſdem rationis cum ipſa. Quibus omnibus adde, nullum ſenſibile poſſe per ſe ipſum, neque per aliud eiuſdem rationis cum ipſo immutare ſenſum ad ſenſationem ſui; quia, vt docet Ariſtoteles 12. capite huius libri, & nos in vltima diſputatione dicemus, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non valet facere ſenſationem.

QVÆSTIO II.

Vtrùm guſtus differat ſpecie à tactu?

1 PRima ſententia affirmat, guſtum, & tactum nõ eſſe potentias eſſentialiter diuerſas, ſed ſolum accidentaliter, nimirum, quia tactus, qui eſt in lingua, & palato, ratione ſpecialis temperamenti, quod non participant tactus aliarũ partium, potens eſt percipere, nõ ſolùm qualitates tangibiles, vt ſunt caliditas, frigiditas, &c. ſed etiã ſapores: ita Ægidius in explicatione textus 103. & Paulus Venetus capite 10. huius libri: & fundantur in Ariſtotele, qui cap.

cap. 10. huius libri docet, non ſolũ, quòd guſtabile ſit quoddam tangibile; ſed etiam quòd guſtus ſit quidam tactus.

2 Sed tenendum eſt cum Ariſtotele cap. 11. huius libri, & 3. lib. de anima cap. 1. & de hiſtoria animal. lib. 3. cap. 8. quẽ omnes eius interpretes ſequuntur, guſtum eſſe potentiam ſenſitiuam, eſſentialiter diſtinctam à potentia ſenſitiua tactus, licet vtraque cõueniat in hoc, quod eſt immutari à ſuis obiectis per medium intrinſecum, non ſecus, ac viſus, auditus, & olfactus conueniunt in hoc, quod eſt immutari à ſuis obiectis per medium extrinſecum.

3 Ratio efficax eſt, quia ex diuerſitate obiectorum formalium, qualia ſunt, quæ habent diuerſum modum immutandi potentias ſenſitiuas, colligimus à poſteriori diuerſitatem eſſentialem inter ipſas potentias ſenſitiuas, vt ex dictis in hoc libro diſp. 3. quæſt. 2. conſtat; ſed ſapor, qui eſt obiectum formale guſtus, diuerſo modo immutat potentiam guſtus, ac qualitates tangibiles immutant tactum: ergo à poſteriori optimè colligitur, guſtũ, & tactum eſſe potẽtias ſenſitiuas eſſentialiter diſtinctas. Probatur minor, quia ſi eodem modo, quo ſapor immutat guſtum, immutaret etiã tactum; & è contra eodẽ modo, quo qualitates tangibiles immutant tactum, immutarẽt etiã guſtum, ſequeretur, quòd ſicut ſapor percipitur per guſtum, perciperetur etiã per tactum; & è contra, quod ſicut qualitates tangibiles percipiũtur per tactum, etiam per guſtum perciperentur, experientia in contrarium reclamante.

4 Pro ſolutione auctoritatis Ariſtotelis, quæ adducta eſt in contrarium, aduertendum eſt, tactum (& idem eſt iudicium de tangibili) tripliciter ſumi poſſe; primò, & cõmuniſſimè prout tantum dicit ſimultatem corporum per extrema indiuiſibilia, qua ratione ſumptum eſt ab Ariſtotele 5. Phyſicorũ, dum dixit, illa corpora ſe tangere, quorum extrema ſunt ſimul. Secundò magis propriè, pro coniunctione ad ſenſationem requiſita potentiæ ſenſitiuæ, & obiecti eius in aliquo medio intrinſeco; & in hac ratione tactus, conueniunt guſtus, & tactus, & differunt ab alijs tribus ſenſibus, qui non requirunt ad ſenſationem cõiungi cum ſuis obiectis in aliquo medio intrinſeco, ſed ſufficit, quòd coniungantur in aliquo medio extrinſeco. Tertiò, & propriiſſimè ſumitur tactus pro potentia ſenſitiua, quæ per ſe verſatur circa qualitates tangibiles, quas Ariſtoteles libro 2. de ortu, & interitu cap. 2. textu 8. ad ſeptem contrarietates reduxit, ſcilicet, *ad calidum, & frigidum; humidum, & ſiccum; graue, & leue; durum, & molle; lubricum, & aridum; aſperum,*

rum;& lene; craſſum,& tenue: & in hac acceptione ſumitur tactus, cum in hac quæſtione dicimus, eſſe potentiam ſenſitiuã diſtinctam eſſentialiter à potentia ſenſitiua guſtus, quæ nõ immutatur per ſe ab aliqua ex qualitatibus tangibilibus enumeratis; ſed à ſapore, qui eſt qualitas valdè à tãgibilibus diſtincta. Ad rem ergo; cum Ariſtoteles loco citato dixit, guſtũ eſſe quendam tactum;& guſtabile quoddã tangibile, loquitur in ſecunda acceptione, non in tertia: ſolùm enim docere voluit, guſtũ immutari à ſapore per medium intrinſecum, ac per conſequens guſtum eſſe quendam tactum, & guſtabile quoddam tangibile, ſumpto tactu, & tangibili in ſecunda acceptione, non in tertia.

QVÆSTIO III.

Quod ſit organum guſtus?

1 SEntentia eſt Ariſtotelis 1. libro de *hiſtoria animalium* c. 11. & 2. libro de *animalium partibus*, c. 17. cui ſuffragantur omnes tam Philoſophi, quàm Medici, potentiam ſenſitiuam guſtus reſidere, tanquam in organo in lingua, & palato, licet non in omnibus eorum partibus; ſed in duobus neruis, qui deſcendentes à cerebro, & per mediam linguã pergentes, minores alios, & quaſi ramuſculos ad vtrãque partem linguæ, imò ad palatum vſque ſpargũt, quos neruos tegit caro quædã rara, ſpongioſa, atque poroſa, vt ſic per eam, tanquã per medium, meliùs poſsint ſpecies intentionales ſaporis, vſque ad prædictos neruos peruenire.

2 Solùm ergo dubitari ſolet, in qua parte præcipuè vigeat ſenſus guſtus, ex omnibus, in quibus reſidẽt nerui iſti? Sed dicẽdum eſt cum eodẽ Ariſtotele primo loco ex citatis ſenſum guſtus magis vigere in cuſpide linguæ; cuius ſignũ eſt, nos attrahere cibũ ad anteriorẽ partem linguæ, quoties guſtũ eius meliùs percipere cõtendimus.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De tactu.

DE tactu diſputat Ariſtoteles in 11. cap. huius libri: & ſuppoſito tanquam certo, obiecta illius eſſe omnes qualitates, quæ ideo per ſe tangibiles appellantur; & Ariſtoteles ad ſeptem contrarietates reduxit, quas diſp. præcedenti, quæſt. 2. num. 4. recenſuimus; quibus aliqui addunt dolorem, famem, & ſitim. Quinque in hac diſputatione examinanda

Digitized by Google

da ſunt; primum, *quod ſit organum tactus*? Secundum, *quod ſit mediū, per quod tactus immutatur à ſuis obiectis*? Tertium, *quo pacto tactus à ſuis obiectis immutetur*? Quartum, *vtrùm tactus ſolùm percipiat excellentes qualitates*? Quintum, *vtrùm ſint plures ſpecies tactus*?

QVÆSTIO PRIMA.

Quod ſit organum tactus?

1 RAtio dubitandi eſt auctoritas Ariſtotelis, qui loquens de organo tactus, in diuerſis locis diuerſa, imò contraria docere videtur; nam in primis libro de *ſenſu, & ſenſibili*, cap. 2. & libro de *iuuentute, & ſenectute*, etiam cap. 2. & libro 2. de partibus animalium, cap. 10. organum guſtus, & tactus in corde collocat. Deinde libro 1. de *hiſtoria animalium*, c. 4. & lib. 2. de partibus, cap. 1. 5. & 8. & in hoc 2. libro de anima, textu 79. tam carnē, quàm neruos, imò omnes corporis partes admittit, eſſe organa tactus, exceptis his, quæ terreſtres nimiùm ſunt, vt oſſa, dentes, & vngues. Demum in hoc 2. lib. c. 11. vbi ex profeſſo diſputat de tactu, expreſsè docet, organū, ſeu ſenſoriū tactus eſſe ſub carne latēs; carnē verò nō eſſe organū, ſeu ſenſoriū tactus, ſed mediū internū, & cōnaturale.

2 Propter hæc teſtimonia Ariſtotelis diuiſi ſunt in tres claſſes illius interpretes. Prima ſententia affirmat, organum, ſeu ſenſorium tactus ſolum eſſe cor; alias verò partes corporis eſſe medium, ita vt de mente Ariſtotelis tradunt Niphus, & Simplicius hic textu 166. Themiſtius cap. 40. ſed vt annotauit Suarez lib. 3. de anima, capit. 27 hæc ſententia falſa eſt; calor enim, etiam in manu, & non ſemper in corde ſentitur. Nec credibile eſt, Ariſtotelem putaſſe ſolùm cor eſſe organum, ſeu ſenſorium tactus; ſed maximè vigere in corde ſenſum tactus, eſſeque in illo tanquam in principio, ſicut & vitæ, ita & ſenſationis.

3 Secunda ſententia defendit, non ſolùm cor, & neruos; ſed etiam carnem, imò, & pelliculam eius eſſe organum, ſeu ſenſorium tactus; ita Suarez loco citato concluſ. 1. Aueiſa quæſt. 54. ſect. 13. Rubius tract. de ſenſu tactus, qui plures alios citant: & probāt primò ex Ariſtotele, qui locis ſecundo loco ſupra citatis carnem inter organa tactus enumerauit.

4 Secundò probant experiētia, qua experimur in carne nos ſentire, cum enim (inquit Auerſa) manu tangimus obiectum

ctum calidũ, aut frigidũ, ſentimus calorẽ, aut frigus; dũ caro pungitur, vel diuiditur, ſentimus dolorẽ; quæ eſſent impoſſibilia, ſi in carne non eſſet organum, ſeu ſenſorium tactus.

5 Tertiò probant alia experiẽtia, qua experimur, nos ſentire dolorẽ, in quibuſdã partibus nõ nervoſis, & à quibus lõgiùs diſtant nervi, vt in corde, iecore, pericranio capitis; imò piſces ſentiũt, & nullũ habent nervum: ergo ſignũ manifeſtũ eſt, non ſolùm nervos, ſed etiã carnem eſſe organum tactus.

6 Quartò denique probat Suarez à fine, quo tactus datus eſt à natura: datus eſt enim tactus animantibus, vt tueri poſſent vitam ab externis nocumentis: ergo opportuit diffuſum eſſe per partes omnes corporis, non ſolùm nervoſas, ſed etiam carneas.

7 Tertia, & probabilior ſententia, & à nobis ſequenda docet, carnem puram, & prout diſtinguitur à nervoſa, non eſſe organum tactus, ſed aliquid latens intra carnem, ſcilicet, nervum illum, quem Medici appellant tactum, qui diffunditur per omnes partes corporis, quã plurimis ramuſculis minùs, vel magis ſubtilibus ad modum retis, qui omnes coniunguntur in cerebro, & per eos derivãtur à prædicto cerebro ſpiritus animales, ſeu ſenſitiuì ad partes corporis, vbi reſidẽt: & cõſequenter reſidet potentia ſenſitiua tactus, & ſimiliter per eoſdem deferuntur ſpecies intentionales ad ſenſum cõmunem rerũ omnium, quæ per tactum ſentiuntur: ita Scotus noſter q. 2. de anima, & ibi Cauellus in annotationibus prædictæ quæſtionis, & Cõmentator Auerroes relatus ab Scoto hic textu cõmenti 118. & 119. mutans ſententiã, quã tenuerat lib. de ſenſu, & ſenſibili c. 2. D. Tho. hic lect. 22. Patres Carmelitani diſp. 14. de tactu, q. 4. §. 3. qui quàm plures alios pro eadem ſententia citant, qui in ipſis videri poſſunt.

8 Ducor ad hoc aſſerendum primò, quia non ſolùm hæc eſt ſententia Scoti, & D. Thomæ, ſed etiam eſt Ariſtotelis; nã vt ſupra num. 1. dicebamus, hoc in libro cap. 11. vbi ex profeſſo diſputat de tactu (qui locus propterea cæteris alijs locis præferendus eſt) non ſolũ aſſeruit, ſed etiam probauit, carnẽ non eſſe organum, & ſenſoriũ tactus; ſed potiùs medium intrinſecum illius.

9 Secundò, quia ratio, quam ad hoc probandũ addũxit Ariſtoteles, quæ talis eſt, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem; ſed ſenſibile per tactum poſitum ſupra carnẽ directè ſentitur: ergo caro non eſt organũ, vbi reſidet ſenſus tactus; videtur mihi efficax; nam, vt dicemus in vltima diſputatione huius libri, illud axioma Ariſtotelis, *Senſibile*

poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, vniuerſaliter eſt verũ de omni ſenſu, & ſenſibili.

10 Poteſt præterea confirmari ratione, qua vſus eſt Scotus loco citato, quæ talis eſt; organum ſenſuum particulariũ debet communicari cum organo ſenſus communis, vt ſic ſenſus particulares poſsint emittere ſpecies ſenſibiles ad illud; ſed caro pura non cõmunicatur cũ ſenſu cõmuni; ſed hoc ſolis nervis cõpetit: ergo organũ ſenſus particularis, qualis eſt tactus, nõ poterit eſſe caro pura; ſed neceſſariò debet eſſe caro nervoſa, id eſt, nervus.

11 Ad loca Ariſtotelis in ſecundo loco adducta, in quibus carni attribuit eſſe organũ tactus, reſpondet Cõmentator Auerroes, quòd Ariſtoteles, cum prædicta ſcripſit, neſciebat naturã nervorum; poſtea verò didiciſſe, & ſic c. 11. huius libri mutaſſe ſententiã negãdo carnẽ eſſe organum tactus, ſed potius eſſe medium. Sed hæc reſponſio non placet Scoto, quia, vt ipſe dicit, hæc reſpõſio non eſt curialis, id eſt, non excuſat Philoſophũ à cõtradictione in ſuis dictis. Imò ſunt, qui aſſerãt priùs ſcripſiſſe Ariſtotelem libros de anima, quàm libros de ſenſu, & ſenſibili, & de partibus animaliũ; & conſequenter ſi nõ fuit conſequẽs in ſuis dictis, vt fatetur Cõmentator, potiùs aſſerendũ fuiſſet, Ariſtotelẽ in libris de ſenſu, & ſenſibili, & de partibus animalium retractaſſe ſententiam, quã docuerat cap. 11. huius ſecundi libri, ſcilicet, carnem non eſſe organum tactus; ſed tantùm medium intrinſecum, quàm è contra.

12 Meliùs, & curialius reſpõdet Scotus excuſando Philoſophum à contradictione in ſuis aſſertis, quod duobus vijs præſtat; primò aſſerendo, Philoſophum, cum libris de ſenſu, & ſenſibili, & de partibus animalium dixit, carnem eſſe organũ tactus, non fuiſſe loquutũ de organo primo, id eſt, de illo, in quo reſidet potentia tactus; ſed de ſecundo, id eſt, de illo, quod etiãſi ſolũ ſit medium tactus, eſt mediũ intrinſecum, & ideò poteſt organũ, ſeu inſtrumentũ tactus appellari; & hoc probat Scotus ex ipſo Ariſtotele, qui poſtquã 2. de partibus animalium c. 8. dixit, carnẽ eſſe inſtrumẽtũ tactus, ſicut pupilla viſus; ſubdit, quòd caro non eſt primum organum tactus, ſicut neque pupilla eſt primũ organũ viſus; ſed aliquid interiùs latens. Secundò aſſerendò, quòd cum Philoſophus dicit, carnẽ eſſe organum tactus, poteſt intelligi, non de carne pura, ſed de carne nervoſa, quæ non tãtùm eſt mediũ ſed etiã organũ.

13 Ad primam experientiam, non ſolùm Scotus, & D. Tho. ſed etiã ipſemet Ariſtoteles in hoc ſecundo libro text. 110. optimè reſpondẽt, ex eo quòd ſtatim, ac aliquid tangibile appli-

plicatur alicui parti corporis, illud ſentimus, non rectè inferri, organum tactus cōſiſtere in carne, aut in pellicula carnis, aliàs, inquit Ariſt. (cuius verba optimè expendit D Tho. lect. 22.) ſi aliquis ſupra carnē extenderet pelliculam ſubtilē cū applicato ſuper illam aliquo tangibili, ſtatim ſentiretur; poſſet proteruus aſſerere, illā pelliculam ſuper carnem poſitam eſſe organum tactus. Sed quod debet inferri, eſt (ſuppoſito, quòd nervus, in quo reſidet organum tactus, diffunditur ad modū retis per omnes partes corporis viuētis ſenſitiui) carnē, & pellem eius eſſe medium intrinſecum & cōnaturale tactus; ramuſculos verò nervoſos diffuſos ad modū retis per omnes partes corporis, qui cooperiuntur carne, & pelle eius, eſſe organa, & ſenſoria tactus.

14 Ad ſecundam experientiam benè reſpondet Scotus, quòd vbicumque eſt tactus in animali, ibi eſt nervus in ratione organi; nō tamen requiri, quòd nervus ſit formaliter in qualibet parte carnis; ſed ſufficere, quòd ſit iuxta, vel propè realiter; in alijs verò virtualiter, id eſt, quòd virtute nervi propè exiſtentis quælibet alia pars poſsit ſentire tangibile. Et ad inſtantiā de piſcibus reſpōdet, quòd in piſcibus, ſicuti eſt aliquid proportionale carni; ita eſt aliquid proportionale nervis, & hoc ſufficere ad hoc, vt ſentiant.

15 Ad vltimam probationem, quæ erat Suarez & quæ, ſi vim haberet, probaret, tactum etiā in oſsibus reſidere; quia ad tuēdam vitam valdè neceſſarium eſt, vt oſſa ab externis nocumentis protegantur. Reſpōdetur, verum eſſe, tactū datum eſſe animantibus, vt tueri poſſint vitā ab externis nocumentis; tamen ad hoc nō requiri, quod in omnibus partibus corporis, tā nervoſis, quàm carneis, tanquā in organo reſideat; ſed ſufficere, quòd reſideat in nervis, tanquā in organo, in carne verò, tanquā in medio intrinſeco, & connaturali: quia, vt nuper ex Scoto dicebamus, virtute nervi quælibet pars propè exiſtens poteſt ſentire nocumenta extrinſeca; quod nō ſolùm in carne, ſed etiam in oſſibus contingit, in quibus neque Suarez, neque aliquis alius organum tactus conſtituunt.

QVÆSTIO II.

Quod ſit medium, per quod tactus immutatur à ſuis obiectis?

1 SVppoſita cōmuni diſtinctione medij externi, quod dicitur illud, quod non eſt pars intrinſeca ſentientis, & medij interni, quod dicitur illud, quod eſt pars intrinſeca ſentiētis: prima ſententia affirmat, ad ſenſationem tactus per ſe requiri medium externum; & cōſequenter numquam fieri poſſe ſenſationem tactus ſine illo; ita Commentator Auerroes hic textu commenti 113. 114. & 115.

Digitized by Google

115. quem videntur ſequi Ægidius ad textum 113. & Iandunus quæſt. 28.

2 Probant primò ex Ariſtotele, qui cap. 11. huius libri docet, non poſſe corpora ſolida, & dura ſe tangere in aqua, vel aere, quin neceſſariò aqua, vel aer ſit medium in prædicto tactu; & ibidem textu 114. docet, omnes ſenſus habere medium externum, licet cum hac differentia, quòd tres priores, ſcilicet, viſus, auditus, & olfactus habẽt media externa magna: at ſenſus guſtus, & tactus habent medium externum paruum, & imperceptibile.

3 Secundò probant ſupponendo duo principia, primum eſt, non ſolùm neruum, ſed etiã carnem, imò & pelliculam eius eſſe immediatum organũ tactus. Secundum eſt, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentiri. Ex his ergo principijs manifeſtè infertur, quòd ad ſentiendum per tactum neceſſariò requiratur medium extrinſecum. Nam ex ſecundo principio ſequitur, ad tactum neceſſariò requiri aliquod medium inter organũ, in quo reſidet potentia tactus, & ipſum ſenſibile; & ex primo, hoc medium non poſſe eſſe intrinſecum, cum nulla pars intrinſeca ſit medium tactus, ſed potiùs organum, in quo tactus reſidet.

4 Secunda ſententia docet, per ſe ad ſenſationẽ tactus nullum medium requiri, neque extrinſecum, neque intrinſecum; per accidens tamen poſſe habere tactum in ſua ſenſatione medium, vel extrinſecum, vt contingit, cùm tangibilia non ſunt omnino plana, & ſic mediat aer, vel aqua inter illa; vel intrinſecum, vt cum nervi, & aliæ partes interiores ſentiunt caliditatem, vel frigiditatem externam, mediante carne, qua teguntur: ita Toletus quæſtio. 30. & 31. Conimbricenſes hic cap. 11. quæſtio. 3. artic. 3. Auerſa quæſt. 54. de *ſenſibus externis*, ſectione 15. & idem ſentire tenentur auctores qui, vt vidimus quæſt. præcedenti ſuſtinent, non ſolùm neruum, ſed etiam carnẽ, imò & pelliculam, qua contegitur, eſſe organum tactus, & ex aliqua parte docent, illud axioma Ariſtotelis, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non cauſat ſenſationem, ſolùm eſſe intelligendum in ſenſu viſus; ſecus verò in ſenſu tactus, & alijs ſenſibus: nam ex his duobus principijs, ſi veri eſſent, neceſſariò ſequitur, ad ſenſationem tactus per ſe nullum requiri medium, neque extrinſecum, neque intrinſecum, cum poſſit obiectum tangibile, puta corpus calidum, frigidum, durum, lene, &c. immediatè poni ſupra carnem, & pelliculã eius; & conſequenter à potentia tactus in ipſis, tanquam in proprijs organis reſidente abſque

que vllo incōueniēti percipi.

5 Sed in hac re dico primò; ad ſenſationem, quæ fit per tactum per ſe, non eſt requiſitum aliquod medium extrinſecū: eſt contra auctores primæ ſententiæ, & in hoc aſſerto nobis conueniunt auctores ſecundæ; eſt autem expreſſum aſſertum Scoti noſtri quæſt. 3. de anima, §. *Reſpondeo*, num. 3. quem diſcipuli ſequuntur, Cauellus in annotationibus ſuper prædictum locum, & ſatis receptum inter Thomiſtas.

6 Probat autem Scotus hoc aſſertum aliquibus experientijs: nam in primis ſi tangibile ſit liquidum, vt eſt aqua, experientia docet, manum immerſam in aquam ſentire illius frigiditatem abſque alio corpore interpoſito inter manum, & aquā. Deinde ſi corpora ſe tangentia ſint ſolida, & dura, etiā experientia docet, poſſe ſe tāgere abſque aliquo corpore intermedio, ſcilicet, aer. Nam cū quis malleo ferreo magna vi percutit incudem, quis dicat inter malleum, & incudem mediare aerem, & malleum non percutere incudem immediatè? Itē ſi in gentem lapidē vndèquaque terſum, & planū apponas ſuper aliū ſimilem lapidē, interrogabo, an inter iſtos lapides mediet aliqua portio aeris, an non? Si hoc vltimū dicas, habemus intentum: ſi dicas primū, quis credet, tam magnā molem illo tam paruo aere ſuſtentari? Non eſt ergo ad tactū per ſe aliquod mediū extrinſecū, ſeu extraneū requiſitum.

7 Ad auctoritates Ariſtotelis adductas pro prima ſententia reſpondet Toletus, Ariſtotelē in eis non intendere ad ſenſationē tactus requiri per ſe mediū extrinſecum; ſed vt in plurimū dari in prædictis ſenſationibus mediū extrinſecum per accidēs, nimirū, quia ſe tangētia, vt in plurimum nō ſunt perfectè plana, & ſic neceſſariū eſt, quòd in cauitatibus illorū ſit mediās aliqua portio aeris. Alij verò reſpōdēt (& magis cōformiter ad textū) Ariſtotelem ibi nihil de hac re determinaſſe; ſed per modū dubitātis loquutū fuiſſe, obijciēdo ad vtrāque partē, & ſic nō poſſe indè deduci, quænā fuerit mēs eius de hac re; ſed venandā eſſe ex alijs locis, in quibus, etſi apertè doceat, ad omnē ſenſationem per ſe requiri mediū, ſed cū hoc diſcrimine, quòd in trib⁹ prioribus ſenſibus, viſu, ſcilicet, auditu, & olfactu, mediū debet eſſe extrinſecū: in duobus verò poſterioribus, guſtu, ſcilicet, & tactu, mediū debet eſſe intrinſecū; ita docet in hoc 2. lib. text. 75. 98. & 116.

8 Ad fundamentū etiā adductum pro prima ſentētia dicimus, illud primū principium, quod prædictū fundamētū prę ſupponit, eſſe falſū; nā carnē, eiuſq; pelliculā nō eſſe organū tactus; ſed aliquid latēs ſub carne

& pellicula eius, nimirum, nervum; carnem vero ſolùm eſſe medium intrinſecum, ex Ariſtotele, Scoto, & D. Th. quæſt. præcedenti, vt verū ſtatuimus.

9 Dico ſecundò; ad ſenſationem, quæ fit per tactū, per accidēs interuenire poteſt aliquod medium extrinſecum. In hoc aſſerto nobiſcum conueniunt auctores ſecundæ ſententiæ, & ipſum expreſsè tenet Scotus loco citato, & probat experiētia lapidis humefacti, cuius durities ſentitur à manu, non obſtāte, quòd inter manū, & lapidē intercedat aliud corpus, ſcilicet, aqua, imò eſt ſententia Ariſtotelis hic text. 109. & 114. vbi hoc probat experiētia, qua experimur, quòd ſi qui extēdat circa manū, tenuem aliquam pelliculam, & ſic cōtrectet aliquod corpus, vtique ſentiet illud per inter mediā pelliculā.

10 Affert tamen Ariſtoteles duplex diſcrimen inter mediū extrinſecum tactus, & aliorum ſenſuum; primum eſt, quòd alij ſenſus percipiunt obiectū *eminus*, hoc eſt, etiamſi adſit notabilis diſtantia: tactus verò *cominus*, id eſt, non niſi ad exiguam diſtantiam. Secundum diſcrimen eſt, quòd obiecta aliorum ſenſuū priùs mouent medium, quàm ſenſum; obiectū verò tāgibile ſimul cū medio mouet ſenſum. Circa quod vltimū diſcrimen meritò dubitat Scotus loco citato n. 5. quo pacto poſſit eſſe verum, in caſu contingenti, quòd obiectū tangibile immutet tactū per mediū aliquod extrinſecū, id, quod Ariſtoteles affirmat, ſcilicet, obiectū tangibile ſimul cū medio immutare ſenſum; nā de ratione medij, ad ſenſationē requiſiti videtur eſſe, quòd priùs immutetur ab obiecto, quàm potentia; nam ſi ſimul ab obiecto mediū, & potētia immutētur, vt contingit ex mēte Ariſtotelis in tactu, quando medium eſt extrinſecum, id, quod appellatur medium, non poterit induere rationem medij, eritque nomen vacuum, & ſine re.

11 Hanc difficultatem, quæ non parum torquet interpretes Ariſtotelis, præclarè, & ſubtiliter ſoluit Scotus n. 5. citato, aduertendo priùs, quòd ſicut tripliciter poteſt aliquid dici priùs alio, videlicet, vel cauſalitate, vel tempore, vel ſitu; ita quādo potētia ſenſitiua immutatur à ſuo proprio obiecto per aliquod mediū extrinſecū, tripliciter poteſt dici, prius immutari mediū ab obiecto, quā potentiā, videlicet, vel cauſalitate, vel tēpore, vel ſitu. Hac diſtinctione ſuppoſita, ad dubitationem propoſitam enucleandam, diſcurrendo per ſingulos ſēſus, ſic philoſophatur Scotus.

12 In ſenſu viſus, mediū extrinſecum, etſi non immutetur ab obiecto viſus priùs tēpore, quàm potētia viſiua; quia viſio fit in inſtāti; immutatur tamen priùs tā ſecundū ſitum, cum ſit pro-

proximius obiecto, quàm ſecũdum cauſalitatẽ; quia immutatio medij, eſt cauſa immutationis organi. In ſenſu auditus, etſi mediũ extrinſecũ ſemper immutatur priùs, tã ſecundũ ſitũ, quàm ſecũdũ cauſalitatẽ, quã potentia, propter eaſdẽ rationes, quibus idẽ oſtenſum eſt de viſu; tamẽ quia illius obiectũ, ſcilicet, ſonus, diffunditur per motum localẽ, nõ ſecus, ac diffũditur aer reſiliẽs, in quo ſubiectatur, contingere poteſt ratione diſtantiæ, vt priùs tẽpore intẽtionaliter immutet mediũ, quàm potẽtiam, vt experitur in illo, qui exiſtẽs à lõgè, priùs tẽpore videt ictum ſecuris, quàm percipiat ſonum ictus. Eodem modo, ſubdit Scotus, cõtingit, nõ ſolùm in odoratu, ſed etiam in guſtu; nã ſaliua, quæ eſt mediũ extrinſecũ guſtus, & ſimul tẽpore cũ organo guſtus immutari ſoleat à ſapore; ſemper tamẽ priùs immutatur, & ſecundũ ſitũ cũ ſit proximior rei ſaporoſæ, & ſecundũ cauſalitatẽ; quia cum ſit mediũ, etſi extrinſecũ, per ſe tamẽ ad guſtationẽ requiſitum, immutatio eius eſt cauſa immutationis organi, ſeu potentiæ. Attamen in ſenſu tactus, inquit Scotus, aliter cõtingit; licet enim aer, vel aqua, aut aliquid ſimile, ſoleat eſſe medium extrinſecũ inter tãgibile, & tactũ; ſed hoc eſt per accidens, non per ſe requiſitũ ad ſenſationẽ; ſicut eſt in alijs ſenſibus: imò magis ſenſibiliter tangeremus tãgibilia extrinſeca ſine talibus medijs, ac cum illis; ac per conſequẽs, licet de ipſis affirmari debeat, quòd immutentur ab obiecto tangibili, priùs ſecundũ ſitum, quàm potentia; quia ſunt illi propinquiora, nullatenus tamẽ de ipſis affirmari debet, quòd immutẽtur ab obiecto tãgibili priùs ſecundũ cauſalitatẽ, quàm potentia, ſed omnino concomitanter.

13 Ad rem ergo præclarè cõcludit Scotus, optimè Ariſtotelem diſcriminaſſe tactũ ab alijs ſenſibus exterioribus penès hoc, quòd obiecta aliorũ ſenſuum priùs ſecundũ cauſalitatẽ immutent medium extrinſecũ, quàm potentiã: at in ſenſu tactus non ita cõtingere, ſed purè concomitantur: innuens per hunc modũ loquẽdi, alios ſenſus ad ſuas ſenſationes eliciendas per ſe, & eſſentialiter requirere medium extrinſecũ; tactum verò per ſe, & eſſentialiter ſolùm poſtulare medium intrinſecum. Neque ex hoc rectè infertur, quòd medium extrinſecũ tactus non debeat appellari medium; nam ad hoc, vt aliquid verè appelletur medium in aliqua ſenſatione, ſufficit, inquit Scotus, quòd priùs ſecundum ſitum immutetur ab obiecto, quàm potentia.

14 Dico tertiò; ad ſenſationẽ, quæ fit per tactum, per ſe, & neceſſariò requiritur mediũ intrinſecum; ita Scotus loco cita-

tato; eſtque cõmune iſtud aſſertũ, nõ ſolùm apud Scotiſtas; ſed etiã apud Thomiſtas, & directè militat cõtra auctores ſecundæ ſententiæ: & euidenter ſequitur, ex his, quæ cum Scoto, D. Tho. & Ariſtotele, docuimus quæſt. præcedenti, nimirũ, organũ, ſeu ſenſorium tactus non eſſe carnem, vel pelliculã eius; ſed neruos latẽtes ſub carne: & ſimiliter ex his, quæ diſputatione vltima cũ Scoto, & D. Th. ex mente Ariſtotelis dicemus, videlicet, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum nõ facere ſenſationem; ac per conſequens omnẽ ſenſum ad ſentiẽdum per ſe, & neceſſariò requirere aliquod medium inter ipſum, & obiectũ; quod cum in tactu non ſit medium extrinſecum, vt probatum eſt, neceſſariò erit intrinſecum, nimirum, caro, qua tegitur nervus, qui eſt organũ, ſeu ſenſorium tactus.

QVÆSTIO III.

Quo pacto tactus à ſuis obiectis immutetur?

1 QVid in hac quæſtione tenendũ ſit, totaliter pẽdet ex diſcuſſis in duabus quæſtionibus præcedẽtibus. Auctores enim, qui affirmabãt, ad ſenſationẽ, quæ fit per tactum, per ſe & neceſſariò requiri medium extrinſecum, aerẽ, ſcilicet, vel aquã; cõſequẽter affirmare tenentur, & de facto affirmãt, nõ ſolùm obiectum tactus illum immutare per ſpecies intẽtionales; ſed etiã ad hãc immutationẽ nullatenus requiri, imò potiùs obeſſe, quòd tãgibile ſecũdũ eſſe reale, attingat aliquã partem intrinſecã animãtis ſẽtientis; nã cum ſuſtineant, non ſolùm nervum eſſe organũ, in quo reſidet tactus; ſed etiã hoc cõpetere carni, imò & pelliculæ eius, eo ipſo, quòd tangibile attingeret aliquã partẽ intrinſecã animãtis ſentientis, ſecũdũ ſuum eſſe reale, ſenſibile eſſet poſitum ſupra ſenſum, & cõſequenter impediret ſenſationẽ.

2 Auctores verò, qui ſuſtinebant, ad ſenſationem, quæ fit per tactum, per ſe nullum medium requiri, neque extrinſecum, neque intrinſecum; quia illud Ariſtotelis aſſatum, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, ſolùm aſſerebant eſſe verum, & intelligendum in ſenſu viſus, ſecus in alijs, conſequenter debent affirmare, & de facto affirmant, ad ſenſationem, quæ fit per tactum, eſſe ſimpliciter requiſitum, quòd obiectum per ſuum eſſe reale immutet potentiam tactus, quæ ſecundum ipſos reſidet, tanquam in organo, non ſolùm in nervis, ſed etiam in carne; imò & in pellicula eius, vel ipſam alterãdo per productionem qualitatis, ipſi obiecto ſimilis, vt dicunt contingere, quando obiectum eſt aliqua ex primis qualitatibus; quia ſunt productiuæ alterius qualitatis, ipſis ſimilis; vel ſaltem eam attingendo per immediatum

tum contactum, vt contingere dicunt in qualitatibus tangibilibus ſecundis, quæ non ſunt productiuæ ſibi ſimilis, vt ſunt durities, molities, &c. licet adhuc inter iſtos diſſenſio ſit in explicando, an præter immutationem realem, ſit etiam neceſſarium, quòd obiectum tãgibile immutet etiam intentionaliter potentiam tactus?

3 Nos verò, qui cum Scoto, D.Th. & Ariſt. ſtatuimus, organum, ſeu ſenſorium, in quo formaliter reſidet potentia tactus, ſolùm eſſe neruos; carnem verò eſſe medium intrinſecum ad ſenſationem tactus per ſe, & neceſſariò requiſitum, conſequenter tria ſuſtinemus; primum, ad ſenſationem, quæ fit per tactum, non eſſe neceſſariũ, quòd obiectum tangibile per ſuum eſſe reale, vel per qualitatem ſibi ſimilem, ab eo productam immutet potentiam tactus; imò per hoc impediret neceſſariò ſenſationem, vt diſput. ſequenti, quæſt. 1. ex Scoto, D.Th. & Ariſt. oſtendemus explicando illud axioma, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impedit ſenſationem. Secũdum, ad ſenſationem, quæ fit per tactum, eſſe neceſſariũ, quòd obiectũ tãgibile per ſuum eſſe reale, vel per qualitatẽ ſibi ſimilẽ, ab eo productã attingat carnẽ, quæ eſt mediũ intrinſecum, ad ſenſationem tactus neceſſariũ, ſiue hic contactus phyſicus, & realis fiat per inhærentiam, vt fit, cum ſentimus calorem, vel aliã ſimilẽ qualitatem; vel per ſolã contiguationem, vt fit, dũ ſentimus res duras, vel molles, aliaſque huiuſmodi qualitates. Tertiũ, ad ſenſationem, quæ fit per tactũ, eſſe ſimpliciter neceſſariũ, quòd obiectũ intẽtionaliter immutet potentiã tactus, producendo, ſcilicet, in illam ſpecies intẽtionales; quod pręter rationes, quas adduximus ad idem probandum de guſtu, diſp. præcedenti q. 1. idẽ probant aliæ rationes, quas adducit Scotus, q. 4. de anima, quas nos diſput. ſequenti, q. 1. latiùs expẽdemus: hæc enim tria aſſerta neceſſariò conſequuntur ex his, quæ docuimus de organo, & medio potentiæ tactus in 1. & 2. quæſt. huius diſputationis.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm tactus ſolùm percipiat excellentes qualitates?

1 HVic quæſtioni locũ dedit Ariſt. dum c. 11. huius ſecundi libri textu 118. ex profeſſo docuit, ſenſum tactus ſolùm percipere excellentias, vel ſuperantias obiecti tangibilis, ſiue tale obiectũ ſit qualitas actiua, vt caliditas, frigiditas, &c. ſiue non, vt durities, mollities, &c. intelligendo per excellentias, vel ſuperantias obiecti tangibilis, gradus intenſionis, per quos qualitas, quæ tangitur exuperat intenſionem qualitatis ſimilis, qua afficitur organum, ſeu ſenſoriũ ta-

tactus: exempli gratia, ſi organum potentiæ tactus ex proprio temperamento, vel aliunde ſit calidum, vt duo, & applicetur ei in debita proportione aliud calidum, vt tria. Quod affirmat Ariſtoteles eſt in dicto caſu, non percipi à ſenſu tactus omnes tres gradus caloris, qui ſunt in illo calido, quod ei applicatur; ſed ſolùm illum tertium gradum caloris, qui eſt, in quo calidum, quod ſentitur, exuperat, & excellit calorem exiſtentem in organo, ſeu ſenſorio ipſius tactus. Neque huius doctrinæ aliam adhibet rationem præter hanc; ſentire eſt quoddam pati; ergo organum potentiæ ſenſitiuæ, qualis eſt tactus, debet eſſe denudatũ à natura obiecti, quod à potẽtia, quæ in eo reſidet, ſentitur; non ſecus, ac eſt neceſſarium ad agendum, quòd paſſum ſit denudatum à natura ipſius agentis.

2 Hæc Ariſtotelis doctrina in ſententia eorum, qui ſuſtinent, ad ſenſationem, quæ fit per tactum, non requiri medium, neque extrinſecum, neque intrinſecum, ſed qualitates tangibiles actiuas immutare potentiam tactus, non per actionem intentionalem, ſed per actionem phyſicam, & realem, producendo, ſcilicet, in potentia, ſeu organo eius, qualitates ipſis ſimiles, nullam difficultatem habet, ſaltem quantum ad qualitates actiuas. Nam cum agens naturale non poſſit agere in paſſum omnino ſibi ſimile, & vndequaque indifferens, vt cum Ariſtotele in libris de generatione ſtatuimus; profecto neque poterit obiectum tangibile immutare organum tactus per realem alterationem; & conſequenter ſecundum iſtos auctores ſentiri, niſi ſecundum illum gradum, in quo excellit, & exuperat gradus qualitatis ſimilis, quæ reſidet in organo tactus. Tamen auctores iſti in ſuis principijs multa ſupponunt falſa, & à nobis in quæſtionibus præcedentibus refutata.

3 Tamen in ſententia noſtra, quæ cum Scoto, D. Th. & Ariſtotel. ſuſtinet, ad ſenſationem, quæ fit per tactum per ſe requiri medium intrinſecum; & cõſequenter qualitates tangibiles, qualeſcumque illæ ſint, nõ immutare ad ſentiendum potentiam tactus, neque eius organum per actionem phyſicã, & realem, producendo, ſcilicet, in prædicta potentia, ſeu organo eius, aliquam qualitatem ipſis ſimilem (hoc enim potiùs impediret ſenſationẽ) ſed ſolùm immutare tam potẽtiam tactus, quàm organum per actionem intentionalem, imprimẽdo, ſcilicet, in eis ſpecies intentionales ſui; fateor difficultatem habere doctrinam iſtam Ariſtotelis, & parũ efficacem videri rationẽ, qua ipſam probat. Nam etiamſi verum

Digitized by Google

rum ſit, quòd ſentire ſit quoddam pati, & ſimiliter quòd agēs requirat denudatum paſſum à natura agentis; tamen cū in ſententia noſtra, potentia tactus non patiatur ab obiecto actione reali, ſed intentionali, nihil refert ad ſentiendū omnes gradus qualitatis tangibilis, quòd organum potentiæ tactus ex proprio temperamēto, vel aliundè habeat aliquos gradus qualitatis ſimilis ei, quę tangitur, cum ſufficiat, quòd careat ſpecie intentionali repræſentāte omnes gradus qualitatis tangibilis. Nam hæc priuatio in potentia, ſeu organo eius requiritur ad ſaluandum paſſum denudatum eſſe à forma, quam agens in paſſum introducere conatur; ac per cōſequens, quæ eſt in ipſo, vel formaliter, vt cōtingit in agētibus vniuocis, vel virtualiter, vt in agentibus ęquiuocis contingit.

4 His tamen non obſtantibus amplectenda eſt doctrina tradita ab Ariſtotele, tū propter eius auctoritatē, quæ adeò expreſſa eſt, vt nulla tergiuerſatione poſsit cælari: tum etiam propter ſatis obvias experientias, quæ illam oſtendunt: experimur enim, plus nos ſentire frigiditatem aquæ, ſi manibus calidis tangatur, quàm ſi tangatur manibus frigidis, cuius experiētiæ nulla alia ratio adhiberi poteſt, niſi quia ſenſus tactus ſolùm percipit in obiecto tangibili excellentias, ſeu experientias qualitatis, quæ tāgitur, quæ maiores ſunt in frigiditate aquæ, cum tangitur manibus calidis, ac cum tangitur manibus frigidis.

5 Dices; etiam experientia conſtat, vnam manum ſentire aliam, quando tanguntur, etiamſi ſint æquè calidæ, vel æquè frigidæ: ergo non ſolùm ſentiuntur qualitates excedentes, & ſuperantes, ſed etiam æquales. Reſpondetur, in dicto caſu vnam manum ſentire aliam, non ratione caliditatis, vel frigiditatis; ſed ratione alterius tangibilis qualitatis, in qua vna manus excedit aliam, vt ſunt durities, molities, lenitas, aſperitas, &c.

6 Ad rationem dubitandi, quam in contrarium adduximus, reſpondemus, quòd etiāſi potentia ſenſitiua tactus ad ſentiendum immutetur, ſeu patiatur à ſuo obiecto actione intētionali, & non reali; nihilominus ſolùm ſentire exuperantias ſui obiecti, & non gradus, in quibus adæquat illud; quia ſenſibile poſitū intra ſenſum; non ſolùm impedit ſenſationem ſui (vt dicemus diſputatione ſequenti) ſed etiam, & propter eaſdem rationes, quas loco citato adducemus, impedit ſenſationem obiecti ſenſibilis, ſibi ſimilis, etiam exiſtentis extra ſenſum; & hoc eſt, quod docuit Ariſtoteles 3. lib. de anima capit. 4. dum dixit,

In-

Digitized by Google

Intus exiſtens prohibet extraneum, id eſt, frigiditatem (exempli gratia) exiſtentem intra organum potentiæ tactus impedire ſenſationem ſimilis frigiditatis exiſtentis in ſubiecto extraneo potentiæ ſenſitiuæ tactus.

7 Quo autem pacto poſsit ſenſus tactus percipere in qualitate tangibili ſolùm exuperantias qualitatis, id eſt, ſolùm gradum ſuperiorem, non ſentiendo gradus inferiores, difficilè ſanè erit apud illos, qui ſuſtinent, gradus intenſionis eſſe heterogenios, & eſſentialiter ſubordinatos, ita vt ſuperiores neque conſiſtere, neque percipi poſsint ſine inferioribus; ſed ſecundum nos, qui 1. libro de generatione hãc heterogeneijtatem, & ſubordinationem eſſentialem non admiſimus, nullam habet difficultatem.

QVÆSTIO V.

Vtrùm ſint plures ſpecies tactus?

1 HVic dubitationi anſam dederunt, tam Ariſtoteles, quàm Scotus, qui in diuerſis locis diuerſa, imò oppoſita docuiſſe videntur. Nam in primis dari duos ſenſus tactus ſpecie diuerſos in ſingulis partibus animalis, huius ſenſus capacibus, vnum, per quem percipimus vnam contrarietatem primarum qualitatum, frigiditatem, ſcilicet, & caliditatẽ, ad quam reducuntur contrarietates mediæ ſecũdarũ qualitatum tangibiliũ, quæ maiorem participationem huius cõtrarietatis præſupponunt: & alium, per quem percipimus aliam contrarietatem primarum qualitatum, humiditatẽ, ſcilicet, & ſiccitatem, ad quam reducuntur contrarietates mediæ ſecundarum qualitatum tangibilium, quæ maiorẽ participationem huius contrarietatis præſupponunt; non ſolùm docuerunt Ariſtoteles in hoc libro cap. 11. & Scotus quæſt. 1. de anima; ſed etiam aliquibus rationibus comprobarunt.

2 Primo; vnus ſenſus tantùm percipit vnam contrarietatem extremam, & media, quæ participant hanc extremam contrarietatem, vt videre eſt in viſu, qui ſolùm percipit contrarietatem extremam, quæ eſt inter album, & nigrum, & colores medios, qui participant hos colores extremos; ſed inter qualitates tangibiles dantur duæ contrarietates extremæ, nimirum frigidum, & calidũ; humidum, & ſiccum; ergo aſſignandi ſunt neceſſariò duo ſenſus tactus, à quibus hæ duæ contrarietates extremæ, & earum mediæ percipiantur, qui etiamſi materialiter ſint idem, ſaltem formaliter, & ſpecificè ſint diſtincti.

3 Confirmatur, & declaratur ampliùs ratio facta ab Scoto; vna potentia particularis ſenſitiua eſt tantùm vnius ge-

ne-

Digitized by Google

neris phyſici; ſicut patet per inductionem in alijs ſenſibus particularibus, & per rationem, quia obiectum debet correſpondere potentiæ: ſed tactus non eſt vnius generis phyſici, quia tale eſt vnius tantùm cōtrarietatis, vt patet per Philoſophum 10. Metaph. & per rationem, quia quæ ſunt eiuſdem generis phyſici, ſunt adinuicem tranſmitabilia, & ea, quæ ſunt vnius contrarietatis, non ſunt adinuicem tranſmutabilia in ea, quæ ſunt alterius contrarietatis; ergo tactus non erit vna potentia particularis, ſed potiùs plures, etſi materialiter non diuerſæ; formaliter tamen ſpecificè diſtinctæ.

4 Confirmatur ampliùs ab eodem Scoto; quia impoſsibile eſt, vnum ſenſum tactus habere ſimul, & ſemel duos actus diſtinctos perfectiſsimos; nam ſi hoc non conceditur intellectui, cur concedendum erit tactui? Sed tactus habet ſimul, & ſemel duos actus diſtinctos perfectiſsimos; nam ſimul, & ſemel perfectiſsimè ſentit, aquam eſſe frigidam, & humidam: ergo ſenſus tactus non eſt vnus, ſed plures, ſaltem formaliter diſtincti. Quòd autem iſti actus ſint realiter diſtincti, probat Scotus, quia ſaltem potentia Dei abſoluta poteſt vnum manere ſine alio, vt contingeret, ſi potentia Dei abſoluta Deus auferret à prædicta aqua frigiditatem, conſeruando illius humiditatem; tunc enim maneret actus ſenſitiuus humiditatis ſine actu ſenſitiuo frigiditatis.

5 E contrario non dari duos ſenſus tactus ſpecie diuerſos in ſingulis partibus animalis, huius ſenſus capacibus; ſed omnem tactum eſſe ſenſum eiuſdem ſpeciei atomæ, ſicuti & ſunt alij ſenſus externi; & conſequenter non dari plures, quàm quinque ſenſus externos; non ſolùm docuerūt Ariſtoteles 3. libro de anima cap. 1. & Scotus quæſt. 6. de anima; ſed etiā rationibus cōprobarunt, quarū ſumma hæc eſt.

6 Omnes qualitates tangibiles, cuiuſcumque ſint contrarietatis, habent eundem modū immutandi intentionaliter tactum; licet enim illum immutent per ſpecies intentionales ipſarum, & in hoc conueniāt cum omnibus alijs obiectis ſenſibilibus; tamen ad hanc immutationem intentionalem, neceſſario, & per ſe requiritur, quòd præcedat, ſaltem natura contactus phyſicus, & realis ipſarum ad carnē, quæ eſt medium intrinſecum tactus: ergo potentia, à qua percipiuntur, quæ dicitur tactus, erit vnica in ſpecie atoma: patet conſequētia, quia ex eodem, vel diuerſo modo per ſe, & eſſentialiter requiſito in immutatione potem-

tentiæ ab obiecto ſumitur vnitas, vel diuerſitas ſpecifica potentiarum.

7 Pro ſolutione huius quæſtionis, & reconciliatione auctoritatum, tam Ariſtotelis, quàm noſtri Scoti, quæ adductæ ſunt, & primo aſpectu videntur eſſe contrariæ, valdè notandum eſt, quòd ſicut in obiectis ſenſuum externorum diſtinguimus eſſe reale, & terminatiuum ab eſſe intentionali: & motiuo; ita pariformiter in potentijs ſenſitiuis, quæ prædictis obiectis correſpondent, diſtingui debet eſſe reale potentiale, quod eſt, cui correſpondet eſſe reale, & terminatiuum obiecti, ab eſſe intentionali potentiali, quod eſt, cui correſpondet eſſe intentionale, & motiuum obiecti, qua diſtinctione ſuppoſita, duobus aſſertis propoſitæ quæſtioni reſpondemus.

8 *Primum aſſertum*; ſi potentia tactus ſecundum ſuum eſſe reale potentiale conſideretur, includit duas formalitates potentiales, ſpecificè diſtinctas, vnam, per quam reſpicit tanquam obiectum terminatiuũ adæquatum, vnam contrarietatem primarum qualitatum ſecundum ſuum eſſe reale, calidum, ſcilicet, & frigidum, & aliam, per quam reſpicit, tanquam obiectum terminatiuũ adæquatum, alteram contrarietatem primarum qualitatum, ſecundum ſuum eſſe reale; humidum, ſcilicet, & ſiccum. In hoc ſenſu vera, & intelligenda eſt doctrina Ariſtotelis in capit. 11. huius libri, & Scoti quæſtion. 1. de anima, dum aſſerunt, dari duos ſenſus tactus formaliter, & ſpecificè diſtinctos, & ipſum, ni fallor, efficaciter conuincunt rationes, quæ ex Ariſtotele, & Scoto ad ipſum probandum adductæ ſunt. Neque ratio numero 6. adducta aliquid in contrariam probat. Nam prædictæ formalitates potentiales, quas potentia tactus ſecundum ſuum eſſe reale conſiderata includit, non ſumunt vnitatem, vel diuerſitatem ſpecificam à qualitatibus tangibilibus, ſecundum ſuum eſſe intentionale, & motiuum conſideratis, ſed conſideratis ſecundum ſuum eſſe reale, & terminatiuum.

9 *Secundum aſſertum*; ſi potentia tactus ſecundum ſuum eſſe reale intentionale potentiale conſideretur, qua ratione debet conſiderari, dum illam diſtinguimus ab alijs potentijs ſenſitiuis, vnica tantum eſt in ſpecie athoma reſpectu omnium qualitatum tangibilium. In hoc ſenſu vera, & intelligenda eſt doctrina Ariſtotelis 3. de anima capit. 1. & Scoti quæſtion. 6. de anima, dum affirmant, non dari duos ſenſus tactus diſtinctos in ſpecie; ſed omnem tactum eſſe eiuſdem ſpeciei athomæ; ſi-

cuti ſunt omnes alij ſenſus exteriores; & conſequenter tantùm eſſe quinque ſpecies ſenſuum exteriorũ: & ipſum maniſeſtè conuincit ratio num. 6. adducta. Neque rationes adductæ num. 2. & ſequentibus aliquid in contrarium probāt; nam potentia tactus ſecundum ſuum eſſe intentionale conſiderata, non ſumit vnitatem, vel diuerſitatem ſpecificam à qualitatibus tangibilibus, ſecundum ſuum eſſe reale, & terminatiuum conſideratis, ſed conſideratis ſecundum ſuum eſſe intentionale, & motiuum.

10 Ex dictis colliges, neque Ariſtotelem, neque Scotum in diuerſis locis contraria dixiſſe, vt ſine debito examine aliqui recentiores contendunt, addentes, Ariſtotelem 3. de anima capit. 1. retractaſſe id quod in eodem tractatu lib. 2., cap. 11. docuerat.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De communibus omnibus ſenſibus.

IN 12. & vltimo capite huius ſecundi libri duo communia omnibus ſenſibus enumerat Ariſtoteles; primum, ſuſcipere formas ſine materia, ſiue, quod idem eſt, moueri ab obiectis intentionaliter, ſuſcipiendo ab eis ſpecies intentionales ipſorum. Secundum, recipi in ſubiectis materialibus. Quæ duo ſatis explicata manent ex his, quæ dicta ſunt, tam in diſputatione de potentijs animæ in communi, quàm in diſputationibus de ſpeciebus intentionalibus, & de ſenſibus in particulari circa modum, quo vnuſquiſque immutatur à ſuo obiecto; & explicando, quod ſit organum vniuſcuiuſque. Solùm ergo duo examinanda reſtant in hac diſputatione; primum, *Vtrùm ſenſibile poſitum ſupra ſenſum cauſet ſenſationem?* Secundum, *Quomodo excellens ſenſibile lædat ſenſum?*

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm ſenſibile poſitum ſupra ſenſum cauſet ſenſationem?

1 DVobus modis poteſt intelligi, quòd ſenſibile ſit ſupra sēſum; primò ita, vt ſit penetratum cum organo, in quo reſidet potentia ſenſitiua. Secundò ita, vt licet nō ſit penetratum, ſit tamen ita contiguū, vt inter ſenſibile, & organum, in quo reſidet potentia ſenſitiua, nullum interueniat corpus medium, neque extrinſecum, neque intrinſecū.

2 Primo modo certum debet eſſe apud omnes, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum nō cauſare ſenſationem; hoc enim oſtendit experientia, qua experimur, nos non videre colorē, aut magnitudinē pupillæ noſtri oculi, quæ reuera viſibilia ſunt, cum ab alijs videantur: itē tactum non percipere duritiē, aut mollitiem illius nerui, in quo reſidet, cæteraſque qualitates ad illius temperamentum requiſitas, cum reuera durities, & mollities nerui, in quo reſidet potentia tactus, cæteræque qualitates ad illius temperamentum requiſitæ obiecta tangibilia ſint. Solùm ergo procedere poteſt quæſtio de ſenſibili poſito ſupra ſenſum ſecundo modo. Vndè inquirere, an ſenſibile poſitum ſupra ſenſum poſsit cauſare ſenſationem; idem eſt, ac inquirere, an ad ſentiendum neceſſarium ſit, quòd inter ſenſibile, & organum, in quo reſidet ſenſus, interueniat aliquod medium, vel extrinſecum, vel intrinſecum; an non?

3 Prima ſententia affirmat, ad ſenſationem nullum ſenſum per ſe expoſtullare aliquod medium; & conſequenter illud proloquium, *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, ſeu contiguum ſenſui non cauſat ſenſationem*, in omnibus ſenſibus eſſe falſum. Neque obſtat, inquit hæc ſententia, quòd color poſitus ſupra viſum, ſeu contiguus viſui, non videatur. Nam hoc non euenit per ſe, ſed per accidens, nimirum, quia color, vt percipiatur à viſu, debet eſſe illuminatus, quod in dicto caſu non contingit: ita Cardinalis Toletus 3. huius operis capit. 10. quæſtion. 2. quem aliqui iuniores ſequuntur, qui illam attribuunt Scoto quæſtion. 4. de anima; ſed quàm immeritò, in fine huius quæſtionis expendemus.

4 Præcipuum fundamentum huius quæſtionis eſt; quia ad ſenſationem per ſe ſolùm requiritur ex doctrina Ariſto-

Digitized by Google

tellca, quòd obiectum ſenſibile coniungatur cum potentia ſenſitiua, medijs ſpeciebus intentionalibus ipſius; ſed nihil impedit, quòd obiectum ſenſibile poſitum ſupra potentiam ſenſitiuam, id eſt, illi cōtiguum emittat in illam ſpecies intentionales ſui; imò multū iuvat; nam eſt agens naturale, & omne agēs naturale fortiùs, & perfectiùs agit in propinquum, quàm in remotum; ergo ſine ratione ad ſenſationem per ſe requiritur aliquod medium inter ſenſibile, & ſenſum; & conſequēter negatur, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non poſſe facere ſenſationem.

5 Secunda ſententia ſolùm de tactu, & guſtu affirmat, ad ſuas ſenſationes non requirere per ſe aliquod medium, neque extrinſecum, neque intrinſecum; & conſequenter in his duobus ſenſibus nō eſſe verum illud proloquium, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, ſeu contiguum ſenſui non cauſat ſenſationē; ita Conimbricenſes hìc cap.11. quæſt.3. artic.3. circa finem; Suarez libro 3. de anima cap.27. Et ſaltem quoad tactum idem ſentire tenētur omnes auctores, qui tenent, nō ſolùm nervum, ſed etiam carnē, imò & pelliculam eius eſſe organum tactus, quos retulimus diſputat. præcedenti quæſt. 1. num. 3. Imò Rubius libro 3. de anima cap.1. extendit hoc, nō ſolùm ad tactum, & guſtum; ſed etiam ad olfactum: imò nō deſunt, qui hoc etiam extendant ad auditum.

6 Et præter rationem factam pro prima ſententia, quæ generalis eſt pro omnibus ſenſibus, probari ſolet ſigillatim pro his quatuor ſenſibus, aliquibus experientijs. Pro tactu, quia tangibile poſitum ſupra carnem ſentitur. Neque effugitur difficultas, ſi dicas, carnem non eſſe organum tactus; ſed nervum latentē ſub carne, vt ex Scoto, D. Thoma, & Ariſtotele ſupra oſtenſum eſt; nam etiamſi nervum denudatum à carne, immediatè aliquo ferro pungas, maximus abſque dubio dolor indè reſultabit. Pro guſtu, quia partes liquidę, ac ſubtiliores cibi, ſalivæ permiſtæ per partes poroſas linguæ pertrāſeunt vſque ad nervum, in quo ponitur organū guſtus, & ibi ſuperpoſitæ, ſeu cōtiguæ à potētia guſtus in prædicto nervo reſidēte ſentiuntur. Pro olfactu, quia exhalationes odoriferę attractę media inſpiratione per nares, attingunt carunculas mammilares, in quibus tāquam in organo reſidet potentia olfactus, & nihilominus ibi ſentiuntur, nō obſtāte, quòd ſint cōtiguæ, ſeu poſitæ ſupra olfactū. Pro auditu, quia poſito digito ſuper auriculā, experimur, ſeu ſentimus quendā ſonum, non ſolū iuxta, ſed etiam intra tympanum, quod ponitur organum, in quo reſidet potentia auditus.

7 His tamen non obſtantibus, tenenda eſt communis,&. peripatetica doctrina, quæ ſuſtinet,ad ſenſationem per ſe,&. neceſſariò requiri aliquod medium,vel extrinſecum,vt contingit in quatuor prioribus ſenſibus,vel intrinſecum, vt contingit in ſenſu tactus, & conſequenter ſenſibile poſitum ſupra ſenſum,ſeu cōtiguum ſenſui non poſſe cauſare ſenſationem in illa parte ſenſus, quæ eſt ei contigua:ita Scotus quæſtione 3. de anima, D. Thom. hoc in libro lect.15. ſuper textum 75. quem omnes diſcipuli ſequuntur, & quàm plures alij, quos referunt, & ſequuntur Patres Carmelitani diſp.9. quæſt. 3. §.2.

8 Probari poteſt primò expreſsis teſtimonijs Ariſtotelis; nam in hoc 2. libro capite 8. textu 75. poſtquam docuit, viſibile poſitū ſupra ſenſum impedire viſionem, ſubdit, idem cōtingere in ſenſibilibus aliorum ſenſuum: verba Ariſtotelis ſunt, *Eadem autem ratio eſt de ſono,& odore; nihil enim ipſorum tangens ſenſorium facit ſenſum; ſed ab odore quidem,& ſono media mouentur; ab hoc autem ſenſitiuorum vtrumque; cum autem ſuper ipſum ſenſitiuum aliquis apponit olens, aut ſonans, neutrum ſenſum facit. De tactu autem,& guſtu habet ſe ſimiliter.* Quid clariùs,& expreſſius? Idem repetit cap.11. textu 116. & 3. libro de anima cap. 1. non ſolùm docet, non eſſe plures ſenſus externos,quā quinque, ſed etiam id probat, quia ſi eſſent plures ſenſus, & plura organa, deberent etiam eſſe plura media; quod non eſſet verum, ſi ſenſus omnes ex natura ſua nō expoſcerent aliquod medium.

9 Id autem,quod ad prædictas auctoritates Ariſtotelis reſpondent aduerſarij, nimirum, Ariſtotelem in ipſis ſolū intēdiſſe, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non cauſare ſenſationem, in quantum immutat illū actione reali,ſeu naturali,cum quo optimè compatitur, quòd illā cauſat, in quātum immutat illum actione intentionali, friuolum eſt; tum quia,ſi ſenſiſſet, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum poſſe actione intentionali cauſare ſenſationē, ineptè ex hoc principio probaret,carnē non eſſe organum tactus,ſed potiùs neruum ſub ea latens,vt de facto probauit cap.11. huius libri. Tum etiam,quia ſi ſolū intendiſſet, ſenſibile poſitūſupra ſenſum nō poſſe cauſare ſenſationem actione reali,ſeu naturali, ineptè etiā quoad hoc diſtingueret, vt de facto diſtinguit, ſenſibile poſitū ſupra ſenſum à ſenſibili non poſito ſupra ſenſum; nam in doctrina Ariſt. nullum ſenſibile, ſiue ponatur ſupra ſenſum, ſiue non, poteſt immutare ſenſum ad ſenſationem actione reali,ſeu naturali, ſed ſimpliciter eſt neceſſariū, quòd illū immutet actione inten-

ten-

Digitized by Google

tentionali, id eſt, per ſpecies intentionales, denudatas à materialitate obiecti in ſenſum impreſſas; quod, pręter auctoritatē Ariſt. optimè probauit Scotus q. 4. de anima, ex eo quòd ſenſibile, ſi ſolùm immutaret ſenſum actione reali, & naturali, & in quantum organū eius quoddā miſtum naturale eſt, nō plus ſentiret qualitates tangibiles, quàm lignum, aut lapis, cum ſimili actione reali, & naturali ab ipſis immutantur.

10 Secūdò probari poteſt hac ratione; ad omnem ſenſationē neceſſarium ſimpliciter eſt, vt ſit debita proportio in ratione immaterialitatis inter potentiā ſenſitiuam, & ſpecies intentionales, quibus potentia ſenſitiua mouetur ad ſenſationem; aliàs poſſet obiectum materiale ſenſibile per ſuū eſſe reale immutare ad ſentiendum potentiam ſenſitiuam; neque vllo modo ad hoc indigeret potentia ſenſitiua ſpeciebus intētionalibus, ſeu vt verbis Ariſtotelis vtar, non eſſet opus, vt ſenſus reciperet formas ſine materia; ſed inter ſpeciem intētionalē, quam ſenſibile poſitum ſupra ſenſum emittit in potentiam ſenſitiuā, & ipſam potentiā ſenſitiuā non poteſt eſſe prædicta proportio: ergo ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, ſeu contiguum ſenſui non poterit cauſare ſenſationē.

11 Minor huius diſcurſus colligitur ex eo, quòd omne obiectum ſenſibile eſt materialius potentia ſenſitiua, cui correſpondet; ergo vt ſpecies intentionalis, quam emittit in potētiam ſenſitiuam, denudetur à materialitate, quæ eſt in obiecto, & reddatur quoad hoc proportionata cū potentia ſenſitiua, neceſſarium erit, quòd obiectum non ſit contiguum potētiæ; ſed potiùs inter ipſum, & potentiam ſit aliqua diſtantia, & conſequenter inter ipſum, & potentiam mediet aliquid; nam diſtantia aliqua inter obiectum, & potentiam ad hoc, vt ſpecies intentionalis denudetur à materialitate obiecti, per ſe neceſſaria eſt.

12 Porrò diſtantiam aliquam inter obiectum ſenſibile, & eius potētiam eſſe per ſe requiſitam ad hoc, vt ſpecies intentionalis denudetur à materialitate obiecti, reddaturque proportionata cum potentia ad eliciendum ſimul cum illa ſenſationem; probatur experiētia, qua experimur, ſenſus non percipere ſua obiecta, quæ cum ipſorum organis ſunt penetrata, vt num. 2. dicebamus, cuius nulla alia poteſt aſsignari ratio, niſi quòd inter obiectum, & potentiam, nulla aſsignatur diſtantia, & ad hoc, vt ſpecies intentionalis denudetur à materialitate obiecti, reddaturque proportionata in immaterialitate cum potentia, aliqua diſtantia inter obiectum, & potētiam per ſe neceſſaria eſt, maior, vel minor, iuxta maiorem,

Digitized by Google

vel minorem immaterialitatem potentiæ ſenſitiuæ.

13 Ad fundamentum primæ ſententiæ, quod ſi quid probaret, probaret vtique, nō ſolùm ſenſibile contiguum potentiæ ſenſitiuæ, ſeu organo eius poſſe facere ſenſationem; ſed etiam ſentiri poſſe à potētia (imò potiori ratione) cū qua, ſeu organo eius eſt actualiter penetratū, quod nullus auſus eſt dicere; quia pugnat cū experiētia. Reſpōdemus pro omnibus, ad ſenſationē ex Ariſtotelica doctrina per ſe, nō ſolū requiri, quòd obiectum ſenſibile cōiungatur cum potētia medijs ſpeciebus intentionalibus ipſius; ſed etiā quòd ſpecies iſtæ ſint denudatæ à materialitate obiecti, ſiue, vt verbis Ariſtotelis vtar, ſint formę ſine materia, & quia hoc vltimum non contingit, neque in ſpeciebus intentionalibus, quæ emittuntur in potentiam à ſenſibili cum ipſa penetrato, neque in ſpeciebus intentionalibus, quæ emittuntur in potentiam, à ſenſibili cum ipſa contiguo, ideò ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, ſiue hoc contingat per penetrationem, ſiue per contiguationem, non poteſt facere ſenſationem.

14 Ad experientias, quibus auctores ſecundæ ſententiæ conabantur, ſaltem in quatuor ſenſibus, ſcilicet, in tactu, in guſtu, in olfactu, & auditu, non eſſe verum, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facere ſenſationē, ſuo ordine reſpōdemus.

15 Ad primam de tactu dicimus, tangibile poſitum ſupra carnem ſentiri; quia caro non eſt organum tactus, ſed nervus ſub ea latens. Et ad inſtātiam, ſunt, qui dicant (vt annotavit Scotus quæſtione 4. de anima) quòd ſi nervus denudaretur à carne, & immediatè pungeretur aliquo ferro, non ſentiret illum tactum: ſed probabilius puto, quòd ſentiret dolorem, non ſecundum illam partem, in qua immediatè pungitur; ſed ſecundum alias, ab illa aliquo modo diſtantes: licet enim in illam partem nervi, in qua reſideret dolor, ſecūdum ſuum eſſe reale prædictus dolor non emitteret ſpecies intentionales ſui, à materialitate obiecti denudatas, & ſic per illas non poſſet dolorem ſentire; tamen in alias partes ipſius nervi aliquantulum diſtinctas ſpecies intentionales, quas emitteret, ratione alicuius diſtantiæ eſſent denudatæ à materialitate obiecti, & ſic per illas optimè ſentiret nervus dolorem cauſatum ex punctione, ſeu ſciſſione. Neque ex his colligas, ad rationem medij tactus carnem ſuperfluere; quia eo modo diſponere debuit natura organum tactus, vt immediatè poſſet ſentire ſecundum quamlibet partem ſui, quod non præſtaret, niſi tribuiſſet ei aliud medium.

16 Ad ſecundam, & tertiam ex-

Digitized by Google

experientiam de guſtu, & de tactu, admiſſo, quod partes liquidæ, & ſubtiliores cibi ſaliuæ permiſtę per partes poroſas linguæ pertranſeant vſque ad neruum, in quo eſt organum guſtus; & ſimiliter, quod exhalationes odoriferæ attractę media inſpiratione per nares attingant caruncuIas mammilares, in quibus tanquam in organo reſidet potentia olfactus; negamus, in prædictis caſibus ſaporem exiſtentem ſupra organum guſtus percipi à guſtu, & exhalationes odoriferas exiſtentes ſupra caruncuIas mammilares percipi ab olfactu; ſed quod percipitur per guſtum, dicimus eſſe ſaporem exiſtentem extra organum guſtus, & quod percipitur per olfactum, eſſe exhalationes odoriferas exiſtẽtes extra caruncuIas mãmilares; quod exemplificare poſſumus in viſu, vbi lumen ſecundum ſuum eſſe reale pertingit vſque ad pupillam oculi, imò penetratur cum illa; & tamen experimur, nos non videre lumen exiſtens ſupra, vel intra pupillam, ſed exiſtens extra illam: cuius diſcriminis rationem à priori num. 10. & numero 13. huius quæſtionis aſſignauimus. Ad quartam, & vltimam experientiam de auditu dicimus, illum ſonum, quem poſito digito ſuper auriculam, ſentimus non eſſe in organo auditus, ſed in alijs vacuitatibus, quę ſunt intra aures.

17 Non me latet, Conimbricenſes cap. 11. quæſtione 3. artic. 2. contendere, Scotum quæſtione 4. de anima ſuſtinere, hoc affatum Ariſtotelicum, *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur*, etſi ſit verum in ſenſu viſus comparato ad corpora viſibilia opaca, vt ſunt corpora colorata; eſſe tamen falſum, non ſolùm in omnibus alijs ſenſibus; ſed etiam in ſenſu viſus comparato ad corpora translucida, & actu illuminata.

18 Sed neſcio, quo fundamento conati ſunt Conimbricenſes Scotum noſtrum deviare à communi ſententia, quæ ſuſtinet, in omni ſenſu per ſe requiri ad ſenſationem, quod interveniat aliquod medium inter ſenſibile, & ipſum ſenſum; & conſequenter ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, non ſolùm per penetrationem, ſed etiam per contiguationem nõ ſentiri ab illa parte ſenſus, cuĩ eſt contiguum, quam nos in hac quæſtione amplexi ſumus. Nam hanc doctrinam, non ſolùm ſequutus eſt Scotus quæſtione 3. de anima; ſed etiam inductione facta per ſingulos ſenſus demonſtrauit, quam inductionem ferè ad literam nos retulimus diſputatione præcedenti, quæſtione 2. numero 12.

19 In quæſtione autem 4. de anima relata à Conimbricenſibus, nõ ſolũ non cõtradicit his,

quæ docuerat quæſt. 3. citata antecedenti; ſed etiam ipſis aſſentitur: proponit enim ipſam ſub hoc titulo, *vtrùm ſenſibile poſitum ſuper ſenſum, vel organũ ſenſus ſentiatur?* Et propoſitis rationibus pro parte affirmatiua, reſpondet ad quæſtionem his verbis, *Contra eſt Philoſophus, & omnes communiter concedunt in tantũ, quòd dicunt aliqui, quòd ſi cultellus ſcinderet immediatè neruum, in quo eſt ſenſus tactus, homo nõ ſentiret*, &c. §. *Reſpõdeo*, etſi plura doceat ſcitu digna; nihil tamen docet, ex quo colligi poſſit id, quod Conimbricẽſes attribuere volunt Scoto, ſcilicet, ſenſiſſe affatum Philoſophi, *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentiri*, eſſe falſum, non ſolùm in omnibus alijs ſenſibus à viſu, ſed etiam in viſu comparato ad corpora translucida, & actu illuminata; nam potiùs docet cõtrarium, quod patebit, ſi per ſingula diſcurramus.

20 Primum, quod docet eſt, in viſu reſpectu coloris eſſe ſpecialem rationẽ, quæ non eſt in alijs ſenſibus, quare ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentiatur, nimirum, quòd color nõ videtur, niſi in lumine, requiritque medium illuminatum; ſi autem color poneretur ſuper organũ viſus, obumbraret ipſum; ex hoc diſcrimine poſito ab Scoto inter viſum reſpectu coloris, & alios ſenſus (quod veriſſimum eſt) non rectè inferunt Conimbricenſes, ſecundũ Scotum in alijs ſenſibus affatũ iſtud, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur, eſſe falſum, nam etiam ipſi hoc diſcrimen admittunt, & nihilominus affirmant, prædictum affatum Ariſtotelis eſſe verũ. Cur, quod ipſi affirmant, & non obſtante prędicto diſcrimine verum putant, denegare contendunt noſtro Scoto?

21 Deindè ſupponit Scotus, duobus modis poſſe ſenſibile immutare ſenſum, ſeu eius organum; primò *naturaliter*, quod dupliciter explicat contingere poſſe, vel immutando ſenſum, ſeu organum eius per ſuũ eſſe reale, vt cum calor immutat ſenſum tactus, ſeu organũ eius, ipſum calefaciendo, vel ſi per aliud eſſe (nimirum per ſpeciẽ intentionalem) habens tamen eundem modum eſſendi (id eſt, eãdem materialitatẽ) ac habet ſenſibile ſecundũ ſuũ eſſe reale (vt dictũ eſt habere ſpecies intẽtionales, quas ſenſibilia, dum ſunt penetrata, vel cõtigua ſenſui, ſeu organo eius, emittunt in ſenſum, ſeu in eius organum.) Secundò *animaliter*, quod contingit, cũ immutat ſenſum, ſeu organũ eius per ſpecies intẽtionales, quæ non ſolũ habẽt aliud eſſe ab eſſe reali ſenſibili; ſed etiã diuerſum modum eſſendi, id eſt, ſunt denudatæ à materialitate, quã habet eſſe reale obiecti ſenſibilis, vt cõtingit, cùm calor mediante carne immitit ſpecies intentionales ſui in neruum,

Digitized by Google

vum, qui eſt organum, in quo reſidet potẽtia ſenſitiua tactus.

22 Rurſus hac diſtinctione ſuppoſita, affirmat Scotus, quòd etiamſi de facto ſolus ſenſus viſus immutetur à coloribus tantũ animaliter, ſeu ſpiritualiter; alij verò quatuor ſenſus immutentur à ſuis obiectis vtroque modo, naturaliter, ſcilicet, & animaliter; nihilominus immutationẽ naturalem, quæ reperitur in illis, non conducere ad ſenſationẽ ipſorum obiectorũ; ſed potiùs illã impedire; immutationẽ verò animalẽ, ſeu ſpiritualẽ, qualis eſt, quæ fit per ſpecies, ſeu formas ſine materia, eſſe ad ſenſationem ſimpliciter requiſitam, quã doctrinã (quæ vt ſæpè oſtenſum eſt, Ariſtotelica eſt, & à veris Peripateticis recepta) probat Scotus; tũ quia ſi ſenſus, exempli gratia, tactus, ſolũ immutaretur à qualitatibus tangibilibus immutatione naturali, non magis illas ſentiret, quã lignum, vel lapis. Tum etiã, quia ſi immutatio animalis ſepararetur à naturali, ſenſus nõ ſolùm per illam ſentiret obiectum, ſed ſentiret illud magis perfectè, ac illud ſentit, cùm ſimul etiã immutatur ab illo immutatione naturali; quod probat Scotus ratione Theologica: nam in dãnatis, inquit, poſt reſurrectionem generalẽ, erit ſenſus tactus, & omnes ſenſus in actu ſuo, & tamen tunc tactus non immutabitur naturaliter, quia iſta immutatio eſt corruptiua; ſed tantũ intẽtionaliter; & tamen non ſolùm ibi erit ſenſatio tactus, ſed etiam magis intẽſa, & afflictiua, quàm modò.

23 Demũ ex omnibus dictis concludit Scotus, non id, quod ei attribuunt Conimbricẽſes, ſed potiùs ex diametro oppoſitum, nimirũ, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, ſecundum Ariſt. & veritatẽ, non ſentiri; & probat, quia ſenſibile poſitũ ſupra ſenſum, ſolũ immutat illũ naturaliter, non verò animaliter; nam etiãſi illum immutet, non ſolùm per ſuum eſſe reale, ſed etiã per ſpeciem intentionalẽ; tamen cum hæc ſpecies habeat eundẽ modum eſſendi, id eſt, ſit ita materialis, ac eſt obiectum, non minùs inepta erit ad cauſandũ ſimul cum potentia ſenſationẽ, ac eſt ipſum eſſe reale obiecti: & per hãc diſtinctionẽ (quam appellat rectam expoſitionẽ cõcluſionis Ariſt.) ſoluit argumẽta, quæ propoſuerat in initio quæſtionis, deſumpta ex aliquibus experiẽtijs, quæ militare videbantur contra affatũ Ariſt. ſenſibile poſitũ ſupra ſenſum non ſentitur. En quam immeritò Conimbricẽſes, & etiã Toletus, alijque recẽtiores Doctorẽ ſubtilẽ conati ſunt à cõmuni, & vera ſentẽtia deviare, imponẽtes ei ſenſiſſe in prædicta quæſt. de anima, affatum illud Ariſtotelicũ *ſenſibile poſitũ ſupra ſenſum nõ ſentitur*, etſi ſit verũ in ſenſu viſus cõparato ad corpora viſibilia opaca, vt ſunt

corpora colorata; eſſe tamen falſum, nō ſolū in alijs ſenſibus, ſed etiā in viſu comparato ad corpora translucida, & actu illuminata: &, ni fallor, iſtorum deceptio fuit, quia putabant, in ſententia Scoti ſolùm dici, ſenſibile immutare ſenſum naturaliter, cùm illum immutat per ſuum eſſe reale, cū re vera etiā doceat, immutare illum naturaliter, & non animaliter, quādo, etiāſi illū immutet per aliud eſſe, ſcilicet, per ſpeciē intētionalē; ſed habēs eundē modum eſſendi, id eſt, eandē materialitatem, ac habet ipſum ſenſibile ſecundū ſuum eſſe reale, vt dictū, & probatū eſt, habere ſpecies intentionales, quas ſenſibilia, dum ſunt penetrata, vel cōtigua ſenſui, vel organo eius, emittunt in ſenſum, ſeu in eius organū. Sit ergo indubitatum, Doctorē noſtrum ſubtilem doctrinā Ariſt. *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur*, non ſolū amplexū fuiſſe; ſed etiā acutiſſimè ipſam declaraſſe, & cōprobaſſe, quod fortaſsè alij nō fecère.

QVÆSTIO II.

Quomodo excellens ſenſibile lædat ſenſum?

1 HÆC quæſtio vnū ſupponit, & aliud inquirit: ſupponit, vt certū, vehemens ſenſibile ſenſum, ſiue organum eius lædere. Hoc enim, & docuit Ariſtot. cap. 2. huius libri textu 123. & 3. libro de anima textu 143. & experientia cōuincitur. Experimur enim, quòd ſi aliquis aliquo tēpore directè ſolē aſpicere conetur, ſtatim viſum lædi, & aliquando deperdi: & idē teſtantur, quàm plures aliæ experiētiæ, quas ad hoc ipſum adducunt Conimbricenſes hîc cap. 12. quæſt. vnica, art. 2.

2 Quod autē inquirit, eſt, quomodo ſenſus lædatur ab excellenti ſenſibili? Et ratio huius inquiſitionis, ſeu dubitationis deſumi poteſt, tum ex parte ipſius ſenſibilis, tum etiā ex parte ipſius ſenſus. Ex parte ſenſibilis, quia cū ſenſibile dupliciter cōſiderari poſſit, ſcilicet, vel ſecūdū ſuum eſſe reale, & in quantū quoddā agens naturale eſt, potens producere actione naturali qualitates ſimiles ſibi innatas, vt calor calorē, frigus frigiditatē, &c. Vel ſecundum quod eſt obiectū potentiæ ſenſitiuæ, potens producere actione intētionali ſpecies intentionales ſui in potentiā ſenſitiuā, cuius eſt obiectū. Nō immeritò inquiri, ſeu dubitari poteſt, an vehemens ſenſibile lædat ſenſum, nō ſolū actione naturali, ſed etiā actione intentionali ex parte ſenſus? Quia cū in ſenſu duo etiā cōſiderari poſſint, ſcilicet, & organū, in quo reſidet potētia ſenſitiua, & ipſamet potētia ſenſitiua, quæ in ſentētia Thomiſtarū eſt quoddā accidēs diſtinctum realiter ab organo; in ſententia verò noſtra, & Scoti, etſi nō ſit accidens, ſed ſubſtantia, idēque realiter cū eius organo; eſt ta-

Digitized by Google

men formalitas à formalitate organi diſtincta, etiam nō immeritò inquiri, & dubitari poteſt, an vehemens ſenſibile lædat per ſe potentiam ſenſitiuam, an ſolùm lædat per ſe organum eius; potentiam verò ſenſitiuam ſolùm per accidēs?

3 Sed vt in hac re certa ab incertis ſepararemus; primò certū eſt, excelēs ſenſibile, ſi ſecūdū ſuum eſſe reale, & vt quoddā agens naturale eſt, cōſideretur, lædere organū ſenſus; hoc eſt præcipuum intentum Ariſt. locis citatis; & ratio efficax eſt, quia cū temperamentū requiſitū ad hoc, vt organum ſenſus perſiſtat aptū, vt per ipſum ſenſus proprijs defungātur muneribus, nō ſolū in figura cōgrua, & idonea cōſiſtat; ſed etiam & præcipuè reſultet ex primarum qualitatū ſymmetria, & moderatione; eo ipſo quòd hęc ſymmetria, ſeu moderatio primarū qualitatū, ex qua debitum tēperamentū organi reſultat, deſtruatur, vt cum effectu deſtruitur, quoties ſenſibile ratione ſuę excellentiæ actione naturali qualitates contrarias inducit; quòd etiā deſtruatur in organo debitū temperamentū, neceſſariū erit; & conſequenter, quòd lædatur ipſum organū, in quātum organū eſt, id eſt, in quantū eſt inſtrumentum aptum, vt per ipſum ſenſus proprijs muneribus fungātur; quod optimè declaravit ipſemet Ariſt. exēplo ſymphoniæ, ſeu toni muſici; nam cum hæc conſiſtat in quadā moderatione pulſationis chordarū alicuius inſtrumēti muſici, ſi chordæ pulſatione maiori, ac exigitur, pulſentur, læditur, ac deſtruitur ſymphonia, ſeu tonus muſicus: ita cum debitū temperamentū, ad hoc vt organū ſenſus ſit aptū, vt per ipſum ſenſus proprijs fungatur muneribus, reſultet ex ſymmetria, ſeu moderatione primarū qualitatum, eo ipſo, quòd hæc ſymmetria, ſeu moderatio primarū qualitatum lædatur, ſeu deſtruatur, vt de facto læditur, & deſtruitur, quoties ſenſibile ratione ſuæ excellētiæ actione naturali qualitates cōtrarias inducit; quòd etiam lædatur, & deſtruatur in organo debitum tēperamentum, erit neceſſariū; & conſequenter, quòd lædatur, & deſtruatur ipſum organum, in quantum organum eſt, id eſt, in quantum eſt inſtrumentum aptum, vt per ipſum ſenſus proprijs muneribus fungantur.

4 Secundò eſt certum, excellens ſenſibile, ſi ſecūdum ſuum eſſe reale, vt eſt quoddam agēs naturale, conſideretur, nō lędere per ſe potentiam ſenſitiuam, ſed ſolū per accidens, in quantū, ſcilicet, lædit (vt dictum eſt) organū eius: ita expreſsè docuit Ariſtoteles loco citato, dum dixit, excellentia ſenſibilia lædere non ſenſum, ſed ſenſorium; & ratio efficax eſt, quia potentia ſenſitiua formaliter, & per ſe conſiderata non habet

con-

contrarium, à quo lædi, ſeu deſtrui poſſit: ergo ſolùm poteſt lædi, ſeu deſtrui per accidens, ad læſionem, ſcilicet, organi, ſeu ſenſorij, in quo reſidet in ſententia Thomiſtarum, tanquam in ſubiecto, & in ſententia noſtra, & Scoti per identificationem realem.

5 Tota ergo difficultas huius quæſtionis ſita eſt in explicando, an excellens ſenſibile, vt obiectum eſt, & in quantum agit actione intentionali, emittendo, ſcilicet, ſpecies intẽtionales ſui in potentiam ſenſitiuam, poſsit lædere *per ſe* potentiam ſenſitiuam; & dico notanter *per ſe*; quia per accidens (nimirum, quia ſpecies intentionales ob ſuam magnam intenſionem, quaſi rapiunt, & excitant potentiam ad valdè intenſam operationem; & conſequenter potentia attrahit ad ſe plures ſpiritus vitales, qui nimio calore organum potẽtiæ, & conſequenter ipſam potentiam lędant) non dubium, quin lædere ipſam poſsit; imò de facto id ſæpè contingere.

6 Patres Carmelitani diſp. 9. quæſt. 4. §. 2. acriter defendũt, excellens ſenſibile, etiam vt obiectum eſt, & in quantum intentionaliter agit, emittẽdo, ſcilicet, ſpecies intentionales ſui in potentiam ſenſitiuam, ipſam per ſe lædere; & præter Caietanum, & aliquos Thomiſtas, quos pro iſta ſententia adducunt, contendunt ipſam probare, auctoritate Ariſtotelis, deſumpta ex cap. 12. huius libri textu 123. & ex 3. lib. de anima textu 143. & ſimiliter auctoritate D. Thomæ ſuper prædicta loca Ariſtotelis: ſed neſcio, quo iure; nam Ariſtoteles, & D. Tho. in prædictis locis ſolùm affirmant, excellẽs ſenſibile lædere ſenſum; quo autem pacto hoc præſtet, an actione naturali, an actione intentionali, ibi non explicant; imò cum exemplum ſymphoniæ, quo vſus eſt Ariſtoteles ad hoc declarandum, ſolùm poſsit accommodari excellenti ſenſibili, dum operatur naturaliter; non poteſt eſſe dubium, quòd Ariſtoteles ibi ſolùm loquatur de excellenti ſenſibili, vt operatur actione naturali. Et D. Tho. in additionibus quæſt. 85. art. 2. vt videre eſt in 4. ſententiarum, diſt. 44. quæſt. 1. cũ expreſsè affirmet, claritatẽ intenſam nõ poſſe offendere ſenſum, in quantum agit actione animali; ſed ſolùm in quãtum agit actione naturali, ſi locis adductis à Patribus Carmelitanis oppoſitum ſuſtineret, vt ipſi contendunt, Angelicus Doctor ſibimet eſſet contrarius.

7 Fundamentum iſtorum auctorum eſt, quia ſpecies intentionales, quibus ſenſibile mouet intentionaliter ſenſum, debent coaptari, & proportionari cum ipſo ſenſu; ſed cum excellens ſenſibile intentionaliter mouet ſenſum, ſpecies intẽtionales,

Digitized by Google

nales, quas emittunt, cum ſint valdè intenſæ, non coaptātur, nec proportionantur cum potentia ſenſitiua; ergo per ſe illam lædunt.

8 Sed vera, & communis ſententia oppoſitum tenet, ſcilicet, excellens ſenſibile, ſi, vt eſt tantùm obiectum, conſideretur, & quatenus intentionaliter agit, emittendo ſpecies intentionales ſui in potentiam ſenſitiuam, nullatenus illam per ſe lædere, ſed potiùs perficere; ita D. Thomas in additionibus loco num. 6. citato; Ioannes à Sancto Thoma quæſtion. 4. articul. 3. Rubius ſuper caput 12. huius ſecundi libri, quæſtione vnica, & quàm plures alij.

9 Fūdamentum noſtrum eſt, quia ſi excellēs ſenſibile, quādo agit actione naturali, quæ natura ſua eſt corruptiua, non poteſt lædere potentiam ſenſitiuam per ſe, ſed ſolùm per accidens, in quantum, ſcilicet, lædit ſenſorium, ſeu organum eius (vt ex Ariſtotele, & per rationem num. 4. cum recepta ſententia ſtatuimus) multo potiori ratione dicendum erit, neque etiam per ſe poſſe lædere potentiam ſenſitiuam, quādo ſolùm agit actione intentionali, emittendo, ſcilicet, in prædictam potentiam ſpecies intentionales ſui; ſiquidem actio iſta natura ſua, non ſolùm non eſt corruptiua potentiæ, ſed potius eſt perfectiua, vt docuit Ariſtoteles in hoc 2. libro cap. 5. textu 58. Imò hinc deducitur ratio à priori, quæ ſic efformari poteſt: nihil lædi, aut corrūpi poteſt ab eo, ad quod recipiendum dicit inclinationem naturalem; aliàs daretur caſus, in quo aliquid diceret inclinationem naturalem ad ſui corruptionem; quod non ſolùm eſt falſum; ſed etiam impoſsibile: ſed potentia ſenſitiua dicit inclinationem naturalem ad recipiendas ſpecies intentionales ſui obiecti, cuiuſcumque ſint perfectionis; imò eò maiorem, quanto ſpecies intentionales in ratione formali ſpecierum perfectiores ſunt, cum ſpecies intentionales perficiant, & quaſi compleant potentiam ſenſitiuam in ratione totalis, & adæquati principij ſenſationis; ergo falſum, & impoſsibile erit, quòd ſenſibile, quantumcumque excellens ſit, ſi ſolùm conſideretur, vt obiectum, & in quantum ſolùm agit actione intentionali emittendo, ſcilicet, ſpecies intentionales ſui in potentiam ſenſitiuam, illam per ſe lædat, ſeu corrumpat.

10 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondemus, dupliciter poſſe intelligi, ſpecies intentionales, quibus ſenſibile mouet intentionaliter ſenſum, debere coaptari, & proportionari cum ipſo ſenſu, ſeu potentia ſenſitiua; primò in immaterialitate; ſecundò in per-

perfectione, ſeu intenſione. Primo modo verum eſt, quòd aſſumunt, ſed non eſt ad rem. Nam ex eo, quòd ſpecies intẽtionales non coaptentur, ſeu proportionentur in immaterialitate cum ſenſu, ſeu potentia ſenſitiua, etſi optimè inferatur, obiectum ſenſibile non poſſe percipi per ipſas à potentia ſenſitiua, vt ex profeſſo oſtẽdimus cum Ariſtotele, Scoto, & D. Thom. quæſt. præcedenti loquendo de ſpeciebus intentionalibus, quas emittunt ſenſibilia in ſenſum, ſeu organum eius, quando ſunt ſecundum ſuum eſſe reale cum illo penetrata, ſeu contigua; tamen quòd iſtæ ſpecies per ſe lædant ſenſum, ſeu organum eius, nullus vnquam dixit, nec dicere poteſt, cum pugnet cum experientia. Secundo modo falſum eſt, quod aſſumunt, ſcilicet, eo ipſo, quòd ſpecies intentionales exuperent in perfectione, ſeu intenſione potentiam ſenſitiuam, illam per ſe lædere; oppoſitum enim tam à poſteriori, quàm à priori ſupra numer. 9. huius quæſtionis oſtenſum eſt: imò addo, prædictas ſpecies, ſi ſint ratione alicuius medij denudatæ à materialitate obiecti, non ſulùm non lædere per ſe potentiam ſeſitiuam; ſed neque impedire poſſe ſenſationem ſui obiecti, cum experientia conſtet, per prædictas ſpecies obiectum ſentiri, à quacumque potentia propria illius obiecti, ſi ei debitè applicentur, magis, vel minus perfectè iuxta maiorẽ, vel minorem capacitatem potentiæ.

LIBER TERTIVS DE ANIMA.

TEXTVS. *Senſum autem nullum eſſe alium præter hos quinque, &c.*

SVMMA TEXTVS TOTIVS LIBRI.

HVius tertij libri initium non omnes eodem modo deſumunt; nam Auerroes, cæterique Arabes, quos imittati ſunt Albertus magnus, Ægidius, & Caietanus, initium huius libri deſumunt à 4. cap. à quo incipit Ariſtoteles agere de anima intellectiua, exiſtimantes, tria priora capita, in quibus doctrinam de potentijs ſenſitiuis abſoluit, ad ſecũdum

dum librum ſpectare. Tamen exemplaria græca (quæ maioris ſunt auctoritatis) à capite, in quo Ariſtoteles de numero externorum ſenſuum diſſerit, hunc tertium librum inchoari volunt, quam diſtributionem, quæ nunc vulgò recepta eſt, nos etiam ſequimur, cum Themiſtio, Simplicio, Boetio, Argyropilo, Theophylo, Diuo Thoma, & alijs.

1 Hic tertius liber tredecim habet capita; in 1. capite agit de numero ſenſuum externorũ. In 2. & 3. exhibet tractationẽ ſenſuum externorum; à 4. vſque ad octauum diſſerit de intellectu, id eſt, de anima intellectiua: à 9. vſque ad 13. principium motus progreſsiui animantium pertractat. Et hæc eſt ſumma textus totius libri in generali.

2 In ſpeciali; in 1. capite ſtatuit, nullum alium eſſe ſenſum externum præter quinque, in 2. libro enumeratos, ſcilicet, viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum: & ad hoc probandũ facit à poſteriori aliquas rationes ſatis prolixas, quæ in ſumma ad iſtam reduci poſſunt; ſicut reduxit D. Thom. ſuper hunc locum lect. 1. Quicũque habens aliquod organũ ſenſus, per quod cognoſcũtur ſenſibilia, cognoſcit per illud organũ quæcumque ſenſibilia, quæ pertinent ad illũ ſenſum; ſed animalia perfecta habent omnia organa ſenſuum externorũ; ergo cognoſcunt omnia ſenſibilia, quæ cognoſci poſſunt per ſenſus exteriores; ſed nõ habẽt plura organa ſenſus, niſi quinque: ergo non ſunt plures ſenſus exteriores, quàm quinque. Minorẽ probat, quia organa debẽt proportionari cum medijs, per quæ mouentur ſenſus; ſed non datur niſi mediũ internũ, per quod mouentur tactus, & guſtus, & ex externis ſolùm dantur aër, & aqua, per quæ mouentur viſus, auditus, & olfactus: ergo tantùm quinque organa; & cõſequenter quinque ſenſus exteriores. Deinde docet, ſenſibilia communia per ſe ſentiri ab aliquo ex quinque ſenſibus enumeratis, & ideò non eſſe neceſſariũ, conſtituere alium diſtinctum ſenſum à quinque enumeratis, per quẽ ſenſibilia communia percipiantur. Et inſuper reddit rationem, cur natura diſpoſuerit, vt ſenſibilia communia perciperẽtur pluribus ſenſibus exterioribus, dicens hoc diſpoſuiſſe, vt melius diſtingueremus ſenſibilia communia à ſenſibus proprijs.

3 In 2. cap. vt ſtatuat, præter quinque ſenſus externos, dari etiam quẽdam ſenſum internũ, qui dicitur ſenſus communis, ponit hoc dubium, an eodem ſenſu exteriori, quo obiectum eius ſentimus, ſenſationem prædicti obiecti ſentiamus, an id fiat ab alio ſenſu diſtincto? Et propoſitis pro vtraque parte rationibus dubitandi, reſolvit, & concludit, ponendum eſſe, præter quinque ſenſus exteriores, alterum ſenſum internum, & communem, quo

per-

percipiamus ſenſationes ſenſuum externorum, & obiecta eorum; quod ſic probat; animalia diſcernunt inter ſenſibilia diuerſorum ſenſuum, v. g. inter colorem, & ſonum; ſed hoc nō poſſunt præſtare per aliquem ex ſenſibus externis; nam quilibet ex ſenſibus externis ſolum diſcernit inter ſenſibilia ſui obiecti adæquati, v. g. viſus inter album, & nigrum, &c. ergo ad hoc munus obeūdum, neceſſarium erit ponere in animalibus ſenſum communē internum. Quod ſi aliquis reſpondeat, hoc præſtare animalia per plures ex ſenſibus externis; dicit hoc eſſe impoſsibile, nam impoſsibile eſt diſcernere inter colorē, & ſonū, niſi diſcernens vtrūque cognoſcat; ac per cōſequens eſſe neceſſarium ponere vnum ſenſum cognoſcentē colorem, & ſonū, vt poſsit diſcernere inter ſenſationes coloris, & ſoni. Et ſi aliquis obijciat, iam ſimul talem ſenſum contraria percipere: reſpondet, quòd ſicut punctum exiſtens in centro circuli, licet in ſe ſit vnum; tamen quodammodo eſt plura, in quantum eſt principium plurium linearum, quæ ab illo ducuntur ad circumferentiam ita, inquit, ſenſus communis, licet in ſe ſit vnus; tamen quodammodo eſt plures, in quantum terminat plures cognitiones ſenſuum externorum.

4 In 3. cap. nititur explicare naturam ſenſus interni, qui dicitur phātaſia, ſeu imaginatio, & ad hoc tria præſtat; primò refutat errorem Empedoclis, & Homeri, qui cum omnē animam corpoream ponerent, non diſtinguebant inter ſenſum, & intellectum. Probat autem, ſenſum diſtingui ab intellectu, primò, quia ſenſus conuenit omnibus animalibus, intellectus verò quibuſdā tantū; ſecundò, quia intellectus ſæpè fallitur circa propriū obiectū; ſenſus verò rarò. Secundò docet, phantaſiam, ſeu imaginationē neque eſſe ſenſum externū, neque intellectū, & probat primò, quia imaginatio eſt quoddā medium inter ſenſum externū, & intellectum, cū imaginatio nō fiat, niſi ex præcedenti ſenſatione, neque intellectio, niſi ex præcedēti imaginatione. Secūdò probat, quia imaginatio eſt quid diuerſum ab exiſtimatione, id eſt, à iudicio intellectus (vt cōmuniter interpretes aduertūt) & ſimiliter à ſenſibus externis, id eſt, ab actibus ſenſuum externorū. Primū ſuadet ex eo, quòd exiſtimatio, id eſt, iudiciū intellectus nō eſt in noſtra poteſtate; propoſita enim demōſtratione, nō poſſumus aliter exiſtimare, ſeu iudicare (imaginatio verò in noſtra eſt ſita poteſtate; vt patet, inquit, in habentibus artē memoratiuam, qui ad libitum imagines, & figuras fingunt, per quas firmiùs res memoriæ mandant: idē ſuadet ex eo, quòd non cauſat in appetitu paſsionē, ſicut cauſat exiſtimatio, ſeu iudiciū; nam ſi quis per imaginationē leonē appropinquantē fingat, non contriſtatur; benè tamen, ſi exiſtimet,

Digitized by Google

met,ſeu iudicet appropinquare. Secundũ demõſtrat ex eo, quòd ſenſus externus in omnibus animalibus ineſt; imaginatio verò nõ; quia neque eſt, inquit, in vermibus, neque in formicis, neque in apibus. Itẽ quia ſenſatio externa eſt certa, cum ſenſus externus nõ fallatur circa propriũ ſenſibile: imaginatio verò non ſemper eſt certa; ſæpè enim dubitamus, an verũ ſit quòd imaginamur; & demũ, quia clauſis oculis, & quando nihil ſentimus, plura imaginamur. Tertiò denique ex dictis hãc colligit definitionẽ imaginationis actualis, *imaginatio eſt motus factus à ſenſu in actu*; cũ enim ſolũ imaginemur obiecta illa, quæ ſentimus, vel ſenſata à nobis ſunt; profectò actus imaginationis cauſabitur à ſẽſu in actu, id eſt, ab actuali ſenſatione ſenſus externi. Vndè iuxta hãc definitionẽ actus imaginationis ſic poterit potẽtia imaginatiua, ſeu phãtaſia definiri, *eſt potẽtia ſenſitiua apta moueri ab obiecto sẽſato per externos sẽſus.*

5 Abſoluta tractatione de potentijs cognoſcitiuis animæ ſenſitiuæ; incipit Ariſtoteles à capit. 4. huius libri agere de potentijs cognoſcitiuis animæ rationalis, vt ſic à poſteriori, quid ſit anima rationalis, cognoſcamus: & in 4. cap. intentum eius eſt, explicare potentiam animæ rationalis, qua intelligit, & ſapit, id eſt, poſsibilem, ſeu paſsibilem intellectum; hunc autem explicat per comparationem ad ſenſum, de quo iam diſputauerat, dicens, intellectũ poſsibilẽ in aliquibus conuenire cũ ſenſu, & in aliquibus differre: cõuenit cũ ſẽſu in hoc, quod ſicut ſentire eſt quoddã pati; ita & intelligere. Ex quo colligit, quod ſicut ſenſus eſt potẽtia paſſiua; paſsione perfectiua, & impropria, qualis eſt, quæ per receptionem ſpecierũ intentionaliũ fit; ita & intellectu. & ſicut ſenſus ex ſe non habet formas, id eſt, ſpecies ſenſibiles; ita & intellectus ex ſe nõ habet actu ſpecies intelligibiles; ſed eſt quaſi tabula raſa, in qua nihil eſt depictũ; eſt tamen in potentia omnia, quia omniũ rerum poteſt recipere ſpecies intelligibiles. Differt autẽ intellectus à ſenſu, primò, quia nõ eſt potẽtia organica; & cõſequẽter neque corporea, ſicut eſt ſenſus; nã ſi potẽtia corporea eſſet, non poſſet omnia corporea percipere; nã intus exiſtẽs prohibet extraneũ, vt patet in guſtu; quia ſi aliquo ſapore naturali afficiatur, nõ poteſt cæteros ſapores externos percipere. Itẽ ſi eſſet potẽtia corporea, læderetur ab excellẽti intelligibili; ſicut ſenſus, qui corporeus eſt, læditur ab excellẽti ſenſibili; cõſtat autẽ intellectũ potiùs perfici ab excellẽti intelligibili. Ponit deinde aliquas dubitationes; prima, an per eãdẽ potẽtiã animæ percipiamus naturã, quæ denominatur vniuerſalis, & ſimiliter naturã, quæ denominatur ſingularis? & loquitur de vniuerſali, & ſingulari in rebus materialibus. Cui dubitationi reſpõdet; per ſenſum nos ſolũ ſingularia ma-

Digitized by Google

materialia cognoſcere; per intellectũ verò tã naturas vniuerſales, quã ſingulares; ſed cũ hoc diſcrimine, quòd naturas vniuerſales cognoſcimus directè; naturas verò ſingulares reflexè, id eſt, per cognitionẽ proprietatũ pluriũ naturarũ vniuerſaliũ, quarũ collectio ita reperitur in vno, quòd nõ reperiatur in alio. Secunda dubitatio eſt, an intellectus poſsit ſeipſum intelligere? Cui reſpõdet, poſſe optimè, quia immaterialis eſt, & immaterialia ſunt per ſe intelligibilia. Tertia dubitatio eſt, cur intellectus nõ ſemper actu ſe intelligat, ſuppoſito, quòd per ſe eſt intelligibilis? Cui dubitationi nihil reſpõdet, ſed ſolũ aſſerit, rationẽ huius inueſtigandam eſſe; quod ſi velis illã inueſtigare; dicito rationẽ eſſe, quòd intellectus eſt res ſpirituales, & pro hoc ſtatu cõiunctionis animæ rationalis cũ corpore, cũ nos non intelligamus res ſpirituales intuitiuè; & per proprias ſpecies, ſed abſtractiuè, & per ſpecies rerum materialiũ; has ſpecies non ſemper habet intellectus in actu, cum ſupponant obiecta ſenſata tam per ſenſus externos, quàm internos, & ideò pro hoc ſtatu non ſemper ſe intelligit.

6 In 5. c. intentũ Ariſtotelis eſt, probare præter intellectũ poſsibilẽ, ponendũ eſſe intellectum agentẽ: & ſimiliter oſtẽdere, quæ ſit illius natura. Probat autẽ, ponẽdũ eſſe intellectũ agẽtẽ hac ratione; in omni re, quæ nõ ſemper eſt in actu, ſed aliquãdo in potẽtia, & aliquãdo in actu, neceſſe eſt ponere aliquid, per quod ſit in potẽtia, & aliquid per quod, vel à quo reducatur in actũ; ſed anima rationalis nõ eſt ſemper in actu primo intelligẽdi, ſed aliquãdo in actu primo, aliquãdo in potẽtia ad actũ primũ: ergo præter intellectũ poſsibilẽ per quẽ ſolũ eſt in potẽtia ad actũ primũ intelligẽdi, indiget agẽte aliquo, à quo reducatur in actũ primũ intelligẽdi; hoc autẽ nihil aliud eſt, quã intellectus agẽs, qui producẽdo in intellectu poſsibili ſpecies impreſſas intelligibiles, cõſtituit eũ in actu primo intelligẽdi. Deindè explicat naturã intellectus agẽtis dicẽs, quòd ſicut lumẽ facit colores viſibiles, qui antea ſolũ erãt viſibiles in potẽtia: ita intellectus agẽs facit obiecta, quæ ſunt in phãtaſia, actu intelligibilia, producẽdo vtiq; ſpecies intelligibiles eorũ. Docet præterea, intellectũ agentẽ eſſe ſeparabilẽ, id eſt, nõ exiſtentẽ in organo corporeo; eſſe ſimiliter immiſtũ, & incorporeũ; nã ſi hæc omnia cõueniũt intellectui poſsibili, multò maiori ratione debẽt cõpetere intellectui agẽti, cum id, quod agit, præſtãtius ſit eo, quod patitur: itẽ eſſe impaſsibilẽ; quod intelligẽdũ eſt tã de paſsione corruptiua, quã perfectiua, cũ ſpecies intelligibiles, quas producit, nõ in ipſo, ſed in intellectu poſsibili recipiãtur. Demũ ſubdit ſcientiã in actu eſſe idẽ cũ re ſcita; quod intelligendũ eſt, nõ in eſſe rei, ſed in eſſe repræſentatiuo, & ſcientiã

in

Digitized by Google

in potentia eſſe priorē ſcientia in actu. Et dubitat, cur cū intellectus, ſeu anima rationalis ſit ſeparabilis à corpore, in ſtatu ſeparationis nō recordetur? Cui dubitationi reſpōdet rationē eſſe, quia deficit intellectus paſsiuus, ſine quo non poteſt reminiſci; vbi per intellectū paſsiuum, phātaſiam, ſeu potētiam imaginatiuam intelligit, quę cum ſit potentia ſenſitiua, & organica, corrumpitur ad corruptionem corporis.

7 In 6. c. diuidit Ariſt. operationē intellectus poſsibilis in ſimplicem, & cōpoſitā. Operatio ſimplex, inquit, eſt, per quā res ſimplices apprehēdimus, vt hominē, vel animal: cōpoſita verò, per quā eadē ſimplicia apprehēſa cōiungimus, vel ſeparamus, vt cū dicimus, homo eſt animal, vel homo non eſt animal, inter quas duas operationes duplex aſsignat diſcrimē; primū, quòd in ſimplici nō eſt falſitas, nec veritas: in cōpoſita verò ſemper eſt veritas, vel falſitas. Secūdū eſt, quòd ſimplex ſemper præcedit cōpoſitā; nō tamē è cōtra. Deindè operationē ſimplicē docet, poſſe tripliciter ſimplicē appellari, eo quòd obiectū eius poteſt etiā tripliciter appellari ſimplex; primò ex parte modi, vt cū duas res per modum vnius apprehēdimus, vt fit in hac enuntiatione, homo albus ambulat. Secūdò, vt cū, etiāſi habeat partes, eſt tamē vnum in ſpecie, vt cū apprehendimus hominē, domū, lapidē, &c. Tertiò, vt cum nō ſolū ſecundū modū, ſed etiā ſecūdū rem eſt quid ſimplex, quia nullas habet partes, in quas diuidi poſsit, vt cum apprehendimus indiuiſibilia. Demum docet, etſi omnis operatio compoſita ſit vera, vel falſa; non tamen omnis intellectus, quaſi dicat, intellectum non ſemper eſſe verum, vel falſum, niſi quando componit, vel diuidit, hoc eſt, quando alicui rei attribuit, quod non conuenit, vel ab aliquo, cui conuenit, remouet: & hoc eſt, quod ait, intellectum circa quidditatem rei non falli, ſed ſolùm circa applicationem eius; ſicut ſenſus non fallitur circa proprium ſenſibile, niſi ipſum applicando ſuo modo rei, cui non ineſt.

8 In 7. cap. intentum Ariſtotelis eſt, tradere diſtinctionem, quæ verſatur inter intellectum practicum, & ſpeculatiuum; ad quod elucidandum repetit diſtinctionem intellectus in actu, & in potentia, quam tradiderat capite 5. & ponit duo diſcrimina inter intellectum in actu, & intellectum in potentia; primum, quòd intellectus in actu (id eſt, cum actualiter informatur intellectione, quæ dicitur ſpecies expreſſa, eo quòd expreſsè, & formaliter eſt repræſentatio ſui obiecti) eſt idem cum re intellecta, non quidem in eſſe reali, ſed in eſſe intentionali, & repræſentatiuo: intellectus verò in potentia, cum careat actuali intellectione, ſeu ſpecie expreſſa, non eſt idem cum re in-

intellecta, adhuc ſecundũ eſſe intẽtionale, vt repræſentatiuo. Secundùm, quòd in eodẽ homine intellectus in potẽtia eſt prior intellectu in actu, ad ipſumque præſupponitur. Hoc ſuppoſito, diuidit intellectum in actu in practicum, & ſpeculatiuum: & quia inter ſenſum, & intellectum cognitio quædam eſt, ex ijs, quæ ſenſui conueniunt, quæ etiã intellectui conueniant, explicare contẽdit. Sicut enim ſenſui conuenit reduci ex potẽtia ad actum ab obiecto ſenſibili, non per propriã, & phyſicam alterationẽ; ſed solùm per actionem intentionalẽ imprimendo, ſcilicet, ſpecies intẽtionales ſui in ſenſum: ita intellectui conuenit reduci ex potentia ad actum ab obiecto intelligibili reſidente in phantaſmate, non per propriã, & phyſicã alterationẽ; ſed ſolùm per actionẽ intentionalẽ imprimendo, ſcilicet, in intellectũ poſsibilẽ ſpecies intentionales ſui, quas intellectus agens abſtrahit ab ipſo. Item ſicut ſenſus externus percipit ſuum proprium obiectũ, non percipiendo, an ſit conueniẽs, vel diſconueniens; ſed ſimplici intuitu ſenſibilitatem eius attingẽdo; ſenſus verò internus, præſertim phãtaſia, ſeu imaginatio, non ſolùm percipit ſuum obiectum, ſiue præſens, ſiue abſens ſit; ſed etiã percipit in illo rationẽ conuenientiæ, vel diſconuenientiæ: ita intellectus poſsibilis (in quo ſunt cõiuncta propter ſuã eminentiam, quæ in ſenſibus ſunt diſperſa) per aliquas operationes, etſi intelligat naturã, & proprietatem ſui obiecti (ſiue hoc fiat per ſimplicẽ apprehenſionẽ, ſiue per cõpoſitionem, ſiue per diſcurſum) non tamẽ indicat, nec dictat, an ſit conueniens, an diſconueniẽs id, quod cognoſcit? Per alias verò operationes non ſolùm cognoſcit naturã, vel proprietates ſui obiecti; ſed etiã indicat, & dictat id, quod cognoſcit eſſe cõueniens, & ſequendum, vel eſſe diſcõueniẽs, & fugiendum. Præterea ſicut ad actum, quo phantaſia apprehendit ſuum obiectũ ſenſibile, ſiue præſens, ſiue abſens, vt conueniens, vel vt diſconueniẽs, ſequitur motus appetitus ſenſitiui, quo proſequitur cõueniens, & fugit diſconueniẽs; ita ad actum intellectus, quo cognoſcit ſuum obiectũ intelligibile iudicãdo, & dictando eſſe conueniens, vel diſcõueniens, ſequitur motus voluntatis, quo proſequitur conueniens, & fugit diſcõueniens. Demum ſicuti omnia obiecta ſenſuum exteriorũ emittunt, poſtquã ſenſata ſunt, ſpecies intentionales ſui in ſenſum cõmunẽ, qui ideò cõparatur puncto, quod eſt in cẽtro circuli, quod etiãſi vnum ſit, terminat nihilominus omnes lineas, quæ ducũtur à circumferentia: ita omnia phantaſmata, id eſt, omnia obiecta cognita per phantaſiã emittunt omnes ſpecies intentionales ſui, miniſterio intellectus agentis in intellectum poſsibilẽ, qui etiãſi vnus ſit, poteſt omniũ iſtorum obiectorũ ſpecies intẽtionales reci

Digitized by Google

pere,non ſecus,ac de puncto exiſtẽte in centro circuli dictum eſt, etiãſi vnũ ſit,poſſe terminare omnes lineas,quæ ad ipſum deducũtur à circũferentia circuli.Ex his omnibus colligit diſcrimẽ inter intellectũ ſpeculatiuũ,& practicũ,dicẽs,quòd etiãſi vtrũque cognoſcat cum depẽdentia à phantaſmate; tamẽ ſpeculatiuus ſolùm contẽplatur veritatẽ ſuorũ obiectorũ; at practicus non ſolùm cõtẽplatur veritatẽ ſuorum obiectorũ;ſed etiã iudicat, & dictat, eſſe cõueniẽtia,vel diſcõueniẽtia;quod diſcrimẽ,inquit,Ariſt nõ arguit diuerſas potentias, ſed diuerſas operationes eiuſdem intellectiuæ potentiæ.

9 In 8.cap.ſummatim colligit ea,quæ in duobus præcedentibus capitulis de ſenſu,& intellectu docuerat:primũ eſt,animã quodãmodo eſſe omnia; nã per ſenſum eſt omnia ſenſibilia,& per intellectũ omnia intelligibilia,nõ in eſſe reali,ſed in eſſe intentionali, ſeu repræsẽtatiuo,vt ſupra dictũ eſt.Et quia diſtinxerat intellectũ, in intellectũ in actu,& intellectũ in potẽtia; nũc cõſequẽter dicit, intellectũ in actu,id eſt,dum actualiter cognoſcit,eſſe actu omnia, quæ cognoſcit;intellectũ verò in potentia eſſe tãtùm in potentia omnia ab ipſo cognoſcibilia.Secundũ eſt,intellectum tã practicũ,quã ſpeculatiuũ in omni ſua operatione depẽdere à phãtaſmate,hoc eſt,ab obiecto cognito per phãtaſiã;quod ſic declarat; res omnes,tã phyſicæ,quã mathematicæ(nã res metaphyſicæ,cũ ab omni materia abſtrahãt,pro hoc ſtatu,nõ per ſpecies proprias,ſed per ſpecies rerum phyſicarũ , aut mathematicarũ cognoſcuntur) ſunt extra ſenſum,& intellectũ,nec poſſunt ad eos reduci,niſi per ſpecies intẽtionales,ſenſibiles quidẽ ad ſenſum,& his medijs per intelligibiles ad intellectũ;ſed ſic ſe habet intellectus ad phantaſmata,ſicut ſe habẽt ſenſus externi ad ſenſibilia: ergo cũ ſenſus externi nõ poſsint moueri,niſi à ſenſibilibus ſecũdũ ſuũ eſſe reale illis præſentibus;ita neq;intellectus moueri poterit,niſi à phantaſmatibus illi præſentibus,id eſt,ab obiectis in quãtũ per cognitionem phantaſiæ illi repræſentantur.Et hinc ſumit vires illud celebre axioma,*oportet,intelligentem phantaſmata ſpeculari.* Tertium, & vltimum eſt,actum intellectus,qui dicitur compoſitio,ſeu diuiſio in hoc differre ab actu phantaſiæ , quòd in prædicto actu intellectus datur veritas,vel falſitas;ſecus verò in actu phantaſiæ , cuius ſenſatio ſimilis eſt ſimplici apprehenſioni intellectus.

10 A 9.cap.incipit Ariſt.agere de potentia motiua,non quavis, ſed quæ principium eſt progreſsionis,& inceſſus animalis:& vt in capite ſequenti facilè explicat,quid ſit;in hoc 9. capite explicat ſolùm,quid non ſit,dicens,potentiam iſtam , neque eſſe potentiã vegetatiuam,neque ſenſitiuam,neque intellectiuã,neq; appetitiuam;non vegetatiuam,quia omnis motio localis eſt cõiuncta cũ

imaginatione,& appetitu,cũ ſit ad fugiendũ, proſequendumve aliquid imaginatione perceptũ; & omnis fuga,& proſequutio ad appetitũ pertingat: vegetãdi verò actio nullã connexionẽ habet cũ imaginatione,& appetitu, cũ inſit etiã plãtis,quibus neutrũ horum cõuenit. Itẽ quia ſi potẽtia motiua,& vegetatiua idẽ eſſet,ſequeretur,etiã ſtirpiũ genera,quæ vegetandi facultate pollẽt,habere inſtrumẽta ad progreſsionẽ idonea; quod cõſtat eſſe falſum. Eadẽ ratione probat,nõ eſſe potentiã ſenſitiuã; nã ſi eſſet, cũ omnia animalia aliquẽ habeãt ſenſum,omnia animalia haberẽt potentiã motiuã; quod falſum eſſe conſtat,cũ dentur aliqua animalia petris affixa,in quibus nulla datur potẽtia loco motiua. Non intellectiuã,quia ſi potẽtia loco motiua eſſet intellectus; vel eſſet intellectus ſpeculatiuus,vel practicus; nõ poteſt eſſe ſpeculatiuus, hic enim,quà talis eſt,nihil,quod in actionẽ cadit,cõſiderat; progreſsio autẽ nõ niſi fugiẽtis,aut amplectẽtis actio eſt; neq; practicus,nã hic ſæpè numero,quid amplectẽdũ,aut declinãdũ ſit,proponit. Neq; ideò ſequitur actio, vt patet in his,qui cupiditate magis,quã ratione ducũtur. Et eadẽ ratione probat, non eſſe potentiam appetitiuam,quia ſæpè inclinante appetitu ad aliquem motum,motus non exhibetur.

11 In c. 10. intẽdit aſsignare,quid ſit potẽtia motiua in animali, & præter potẽtiã executiuã motus,docet,duo eſſe principia,quibus animalia mouentur, vnũ impulſiuũ,ſcilicet,appetitũ,& aliud directiuum,nimirũ,intellectum,aduertens duo, primum nomine intellectus ſe intelligere etiã imaginationem, vt ſic cõprehendat principiũ motus,qui eſt in brutis,quæ nõ intellectu, ſed imaginatione diriguntur. Secundũ,ſe nõ loqui de intellectu ſpeculatiuo, quia huius finis ſolùm eſt contẽplatio veritatis; ſed de intellectu practico,quia iſtius finis actio,ſeu opus eſt. Et quod vtrũque iſtud principiũ requiratur ad motũ progreſsiuũ animalis,probat ſic; appetitus nõ mouet animal motu progreſsiuo,niſi propter aliquem finẽ; ſed finis nõ poteſt appeti ab animali,niſi cognitus,ſeu apprehenſus cognitione,ſeu apprehẽſione practica; ergo ad motũ progreſiuũ animalis neceſſariò requiritur cognitio,ſeu apprehenſio practica. Quod etiã ſit neceſſarius ad prædictũ motũ appetitus,inde cõuincit,nimirũ,quia intellectus practicus,ſeu imaginatio ſolũ mouet proponendo appetibile: ergo nõ cõcurrit ad motũ ſine appetitu,quo illud appetibile propoſitum proſequatur. Sed quia hæc duo principia ſũt ſubordinata,& vnũ propter aliud, nimirũ, intellectus propter appetitũ,& ideò reducẽda eſſe ait ad vnũ præcipuũ mouẽs,& huiuſmodi eſſe appetitũ. Deinde docet, appetitũ nõ eſſe tãtũ vnũ,ſed duplicẽ, vnum,qui mouetur ab appetibili apprehẽſo per ſenſum,ſeu imaginationẽ,qui ideò dicitur ſenſitiuus;

&

Digitized by Google

& alium, qui mouetur ab appetibili propoſito per intellectũ, ſeu rationem, qui ideò dicitur rationalis: & quòd appetitus iſti diſtinguantur, probat, quia ſimul mouẽt motibus cõtrarijs. Experimur enim, rationem aliquid proponere, tanquã bonũ proſequendũ, quod voluntati placet, & appetitui ſenſitiuo diſplicet; & è contra imaginationẽ proponere aliquod bonũ delectabile, quod appetitui ſenſitiuo placet; ſed voluntati diſplicet. Demũ enumerat ea, quæ concurrunt in motu progreſsiuo animalis, dicens, quòd ſicut in motu cæleſti reperitur id, quod mouet, & nõ mouetur, ſcilicet, intelligentia; & id, quod mouet, & mouetur, ſcilicet, corpus cæleſte, & id, quod mouetur, ſed non mouet, ſcilicet, hæc corpora inferiora; ita in motu progreſsiuo animalis reperitur id, quod mouet, & nõ mouetur, ſcilicet, appetibile, & id, quod mouet, & mouetur, ſcilicet, appetitus; & id, quod mouetur, & nõ mouet, ſcilicet, corpus animalis, & demum inſtrumenta, quibus mouetur, ſcilicet; partes aliquæ corporis.

12 In c. 11. duo dubitat, & reſoluit Ariſtoteles; primũ eſt, an in imperfectiſsimis animalibus, vt ſunt, quæ ſolũ participãt ſenſum tactus, reperiãtur duo principia motus, quæ capite præcedẽti aſſignauerat, nimirũ, appetitus, & imaginatio? Et reſoluit, revera reperiri, ſed vtrũq; imperfectiſsimũ: & de appetitu probat, quia ſi pũgãtur, cõtrahuntur, quod ſignũ eſt doloris, & aliquãdo ſe dilatãt, quod ſignũ eſt voluptatis; dolor autẽ, & voluptas ſolũ in habentibus appetitũ reperiuntur. Et ex hoc etiã manifeſtè infertur, quòd inſit eis imaginatio; quia appetitus nõ fertur in incognitũ, ſed in id, quod ei repræſentatur tãquã cõueniẽs, vel diſcõueniẽs. Quod autẽ ipſorũ imaginatio, & cõſequẽter ipſorũ appetitus, ſit imperfectiſsima, probat, tũ quia à præſentibus dũtaxat appetibilibꝰ mouentur; tum etiã, & præcipuè, quia nõ percipiũt diſtinctè hoc, vel illud conueniẽs, ſed confusè, & ideò impulſu iucũdi, vel moleſti non ad certũ aliquẽ locũ ciantur, ſed ſede ſtabili degãt. Secundũ, quod dubitat, eſt, quo pacto ſupradicta duo principia motus repe riãtur in hominibus? Et reſoluit, reperiri in gradu perfectiſsimo; nã imaginatio eſt cognitio deliberatiua, quæ eſt actus proprius intellectus practici; & explicãs, quid ſit deliberare, ait, eſſe cõparare multa ſub vna cõmuni mẽſura, & ex ea comparatione aſſumere illud, quod conuenientius eſt, prætermiſsis alijs. Docet præterea, hanc deliberationem, quæ ſolùm in hominibus reperitur, non ſemper ſe habere eodẽ modo; ſed aliquando appetitum ſenſitiuum vincere rationalem, & hunc illi ſubijci; aliquando verò rationalem vincere ſenſitiuum, quantumvis repugnantem, & ſecũ trahere, quaſi invitũ, ſicut ſphera ſuperior trahit ſecum, & quaſi

Digitized by Google

rapit inferiorem,& hoc ait eſſe naturæ conſentaneum, quia ordine naturæ inferiora ſubijciuntur ſuperioribus,& rationalis appetitus ſuperior eſt ſenſitiuo; ſicuti è contra, quod rationalis appetitus ſubijciatur ſenſitiuo, eſt contra naturam; & cum hoc cõtingat ferè ſemper, ac homo peccat, meritò dici peccatum eſſe contra naturam. Subdit demum Ariſtoteles, quòd cum in deliberatione, ſeu ſyllogiſmo practico pro antecedenti duæ propoſitiones aſſumantur, vna vniuerſalis, vt hæc, *omne bonum honoribus eſt afficiendum*; & altera particularis, vt hæc, *hoc eſt bonum*, etſi ambæ moueant, ſed magis particularis, quàm vniuerſalis.

13 In cap. 12. comparat facultates, ſeu potentias animæ inter ſe, & in ordine ad diuerſa genera viuentiũ, & duabus concluſionibus determinat, quænã earum his, vel illis viuentibus, tãquam neceſſariæ inſint; quæ verò ſolùm tanquã vtiles. Prima concluſio eſt, omne viuens, quãdiu viuit, neceſſariò debet habere nutritiuã potentiã; ſed non omne viuẽs, neceſſariò debet habere ſenſum. Primũ probat, quia totus diſcurſus vitæ diuiditur in augmẽtum, ſtatũ, & decrementũ; ſed nullum iſtorũ conſiſtere poteſt ſine nutritione; ergo omne viuens, quandiu viuit, neceſſariò debet habere potentiã nutritiuã. Secundum oſtendit in plantis, quæ inter viuentia numerantur, & nihilominus nullo ſenſu præditæ ſunt. Secunda concluſio; animalibus tactus, & guſtus ſunt ſimpliciter neceſſarij; reliqui verò ſenſus ſolum ſunt vtiles. Priorem partem probat, quia ſine tactu, & guſtu, nec poſſunt quærere alimentum, nec ſentire noxium, vel conueniens, ſine quibus vita conſeruari non poteſt. Et quia aliqui poterat obijcere, animalia, ſi intellectu prædita ſint, poſſe per eum iucundum, & moleſtum iudicare, ac per conſequens ad tuẽdam vitam non indigere ſenſu, neque tactus, neque guſtus; reſpondet fieri non poſſe, vt vllum corpus intellectum habeat, & ſentiendi facultate non polleat; quia alioqui talis animæ, & corporis vnio neque in animæ, neq; in corporis bonum caderet: non in bonum animæ, quia anima intellectiua ideò corpori vnitur, vt ſenſuũ miniſterio rerũ notionẽ ſibi compareт, qui finis tunc ceſſaret. Non in bonũ corporis, quia nõ ob id corporis cõpago firmior, aut diuturnior efficeretur. Secundã partẽ oſtendit; quia ſenſus tactus, & guſtus ſufficiũt ad conſeruandã vitã; ergo reliqui ſenſus ſolùm vtiles erunt, quia ordinantur ſolùm ad ſentiendũ res diſtantes, & quas non tangũt.

14 In cap. 13. & vltimo docet, nullum corpus animalis eſſe ſimplex, vt ſunt corpora elementorum; ſed potiùs quid miſtũ ex elementis; quod (ſupponendo id, quod capite præcedẽti docuerat, ſcilicet, omne ſenſitiuũ neceſſariò habere ſenſum tactus) dua bus

bus rationibus demonſtrat; prima, organum tactus non poteſt eſſe quid ſimplex, ſed miſtũ; ergo neque etiam poterit eſſe quid ſimplex, ſed miſtũ corpus animalis, in quo reſidet: antecedens patet, quia organũ tactus mediocritatẽ, & temperationẽ exigit, quæ ſolùm in miſtis reperitur: vnde ea, quæ terreſtri materia nimis abũdant, ſenſu tactus carent, etſi vegetentur, vt patet in plãtis, capillis, & oſsibus. Secunda, quia tactus non eſt perceptiuus vnius tantum qualitatis, ſed plurium contrariarum, vt frigoris, & caloris, humiditatis, & ſiccitatis; ergo eſt in potentia ad omnes; quod cõtingere non poſſet, ſi non conſiſteret in temperie earum; nam cum tactus ſolùm percipiat excellentes qualitates, ſi ſolùm haberet vnã, vel alteram in ſummum, vt habent ſimplicia elementa, illã ſanè nõ perciperet. Ex dictis tria infert; primũ, deſtructo tactu, deſtrui animal, quia deſtruitur ſenſus alimenti. Secundũ, excellẽtia ſenſibilia corrumpentia tactũ, conſequenter corrũpere animal, quod ſine tactu conſiſtere non poteſt, cum tamen excellentiæ aliorum ſenſibilium etiamſi ſenſus proprios corrũpant, non tamen ipſum animal, niſi fortè per accidens ratione alicuius adiuncti. Tertiũ, ſolùm tactum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad vitam animalis; reliquos verò ſenſus ſolùm eſſe vtiles; nã guſtus, de quo capite præcedenti dixerat, eſſe ſimpliciter neceſſarium ad vitam animalis, ſolùm hoc habet propter tactum adiunctum; nam ſecundum ſe ſolùm eſt neceſſarium propter voluptatem cibi: & ſic concordat duo aſſerta, quæ prima facie videbantur eſſe oppoſita.

ANNOTATIONES CIRCA LITERAM huius tertij libri.

CIrca ea, quæ docet Ariſtoteles cap. 4. huius libri, ſcilicet, per intellectum nos cognoſcere tã naturas vniuerſales, quã ſingulares, ſed cũ hoc diſcrimine, quòd naturas vniuerſales cognoſcimus directè; naturas verò ſingulares reflexè, aliqui auctores hic exagitant celebrem illã quæſtionẽ, *quid ſit à nobis primò cognitum pro hoc ſtatu*? Sed quæſtionẽ iſtã latè expendimus 1. Phyſic. diſp 1. q. 5. ſimiliter circa diſcrimen, quod c. 7. ponit Ariſtoteles inter intellectum practicum, & ſpeculatiuũ aliqui anſam ſumunt ad exagitandũ, quid ſit praxis, & quid ſpeculatio, & quo pacto ſcientia practica, & ſpeculatiua inter ſe differãt? Sed difficultates iſtas latè exagitauimus in proœmialibus Logicæ diſput. vnica, q. 6.

Digitized by Google

Solùm ergo quæ genuina ſunt huius libri, & quæ Ariſtoteles in ipſo docuit, ſeptem diſputationibus comprehendemus; prima de *numero ſenſuum externorum*. Secunda *de numero, natura, & modo operādi internorum ſenſuum*. Tertia *de natura, atque officio intellectus agentis*. Quarta *de natura, & obiecto intellectus poſsibilis*. Quinta *de intellectione*. Sexta *de appetitu rationali, & de potentia motiua*, quibus accedet ſeptima diſputatio de *anima ſeparata*.

DISPVTATIO PRIMA.

De numero ſenſuum externorum.

De numero ſenſuum externorũ ex profeſſo agit Ariſt. c. 1. huius libri, & præter ea, quæ de ſenſibus externis, tã in communi, quã in ſpeciali in ſecũdo libro dicta ſunt, ſolùm reſtat ad completam eorum intelligentiã duo expendere; primum, *an tantùm ſint quinque?* Secundum, *quo pacto tam inter ſe, quàm in ordine ad ſubiecta, in quibus inſunt, comparentur?*

QVÆSTIO PRIMA.

An ſenſus externi ſint tantùm quinque?

1 Quæſtio hæc ſolùm procedit de facto; nam de potẽtia Dei abſoluta, nullus dubitare poteſt, potuiſſe Deũ facere plures ſenſus, quàm quinque, ſpecie diſtinctos, non ſecus, ac facere potuit aliud obiectum ſenſibile, quod natura ſua poſtularet diuerſo modo immutare potentiam ſenſitiuã, ac immutãt obiecta ſenſibilia, quæ de facto à Deo producta ſunt.

2 Senſus exteriores tantùm eſſe quinque, nimirũ, viſum, auditum, olfactũ, guſtũ, & tactum, nec plures, nec pauciores, omnes vnanimiter affirmant, Ariſtot. 1. cap. huius libri, Plato in Thæoteto, & ex Patribus, D. Damaſc. lib. 2. de fide c. 18. D. Gregorius Nyſſenus orat. 6. in cantica, D. Auguſt. lib. de quãtitate animæ c. 23. D. Ambroſius in Apocalypſim cap. 18. D. Gregorius in Ezechielem homilia 17. D. Hieron. in Pſalmũ 141. & Origenes homilia 3. in Leuiticũ, & homilia 3. in Cãtica. Ex Scholaſticis omnes, D. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. & noſter Scotus de anima quæſt. 6. & in 2. diſt. 3. quæſtio. 8. ad 3. Imò id oſtendit experiẽtia, qua experimur in homine, in quo

Digitized by Google

abſque dubio (cum perfectiſsimum animal ſit) vigent omnes ſenſus, ſolùm vigere quinque ſupradictos ſenſus exteriores, nec plures, nec pauciores. Solùm ergo poteſt eſſe dubiũ, an rationes, quibus ad hunc numerum comprobandum adduxit Ariſtoteles, fuerint efficaces, an ſolùm probabiles? & ſimiliter, an ratio, quam ad hoc ipſum probãdum adduxit noſter Scotus, fuerit efficacior, & probabilior, quàm Ariſtotelis diſcurſus, & aliorum.

3 Ariſtoteles, vt vidimus in litera capitis primi huius libri, ratione tripartita, & ad hunc diſcurſum redacta, conatus eſt oſtendere tantùm eſſe quinque ſenſus exteriores, nec plures, nec pauciores: tot ſunt ſenſus, quot ſunt organa ſenſus; ſed organa ſenſus tantùm ſunt quinq; ergo & ſenſus tãtùm erũt quinque, nec plures, nec pauciores. Maior patet ex proportione, quæ verſatur inter ſenſum, & organũ eius: qui enim habet aliquod organũ ſenſus, per quod cognoſcũtur ſenſibilia, cognoſcit per illud organum quæcũq; ſenſibilia, quæ pertinent ad illum ſenſum. Minorem probat, quia organa debẽt proportionari cum medijs, per quæ mouẽtur ſenſus; ſed præter medium intrinſecum, cum quo proportionantur organa guſtus, & tactus, ſolùm poſſunt dari duo media extrinſeca, aer, ſcilicet, & aqua, cum quibus proportionãtur organa aliorũ ſenſuũ, viſus, ſcilicet, auditus, & olfactus: ergo tãtùm ſunt quinque organa. Hanc vltimã minorẽ non aliunde probat, niſi quia ſolùm illud poteſt poni, vt mediũ extrinſecũ proportionatũ organo alicuius ſenſus, quod prædominatur in organo (hæc enim eſt proportio, quæ inter organũ, & mediũ debet reperiri) ſed in organo ſenſus ſolùm debent prædominari aer, & aqua; quia aer, & aqua propter humiditatem valdè ſunt accommodata ad recipiendum: ergo ſolùm aer, & aqua poterunt eſſe media extrinſeca ſenſuum.

4 Hic Ariſt. diſcurſus ex tripartita ratione deſumptus (prçterquã quod nõ eſt à priori, ſed à poſteriori, vt annotauit Scotus q. 6. de anima citata; probat enim intẽtum ex numero organorum; organa autẽ ſunt propter ſenſum, & nõ ẽ cõtra) etſi probabilis ſit, & ſolũ, vt probabilis traditus fuerit ab Ariſtotele; nõ tamẽ eſt efficax, & cõuincens, cum quædã ſupponat incerta, & alia aſſumat nõ probata, vt inductione patebit.

5 In primis enim ſupponit hic diſcurſus Ariſt. organa eſſe multiplicãda pro multiplicatione ſenſuum, quod incertum eſt, & fortè apud ipſum Ariſtotelem falſum. Nã capite de tactu expreſsè docuit, quod etiamſi guſtus diſperſus foret per omnes partes corporis, in quibus reperitur tactus, adhuc guſtus eſſet di-

diſtinctus ſenſus à tactu: non ergo ex mente Ariſtotelis diſtinctio ſenſuum prærequirit diſtinctionem organorum.

6 Deinde aſſumit aliam propoſitionem, neque per ſe euidentem, neque à ſe probatam, nimirum, quòd ſi eſſet aliud organum ſenſus diſtinctum ab omnibus, quæ numerantur, daretur medium extrinſecum diſtinctum ab aere, & ab aqua; licet enim inter medium ſenſus, & organum eius proportio eſſe debeat; tamē vndè colligitur, quòd ſi daretur aliud organum ab ijs, quę communiter numerantur, quòd prædictum organum non haberet proportionem cum aere, & aqua, ſicut habent organa viſus, auditus, & olfactus?

7 Demum aſſumit aliam propoſitionem non minus incertam, videlicet, in organo ſenſus ſolùm poſſe prædominari aerem, & aquam; & ideo non dari plura media extrinſeca quàm aerem, & aquam, quia media prædominari debent in organo ſenſus. Hanc autem propoſitionem incertam voco, quia præſupponit, vt certum, prædominari debere humiditatem in ſenſorio, ſeu organo ſenſus, eo quòd ſit qualitas ad recipiēdum accommodatiſsima; quod non ſolùm eſt incertum, ſed etiam apud ipſum Ariſtotelem videtur falſum; quia capite de guſtu docuit, organum guſtus præſupponere temperamentum, in quo ſiccum comprehendat humidum, eique prædominetur.

8 Propter hæc Scotus noſter quæſt. 6. de anima citata aliam adducit rationem, non multùm diſtinctam ab ea, quam adducit D. Thom. 1. p. quæſt. 78. art. 3. ad probandum ſenſus exteriores tantùm eſſe quinque in ſpecie atoma, quæ non ſolùm eſt à priori, ſed ni fallor, in re tam lubrica omnibus rationibus, quæ ab alijs adducūtur, firmior, efficacior, quæ ad formam redacta talis eſt.

9 Omnis potentia ſenſitiua exterior ſumit diuerſitatē ſpecificam, ex diuerſis modis, quibus obiecta ſenſibilia externa, nata ſunt potētias ſēſitiuas immutare; ſed obiecta ſenſibilia externa, quæ de facto ſunt, quinque tantùm modis nata ſunt potentias ſenſitiuas immutare: ergo de facto tantùm erunt quinque ſenſus, ſeu potentiæ ſenſitiuæ externæ, ſpecie atoma differentes. Maior huius diſcurſus ab omibus recipitur; minorem autem vt probet Scotus, ſupponit doctrinam veram, & ab omnibus Peripateticis receptam, nimirum, obiecta ſenſibilia dupliciter poſſe immutare ſubiectum, primò actione intentionali immittendo, ſcilicet, in illud ſpeciem intētionalem ſui: ſecundò actione naturali producendo, videlicet, in illo formam

Digitized by Google

mam in eſſe reali ſibi ſimilē, qua diſtinctione ſuppoſita, ſic philoſophatur Scotus, *Aliquādo ſenſus immutantur ad ſentiendum tantùm intentionaliter; aliquando verò non ſolùm intentionaliter ſed etiam naturaliter. Si primo modo contingat, potentia ſenſitiua eſt viſus. Si ſecundo modo, aut eſt tranſmutatio naturalis ex parte obiecti, aut ex parte organi: ſi ex parte obiecti, aut fit talis immutatio, mediante motu locali, & ſic eſt auditus, qui immutatur à ſono ſe multiplicante in aere vſque ad auditum, mediante motu locali: aut fit mediante motu alterationis, & ſic eſt odoratus, qui ſentit odorem procedentem ab odorabili ſecundum quod eſt alteratum per calefactionem; vnde in hyeme vix odoratur corpus odorabile, præcipuè ſi ſit congelatum; non autem accipitur aliquis proprius ſenſus, ſecundum quod immutatur per motum ad quantitatem, quia quantitas eſt ſenſibile commune, non proprium, & ideò ſecundum eam non debet aſsignari ſenſus proprius. Si ex parte organi, ſic habemus guſtū, & tactum; ſed differunt, quia organum tactus immutatur à calore, vel qualitate tangibili immediatè, vel ſaltem poteſt ab ea immediatè immutari; guſtus autem non poteſt immediatè immutari à ſapore, qui eſt eius obiectum, ſed mediante humore ſaliuali coniuncto linguæ; quia ſi immutaretur immediatè à ſapore ſimper indicaret ſaporem talem, qualis eſt; hoc autem eſt falſum in febricitātibus, quibus videtur dulce amarum propter amaritudinem humoris coniuncti.* Hæc ſubtilis Doctor, firma quidem, & efficacia ad probationem minoris, in ratione ſupra facta, aſſumptæ.

QVÆSTIO II.

Quo pacto quicumque ſenſus externi tam inter ſe, quàm in ordine ad ſubiecta, in quibus inſunt, comparentur?

1 SI quinque ſenſus exteriores comparentur inter ſe, conueniunt omnes, viſum eſſe nobiliorem, & perfectiorem ſenſum; deinde auditum; poſtea olfactum, quem ſequitur guſtus; & tandem tactum eſſe omnium imperfectiſsimū, & ideò ordine generationis priorem; quia eſt fundamentum omnium aliorum, & cōmunis omnibus animalibus, etiam imperfectiſsimis. Hanc communem ſententiam non ſolùm amplexus eſt Scotus q. 6. de anima citata; ſed etiam ex doctrina, quam ibi adduxerat ad probandum, ſenſus exteriores tantùm eſſe quinque, (quam nos quæſtione præcedenti retulimus) ſic illam demonſtrat. *Ex prædictis patet ordo potentiarum, quòd viſus, cum immutetur tantùm intentionaliter, eſt nobilior ſenſus, & certior: poſt hunc autem auditus, qui minus materialiter immutatur, quia mediante motu locali, qui eſt primus inter motus: poſt hunc autem olfactus, quia immutatur materialiter ex parte obiecti,*

cti, quod eſt remotius à potentia, quàm organum: poſt hunc guſtus, quia immutatur materialiter ex parte organi, ſed non immediatè, ſed mediante humore ſaliuali. Vltimus autem, quoad nobilitatem cognitionis eſt tactus, qui immediatè ab obiecto ſuo materialiter immutatur; eſt tamen primus ordine generationis, & imperfectionis, vel communitatis; quia eſt fundamentum omnium aliorum, & communis omnibus habentibus ſenſum, etiam imperfectum. Hæc ſatis ſubtiliter, & exactè noſter Scotus ad communem ſententiam comprobandam.

2 Si verò quinque exteriores ſenſus ad ſubiecta, in quibus inſunt comparentur; primò dubitari poteſt, an omnes in omnibus animalibus reperiantur? Et loquẽdo de tactu, cõueniũt omnes, tactũ in omnibus animalibus, etiam imperfectiſsimis reperiri; ita docuit Ariſtoteles lib. 2. de anima, cap. 4. & in hoc 3. lib. cap. vltimo, & de ſenſu, & ſenſibili cap. 2. & ratio eſt, quia tactus diſcernit nociua, & conuenientia; ergo hic ſenſus ſimpliciter neceſſarius erit in omnibus animalibus, vt ſic nociua fugiant, & conuenientia proſequantur.

3 De guſtu verò Ariſtoteles in diuerſis locis diuerſa, imò oppoſita docuiſſe videtur; nam in hoc lib. cap. vltimo affirmat, aliqua animalia habere vnicũ tantùm ſenſum, ſcilicet, tactũ, ſolùmque tactum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad tuendam vitam. E contrariò verò libr. 2. de partibus animalium capit. 17. de guſtu docet eſſe in omnibus animalibus, & cap. 12. huius libri non ſolùm de tactu, ſed etiam de guſtu affirmat, eſſe ſenſus ſimpliciter neceſſarios in animali ad tuendam vitam: & hoc vltimum aſſertum cõmuniter recipitur à ſuis interpretibus, & meritò, quia ſicut ſine tactu nõ poſſumus quærere alimentum; ita ſine guſtu non poſſumus ſentire, quod alimẽtum ſit conueniens, & quod diſconueniens; quod etiam in animali, etſi ratione voluptatis ad tuendam vitam ſimpliciter neceſſarium eſt. Vndè ad primum locum reſpondetur, Ariſtotelem ibi nomine tactus etiã guſtum comprehendiſſe; nam vt ipſe ſæpè docet, guſtus eſt quidam, tactus, licet non formaliter, ſaltẽ præſuppoſitiuè. Et ſic reconciliantur loca Ariſtotelis, quæ prima facie oppoſita videbantur.

4 De alijs tribus ſenſibus, ſcilicet, viſu, auditu, & olfactu, de quibus Ariſtoteles cap. 12. huius libri docuit, non eſſe ſimpliciter neceſſarios in animali ad conſeruandam vitam, ſed ſolũ eſſe vtiles, & ſi non omnes, in aliquibus animalibus imperfectis, teſte Ariſtotele, & ipſamet experientia reperiantur; tamen in omnibus animalibus perfectis reperiri omnes expreſsè docuit Ariſtoteles 1. de hiſtoria animalium cap. 9. & alibi

Digitized by Google

bi ſæpè. Neque obſtat, quòd idem Ariſtoteles eodem loco, & libro 4 cap. 8. talpæ viſum deneget; nam vel talpam noluit enumerare in ſerie animalium perfectorũ; vel ſi enumerãda eſt, voluit illã excludere à regula generali: niſi fortè velis dicere, & non improbabiliter, cum Toleto, & Simplicio hoc loco, & Alberto magno lib. 22. de animalibus. Talpã habere viſum; nam habet organizationem oculi, quadam pelle coopertam, quæ organizatio ſuperflua eſſet, ſi nullo modo viſum haberet; ſed quia hic viſus eſt imperfectiſsimus, ideò ab Ariſtotele, tanquam nihilum reputatus eſt locis, vbi talpæ viſum denegat.

5 Secundò dubitari poteſt, an hi quinque ſenſus exteriores perfectiores ſint in homine, quàm in alijs perfectis animalibus? Pro cuius reſolutione nota, duplicem perfectionem nos poſſe conſiderare in potẽtijs ſenſitiuis, vnam intrinſecã, & quæ eis competit ex ſua ratione ſpecifica; aliam extrinſecam, & quæ eis competit ex perfectione accidentali organorum, in quibus reſident.

6 Si de perfectione intrinſeca, & quæ eis cõuenit ex ratione ſua ſpecifica, ſermo ſit, iam quæſtionem iſtam exagitauimus 2. libr. diſp. 3. quæſt. 2. à nu. 10. & reſoluimus, in ſententia noſtra, & Scoti, quæ ſuſtinet (vt latè expendimus eadem diſputatione quæſt. 1.) potentias animæ organicas, vt ſunt omnes ſenſus exteriores, non eſſe accidentia realiter diſtincta ab illo organo corporeo, & animato, in quo reſident, ſed potius eſſe idem realiter cũ illo, ſpectareque ad prædicamẽtum ſubſtantiæ, non ſecus, ac ſpectat ipſum organum, & ſolùm ab illo diſtingui ex natura rei formaliter, ad modum, quo omnis propria paſsio diſtinguitur ab eſſentia, à qua profluit, affirmandum eſſe, ſenſus exteriores, vt ſunt viſus, auditus, &c. qui ſunt in homine, eſſe diſtinctos in ſpecie à ſenſibus exterioribus, qui ſunt in alijs animalibus; non ſecus, ac homo ab alijs animalibus diſtinctus eſt in ſpecie; & conſequẽter, ſi ſermo ſit de perfectione intrinſeca, & quæ prædictis sẽſibus ex ratione ſua ſpecifica cõpetit, aſſerendum eſſe, ſenſus exteriores, qui ſunt in homine, eſſe perfectiores ſenſibus exterioribus, qui ſunt in alijs animalibus, cuius rationem ibi aſſignauimus, & ſimul, quæ in contrarium obijciebantur, ſatisfecimus. Recolãtur ibi dicta.

7 Non me latet, poſſe aliquẽ nobis obijcere Scotum, qui 2. ſententiarum diſt. 2. q. 6 §. *Poteſt etiam addi*, videtur oppoſitam doctrinam ſuſtinere; nam ibi affirmat, ad ſaluandum Angelum, & animam rationalem differre ſpecie, nõ eſſe neceſſariũ, quòd intellectualitas

An-

quòd intellectualitas Angeli, & intellectualitas animæ differant ſpecies, & ponit exemplum in anima bouis, & aquilæ, quæ diuerſæ ſpeciei ſunt; & tamen potentia viſiua bouis, & aquilæ (inquit Scotus) nõ differunt ſpecie; nam poſsibile eſt, quòd continentia differant ſpecie, non verò contenta; ſicut apparet in paſsionibus entis, quæ continentur per identitatem in entibus, quantumcumque diſtinctis, & tamen illæ paſſiones in eis non diſtinguuntur ſpecie: vnitas enim lapidis, quæ non eſt aliud realiter à lapide, & vnitas hominis, quæ eſt idẽ realiter cum homine, non diſtinguuntur formaliter, & ſpecie, ſicut homo, & lapis; imò hæc vnitas, & illa ſolùm vidẽtur differre numero. Hæc Scotus.

8 Sed ad hanc auctoritatem Scoti facilè reſpõdemus, dicto loco non loqui Scotum ex mẽte propria, ſed ex mente aliorũ prædicta verba addidiſſe, vt omnibus vijs oſtenderet, Angelum, & animam rationalẽ primo nõ diſtingui ſpecie per intellectualitates, ſeu, quod idem eſt, per potentias intellectiuas, vt aliqui cõtendebant. Et quod hoc ſit verum, patet ex cõtextu, vbi poſt verba allegata ſubdit, *Et ſi hoc eſt verum, tunc planum eſt, qòd Angelus, & anima non diſtinguantur ſpecie primò per talem, & talem intellectualitatem; imò nec primò, nec non primò. At ſi iſtud non eſt verum, ſed relinquatur modò, ſicut dubium, ſaltem primum dictum videtur ſatis clarum, ſcilicet, quòd per iſtud nõ eſt prima diſtinctio eorum* Hæc Scotus.

9 Si verò ſit ſermo de perfectione extrinſeca, & quæ his ſenſibus competit ex perfectione accidẽtali organorum, dicendum eſt in primis, multa bruta, vt vultures, & canes in eo ſuperare hominem, quòd à longiori diſtantia olfaciunt; licet homo illa excedat in hoc, quòd plures ſpecies odorum percipiat. In viſu verò communis eſt ſententia, viſum lyncis in eo viſum hominis ſuperare, quòd à longiori diſtantia obiectum aſpiciat, licet fortaſsis lynx non tot ſpecies colorum aſpiciat, ſicut homo. De auditu, ſaltẽ quoad perfectionem diſtantiæ quædam animalia exuperant ipſum hominem, qualis eſt ſus in omnium ſententia. De tactu expreſſa ſententia Ariſtotelis eſt cap. 9. huius libri, & apud Medicos recepta, quam etiam amplectitur D. Thom. 2. libro de anima, lectione 19. tactum hominis perfectiorem eſſe tactu brutorum; habet enim organum tactus in homine optimum tẽperamentum. Vndè quòd de aranea dici ſolet, habere perfectiſsimum omnium tactum, fortaſsis tantùm eſt verum in aliquo determinato tangibili. Et demum de guſtu etiam Ariſtoteles, & D. Tho. locis citatis

af-

Digitized by Google

affirmant, hominem in guſtu excellere omnia alia animātia; nam ſaltem præſuppoſitiuè eſt quidam tactus, & cum homo egeat perfectiori alimēto, perfectiorem etiam guſtum habere debuit, licet fortaſsis quoad aliqua particularia obiecta ab aliquibus brutis poſsit ſuperari, vt de ſimia dici ſolet; & iuxta iſtam doctrinam intelligenda ſunt carmina illa.

Nos ſus auditu, lynx viſu, ſimia tactu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

DISPVTATIO SECVNDA.

De natura, numero, & modo operandi internorum ſenſuum.

DE ſenſibus internis diſputat Ariſtoteles 2. & 3. cap. huius libri; ad quorum intelligentiam tria examinanda ſunt. Primum, *An detur aliquis ſenſus internus diſtinctus à ſenſibus externis?* Secundū, *Quæ ſit natura, & qui numerus ſenſuū internorum?* Tertium, *Quid ſit obiectum, qui ſint actus, & quid organum interioris ſenſus?*

QVÆSTIO PRIMA.

An detur aliqui ſenſus internus diſtinctus à ſenſibus externis?

1 NOn defuere, qui negauerint, præter quinque externos ſenſus dari aliquem internum, eo nixi fundamento, quia nullum occurrit ſenſibile, quod in aliquem è quinque externis non cadat. Sed vera, & Ariſtotelica ſententia docet, præter quinque exteriores ſenſus, dari aliquem ſenſum interiorem, qui dicitur communis, eo quòd omnia obiecta externorum ſenſuum attingit, & inter omnes ipſorum ſenſationes diſcernit; ita Ariſtoteles in cap. 2. huius libri, quem omnes interpretes ſequuntur, Scotus quæſt. 9. de anima, & 4. diſt. 45. quæſt. 3. numer. 12. D. Thom. hic lectione 3. & 1. parte quæſtione 78. articul. 4. & omnes eorum aſſeclæ, quos longum eſſet recenſere.

2 Veritatem hāc optimè demon-

monſtrauit, vt vidimus in litera cap. 2. ipſemet Ariſtoteles hoc diſcurſu; animalia, etiam irrationalia, diſcernunt inter ſenſibilia diuerſorum ſenſuum externorum, v.g. inter colorē, & ſonum, ſed hoc præſtare nō poſſunt per aliquē ex ſenſibus externis; nam quilibet ex ſenſibus externis ſolùm diſcernit inter ſenſibilia ſui obiecti adæquati, v.g. viſus inter albū, & nigrū; ergo ad hoc munus obeūdum neceſſarium erit, præter quinque ſenſus externos ponere in animalibus aliquē ſenſum internum communē, per quē animalia diſcernāt inter ſenſibilia diuerſorum ſenſuum externorum, vt ſunt color, ſonus, ſapor, &c.

3 Quod ſi aliquis reſpondeat, hoc præſtare animalia per plures ex ſenſibus externis; benè inſurgit Ariſtoteles, oſtendens hoc eſſe impoſsibile: impoſsibile enim eſt (inquit Ariſtoteles) quòd animal diſcernat per aliquem ſenſum inter colorē, & ſonum, vt de facto diſcernit, (nō enim diſcernit per agglomerationem omnium ſenſuū, ſed per aliquem determinatū) & quòd per illum vtrumque non cognoſcat: ergo cum nullum ex quinque exterioribus id præſtare poſsit, ponēdus neceſſariò erit ſenſus internus cōmunis attingēs omnia ſenſibilia, per quē id præſtare poſsit.

4 Et ſi aliquis obijciat ſequi ex hac doctrina, quòd idē numero ſenſus ſimul contraria percipiat; reſpondet Ariſtoteles, quòd ſicut punctum exiſtēs in centro circuli, licet in ſe ſit vnum; tamen quodam modo eſt plura, in quantum eſt principium, vel terminus plurium linearum, quæ ab illo ducuntur ad circumferentiam, ſeu à circumferentia ad illud terminantur: ita ſenſus internus communis, licet in ſe ſit vnus; tamen quodam modo eſt plures, in quantum eſt principium plurium cognitionum, quibus percipit omnia obiecta externorum ſenſuum, & terminus, ad quem tendunt omnes ſenſationes externorum. Quibus addit Scotus quæſt. 10. de anima, num. 3. litera B. ſenſum internum communem ſe habere ſicut Regem ſedentem in ſolio iudicantem de actibus particularium ſenſuum, ad ipſum terminatorū, repræſentantium ſibi propria obiecta.

5 Probari poteſt etiam hæc veritas alia ſimili ratione, quæ ſic efformari poteſt; ſenſus externi, etſi percipiant ſua propria obiecta, non tamen percipiunt ſenſationes, quibus illa percipiunt; ſed animalia percipiunt ſuas ſenſationes: ergo aſſignandus eſt in animalibus aliquis ſenſus internus communis, à quo prædictæ ſenſationes percipiantur. Nec valet, ſi reſpondeas cū Nemeſio libro de hominis natura, c. 7. & Plutarco apud Philoponum lib. 2.

hu-

Digitized by Google

huius operis tex. 103. cognoſcere externorum ſenſuum ſenſationes, ſolùm ad rationem, & intellectum ſpectare; tum quia Ariſtot. cap. 2. huius libri palã docuit, & probauit, ſenſum cõmunẽ percipere, & diſtinguere ſenſationes externorum ſenſuum: tum etiam, quia percipere omniũ ſenſibilium differentias, & de ſenſationibus ſingulorum ſenſuum iudicare, nõ excedit facultatem animæ ſenſitiuæ, cum alia præſtantiora munia à brutis animalibus administrari experiamur.

6 Nõ me latet, maiorem huius ſupra factæ rationis ab aliquibus non admitti; nam Alexãder 3. lib. quæſtionum naturaliũ, Themiſtius hoc in libro cap. 4. ſuæ paraphraſis, Simplicius textu 136. & nonnulli alij volunt, & defendunt, quemlibet ſenſum ex exterioribus, nõ ſolùm cognoſcere proprium obiectum; ſed etiam illius ſenſationem; & probant.

7 Primò, quia cuius eſt ſentire, ſe non operari, eiuſdẽ eſt ſentire ſuã operationẽ; ſed externi ſenſus, dum ſunt in otio, norũt, ſe nullam edere functionẽ: ergo dum ſunt in actu, norũt ſuas operationes, ſeu functiones.

8 Secundò; ſenſus externi habent ſuas delectationes; capit enim voluptatẽ auditus concẽtu muſicę; viſus intuitu viridium colorum, &c. huiuſmodi verò delectationes oriuntur in ſenſibus ex actione, qua quilibet corũ in propriũ obiectũ fertur; ſed delectatio nõ prouenit, niſi ex præcognito obiecto: neceſſe ergo eſt, vt vnuſquiſque ſenſus propriam operationem, qua delectatur, agnoſcat.

9 Tertiò; omnis cognitio fit præeunte ſpecie intentionali; ſed ad ſenſum cõmunem ſolùm deferuntur ſpecies intẽtionales obiectorũ, quæ à ſenſibus exterioribus percipiũtur: ergo vel negãdum eſt, ſenſum communem percipere ſenſationes ſenſuum exteriorum, vel neceſſariò fatendum, prædictas ſenſationes eſſe ſenſatas à ſenſibus exterioribus; & conſequenter ſenſus exteriores ſuas percipere ſenſationes.

10 Quartò; ſenſuum exteriorũ ſenſationes ſunt obiecta ſenſibilia; aliàs non poſſent ſentiri ab vllo ſenſu, quod conſtat eſſe falſum, cum ſaltem à ſenſu cõmuni ſentiri omnes fateamur: ergo ſentiuntur à ſenſibus externis, quorum ſunt ſenſationes; imò magis perfectè, quàm eorum obiecta, cum medient inter ſenſum, & obiecta, & conſequenter ſint ſenſui propinquiores.

11 Sed ijs nõ obſtãtibus, perſiſtendũ eſt in maiori aſſumpta, ſcilicet, ſenſus externos, etſi percipiant ſua propria obiecta, non tamen percipere ſenſationes, quibus illa percipiunt; quod non ſolùm docuit Ariſtoteles in hoc libro cap. 2. ſed etiam, & expreſsiùs libro de

ſomno,& vigilia, cap. 2. vbi ſic ait, *Nō viſu videt* (animal) *ſe videre, ſed quadam communi potentia omniū ſenſorium*. Vndè cum 2. de anima tex. 136. & ſequentibus affirmat, animal ſentire, ſe videre, audire, &c. non eſt intelligendū, hoc affirmare de ſenſibus particularibus exterioribus; ſed de ſenſu cōmuni interiori; aliàs ſibimet eſſet contrarius. Et quoad ad hoc Ariſt. ſequuntur, nō ſolùm omnes Peripatetici, Scotus q. 9. de anima, D. Tho. hic lect. 3. & 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. & q. 87. art. 3. ſed etiam Galenus lib. 4. *de vſu partium*, cap. 6. & libro *de ſynthomatū cauſis* cap. 6. Et ratio à priori eſt, quòd ſenſus exteriores in omnium ſententia non ſunt reflexivi: ergo etiamſi per ſuas ſenſationes directè percipiant ſua obiecta propria, non poterunt per aliam operationē reflectere ad prædictas ſuas ſenſationes percipiendas; ſed hoc præſtandum erit per alium ſenſum exteriorem excellentiorem, & omnibus ipſis cōmunē.

12 Neque ea, quæ in contrarium obiecta ſunt, multùm vrgent. Ad primū fatemur libenter, ad eandē potentiam ſpectare, cognoſcere carentiā ſenſationis, & ipſam ſenſationem; quia communis doctrina fert; carentias non per ſe; ſed per ordinē ad formas, quarū ſunt carentiæ, percipi poſſe. Sed ſicut negamus, ſenſus exteriores, dū ſunt in actu, percipere ſuas ſenſationes, quia hoc ſolū ſpectat ad ſenſum interiorē, qui dicitur cōmunis; ita cōſequēter negamus, ſenſus exteriores, dum ſunt in otio, percipere carētias ſuarū ſenſationum; ſed hoc ſolùm ſpectare ad ſenſum interiorem, qui communis dicitur.

13 Ad ſecundū benè reſpondent Conimbricenſes, delectationes conſequi quidē ex perceptione cōuenientiū obiectorū; ſed negant, hanc cōuenientiā percipi poſſe à ſenſibus externis; ſed à phantaſia, vel æſtimatiua, quæ eſt, quæ repræſentat appetitui, ex quo delectatio oritur, conuenientiam, vel diſconuenientiam obiectorum.

14 Ad tertium, conceſſa maiori, negamus minorē; nam vt quæſt. 3. huius diſputationis loquēdo de obiectis internorum ſenſum oſtendemus, ad ſenſum interiorē, non ſolùm deferūtur ſpecies intentionales obiectorū, quæ à ſenſibus externis percipiuntur, ſed etiā ſpecies intētionales aliquarum affectionū, quæ inueniūtur in obiectis externis, quæ à ſenſibus externis non attinguntur; & ideò dicūtur obiecta inſenſata, inter quas affectiones, ſenſationes, quibus ſenſus externi percipiunt ſua obiecta, numerantur.

15 Ad quartū, & vltimum dicimus, ſenſationes externorū ſenſuū reſpectu ſenſuum externorū eſſe ſenſibiles, *vt quo*; ſunt enim operationes, ſeu formæ, à quibus ſenſus externi ſentiētes

for-

formaliter denominantur; reſpectu verò ſenſuum internorũ eſſe ſenſibiles, *vt quod*; ſunt enim obiecta, quæ per ipſos percipiũtur: ex hoc autẽ, quod infertur eſt, quòd ſolùm à ſenſibus internis poſsint percipi. Neque obſtat, quòd ſint mediæ inter ſenſum, & obiecta; & cõſequẽter ſenſibus externis propinquiores; quia non mediant, vt ſenſibile *quod* per ipſos, ſed ſolùm vt ſenſibile *quo*.

QVÆSTIO II.

Quæ ſit natura, & qui numerus ſenſuum internorum?

1 STatuimus quæſtione præcedenti, præter ſenſus externos, dari etiam ſenſus internos; ſed quia hi ſenſus interni nominari ſolent aliquibus nominibus explicantibus eorum officia, & munia, nimirũ, ſenſus cõmunis, phantaſia, imaginatio, æſtimatiua, memoria, cogitatiua, & reminiſcentia; ideò in hac quæſtione duo explicanda veniunt; primum, cuiuslibet iſtorũ ſenſuum officiũ, ſeu munus. Secundum, an iſta munia, ſeu officia ita diſtincta ſint, vt requirant diſtinctas realiter potentias; an vna pro omnibus ſufficiat?

2 Circa primum dicendũ eſt, officium, ſeu munus ſenſus cõmunis eſſe, recipere ſpecies intentionales obiectorum omnium, quæ à ſenſibus exterioribus percipiuntur, & per ipſas prædicta obiecta ſenſata à ſenſibus externis, dum actualiter ab ipſis ſentiuntur, non ſolùm percipere, ſed etiam inter ipſa diſcernere; ita Ariſtot. hic cap. 2. & noſter Scotus q. 9. de anima, & cõmuniter auctores. Appellatur autem hic ſenſus communis, vt annotauit Scotus q. 10. de anima, nõ quia ſola ſenſibilia cõmunia percipiat, neque cõmunitate prædicationis; eſt enim ſenſus ſingularis, ſeu indiuiduus, ſed cõmunitate obiecti; eſt enim radix, & cauſa omniũ ſenſuum externorũ, & quaſi Rex ſedens in ſolio iudicat de omnibus obiectis ipſorũ, dum actualiter ab ipſis percipiũtur, & inter ipſa diſcernit.

3 Officium verò, ſeu munus phantaſiæ eſt, nõ ſolum ſpecies receptas in ſenſu, qui dicitur cõmunis, conſervare; ſed etiam per illas cognoſcere omnia obiecta ſenſuum exteriorum, etiam quando à ſenſibus externis deſinunt percipi, vt in dormientibus conſtat, & etiam in vigilantibus, qui circa illa phãtaſiantur, non operante circa illa aliquo ſenſu ex exterioribus; & per hoc differt munus, ſeu operatio phantaſiæ à munere, ſeu operatione ſenſus cõmunis, iuxta doctrinam Ariſtotelis cap. 3. huius libri.

4 Officium, ſeu munus imaginatiuæ eſt, ex obiectis cognitis per phantaſiam componere aliquod tertium, vt cũ ex monte, & ex auro cognitis per actus phãtaſiæ, cõponimus, ſeu ima-

ginamur montem aureum. Cũ enim actus phãtaſię ſolum verſentur circa ſimplicia obiecta, & experientia conſtet, ex obiectis ſimplicibus cognitis per phantaſiam nos, aliquod tertiũ compoſitum ex ipſis, imaginari; quòd iſte actus imaginationis, diſtinctus ſit ab actibus phãtaſiæ, neceſſarium erit, & ab iſto munere, ſeu actu ſenſus internus, à quo prouenit, dicitur imaginatio, & diſtinguimus imaginationem à phantaſia, de quibus Ariſt. 3. cap. huius libri.

5 Officium, ſeu munus æſtimatiuæ eſt, non ſolùm percipere externa ſenſata, dum actualiter ſentiuntur ab externis ſenſibus; ſed etiam aliquas eorum affectiones à ſenſibus externis non ſenſatas, vt cum ouis fugit lupum, non quia talis figuræ, vel coloris, ſed quia apprehendit illum, vt ſibi nociuum, & cum auis colligit paleas, non quia habent talem colorem, vel tactum; ſed quia, vt vtiles, & conuenientes ad ædificandum nidum apprehendit, & ſimiliter cum apprehendimus res ſenſatas, & ſimul cum ipſis ipſarum ſenſationes de quibus dictum eſt, non poſſe percipi à ſenſibus externis.

6 Officium, ſeu munus memoriæ ſenſitiuæ eſt. Vti ſpeciebus ſenſibilibus, tam ſenſatis, quàm inſenſatis, quæ in ſenſu interiori relictæ, & conſervatæ ſunt, ad iterum cognoſcẽdum, tam obiecta ſenſata, quàm inſenſata, quæ tempore præterito cognita, & ſenſata fuère, de quo videndus eſt Ariſtoteles libro, quem ſcripſit *de memoria, & reminiſcentia*, & D. Auguſt. libro 10. confeſsionum cap. 8. vbi elegantiſsimè ſcribit vim, capacitatẽ, firmitatem, vſum, & munera, ſeu officia memoriæ.

7 Officium, & munus cogitatiuæ ſolùm reperitur in hominibus, quia præter hoc, quod eſt cognoſcere omnia ſenſibilia, tam ſenſata, quàm inſenſata, quæ actualiter ſunt præſentia, habet propter coniunctionem cum intellectu, quòd pręfatæ ſenſationes fiant interueniente aliquo diſcurſu. Vndè id, quod appellamus ſenſum communem, & ſimiliter æſtimatiuam in brutis, appellatur etiam in hominibus propter concomitantem diſcurſum, facultas cogitatiua.

8 Demũ officium, & munus reminiſcentiæ (quæ teſte Ariſt. loco citato nõ reperitur in brutis, ſed ſolùm in hominibus) eſt indagatio, ſeu inquiſitio rerũ, quas recordari conamur, inquirẽdo ex vno ad aliud, quouſq; deuenimus ad id, quod volumus recordari; & per hoc differt à memoria, quæ etiã reperitur in brutis; quia officiũ, ſeu munus memorię ſolũ eſt (vt ſupra dicebamus) vti ſpeciebus ſenſibilibus, tã ſenſatis, quã inſenſatis, quæ in ſenſu interiori relictæ, & conſervatæ ſunt, ad iterum percipiendum obiecta,

tam

Digitized by Google

tam ſenſata à ſenſibus exterioribus, quàm inſenſata, quæ tẽpore præterito cognita, & ſenſata fuère, abſque vlla indagatione, ſeu inquiſitione, ſed ſolùm per ſimplicem, aut ſubitam recordationem.

9 Quod ſi aliquis petat, quo pacto differant inter ſe hæc officia, ſeu munera, à quibus ſenſus interni diuerſis, ſupradictis nominibus nuncupantur? Reſpõdendũ eſt, ſpecificè differre, quia etiãſi actus, quibus hęc officia, ſeu munera exercentur, verſentur circa idem obiectũ; ſed non tendunt in illud ſub eadẽ, ſed ſub diuerſis rationibus, quod ſufficit ad diuerſificãdos prædictos actus in ſpecie, vt cũ Scoto cõmunis ſententia fert; & exẽplificari poteſt in actibus intellectus, quibus idem obiectũ intuitiuè, & abſtractiuè cognoſcitur; quia actus in omnium ſententia ſpecie differunt, non obſtante, quòd verſentur circa idem obiectum, eo quod tendant in illud ſub diuerſis rationibus, nimirum, intuitivus, vt obiectũ præſens eſt; abſtractivus verò, vt obiectũ eſt abſens.

10 Circa ſecundũ, quod quærit quæſtio, maior eſt cõtrouerſia. Plures auctores affirmant in eodem animali aſsignãdos eſſe plures ſenſus internos, ſeu potẽtias inter ſe realiter diſtinctas; ſed magna varietas eſt inter ipſos in determinando numerũ, & ordinẽ ipſorum. Et præcipua controuerſia ſolũ verſatur loquendo de quinque prioribus potentijs, ſcilicet, de ſenſu cõmuni, phantaſia, imaginatiua, æſtimatiua, & memoria, quæ ſunt, quæ non ſolũ in homine, ſed etiam in brutis reperiuntur. Nam cogitatiuã non eſſe realiter diſtinctã à ſenſu communi, vel æſtimatiua; & ſimiliter reminiſcentiam non eſſe realiter diſtinctã à memoria ſenſitiua, etiam ab his auctoribus recipitur, eo quòd cogitatiua, & reminiſcentia ex natura ſua non differunt à ſupradictis potẽtijs, ſed ſolùm accidentaliter, nimirum, quia cum ſint in homine, cuius intellectus in ſuis actibus dependet à ſenſibus, habent, quando operantur, comitẽ intellectũ intelligentem, vel diſcurrentẽ circa earũ operationes, vel obiecta, & ab hac concomitãtia, quæ ipſis eſt accidẽtalis, habent, quod cogitatiua, vel reminiſcẽtia nũcupentur.

11 Primo Auicena lib.6. naturalium part.4. cap.2. Algazelus in ſuo libello de anima tract.4. cap.4. Albertus magnus 2. de anima, tract.4. cap. 7. Ioannes Gandauenſis 2. huius operis q.37. quinque conſtituũt ſenſus, ſeu potẽtias ſenſitiuas internas, realiter, & eſſentialiter inter ſe diſtinctas, qui, etſi in numero cõueniãt; tamẽ in earũ officijs diſtribuendis, & ordinandis non parũ diſsident. Nam Algazellus, & Albertus magnus primo loco enumerant ſenſum communem, qui ex-

externorum ſenſuum obiecta percipiat; ſecundo imaginatiuam, vt ſpecies conſervet, reſque ſenſatas in earum abſentia recolat: tertio æſtimatiuam, vt obiecta non ſenſata percipiat: quarto phantaſiam, vt varias inter ſe ſpecies, tam ſenſatas, quā inſenſatas cōiungat. Quinto memoriam, vt conſervet ea, quæ à phantaſia percipit. Auicena autem phantaſiam tertio loco poſuit; quarto imaginatiuam, atque hanc credidit, nihil per ſe cognoſcere, ſed dumtaxat ſpecies à ſenſu communi traditas apud ſe reponere.

12 Fundamentum iſtorū auctorum ad ponendum quinque prædictas potētias internas ſenſitiuas inter ſe realiter, & eſſentialiter diſtinctas, eſt, quia ex Ariſtotele 2. libro de anima tex. 22. & 23. potentiæ ſpecificantur per actus, & actus per obiecta; ſed actus, quibus quinque ſupradicti ſenſus, ſeu potētiæ ſenſitiuæ internæ ſua munera exercent, vt num. 9. ſtatuimus, differunt ſpecie: ergo etiā ſenſus interni, à quibus eliciuntur, erunt potentiæ ſpecie, & conſequenter numero, & realiter diſtinctæ.

13 Secundò D. Tho. 1. part. quæſt. 78. artic. 4. & opuſculo 43. cap. 4. numerum ſenſuum, ſeu potentiarum ſenſitiuarum internarum ad quaternarium reduxit: affirmat enim, dari quatuor potentias ſenſitiuas internas, realiter inter ſe diſtinctas, duas, per quas percipiūtur ſenſibilia, ſenſata à ſenſibus exterioribus, nimirū, ſenſum cōmunē, qui ſolùm percipit omnia obiecta ſenſuum exteriorū, dum realiter ſunt præſentia, & phantaſiam, quæ etiam ſe extēdit ad percipienda eadem obiecta, etiam quādo nō ſunt realiter præſentia, vt contingit in dormientibus: & alias duas per quas percipiuntur ſenſibilia inſenſata à ſenſibus exterioribus, vt ſunt rationes cōuenientis, & diſconuenientis, aliæque ſimiles affectiones: æſtimatiuā, quæ ſolùm percipit hæc obiecta inſenſata, dum realiter ſunt præſentia: & memoriā, quæ etiā ſe extēdit ad percipienda eadem obiecta inſenſata, quando iam tranſierunt, & non ſunt realiter pręſentia. Hanc Angelici Doctoris ſententiā, quæ ſatis communis eſt inter antiquos, ſequūtur omnes eius diſcipuli, & priùs eam tenuit Auerroes hoc in libro, commento 6.

14 Et in primis æſtimatiuam, & memoriā realiter diſtingui à ſenſu communi, & phantaſia, ex eo probāt, quòd ſentire per ſpecies inſenſatas, & ſentire per ſpecies ſenſatas realē diſtinctionem inter potentias his diuerſis modis ſentientes arguit, cū ſpecies inſenſatæ minùs materiales ſint, quàm ſenſatæ: ſed æſtimatiua, & memoria ſentiunt per ſpecies inſenſatas: ſenſus verò communis, & phātaſia ſentiunt per ſpecies ſenſatas: ergo iſti

modi

modi diuerſi ſentiendi manifeſtè conuincit diſtinctionem realem inter æſtimatiuam, & memoriã ex vna parte, & ſenſum communem, & phantaſiã ex alia. Et cõfirmatur, quia potentiæ, quæ ſentiunt per ſpecies ſenſatas, ſunt ſpeculatiuæ, cum non dictent de cõuenientia, vel diſconuenientia obiecti; potẽtiæ verò, quæ ſentiunt per ſpecies inſenſatas, practicæ ſunt, nam dictant de conuenientia, vel diſconuenientia ſuorũ obiectorũ: ſed ſenſus communis, & phãtaſia ſentiunt per ſpecies ſenſatas; eſtimatiua verò, & memoria per ſpecies inſenſatas; ergo ſenſus communis, & phantaſia potentiæ ſpeculatiuę ſunt; æſtimatiua verò, & memoria potẽtiæ practicæ; & cõſequenter realiter, imò & ſpecificè diſtinctæ; nam cognitio ſpeculatiua, & cognitio practica in omnium ſententia, non ſolùm realiter, ſed etiam ſpecie diſtinguuntur; & potentias ab actibus diſtinctionem, & ſpecificationem ſumere, ex Ariſtotele omnibus notum eſt.

15 Deindè ſenſum communẽ eſſe potẽtiam realiter diſtinctã à phantaſia, non obſtãte, quòd vtraque iſta potẽtia per ſpecies ſenſatas percipiat; probant primò; quia ſenſus communis eſt potentia intuitiua, cum ſolùm cognoſcat obiecta ſenſuum exteriorũ, dum ſunt realiter præſentia, & à ſenſibus exterioribus percipiũtur; phãtaſia verò eſt potẽtia abſtractiua, cũ cognoſcat obiecta ſenſuũ exteriorũ, etiam quando realiter non ſunt præſentia, neque à ſenſibus exterioribus percipiuntur; ſed ſenſatio intuitiua, & ſenſatio abſtractiua, etiãſi ſint eiuſdem obiecti, nõ ſolũ realiter, ſed etiã ſpecificè diſtinguũtur; ergo & potẽtiæ ſenſitiuæ, à quibus eliciuntur, non ſolùm realiter, ſed etiam ſpecificè erunt diſtinctę.

16 Secundò probant, quia cũ ſenſus cõmunis facilè recipiat ſpecies ſuorũ obiectorũ, & difficilè conſervet; è contra verò phantaſia difficilè recipiat ſpecies eorundẽ obiectorũ, & facilè conſervet, videtur neceſſariò ſequi, quòd diuerſæ, imò & oppoſitæ diſpoſitiones in organis earũ requirantur; & cõſequenter, quòd non poſſint in eodem organo reſidere; quod ſignum euidens eſt diſtinctionis realis inter ipſas. Sequelã probant à ſimili rerũ naturalium, quæ ad facilè recipiendũ, & difficilè conſervandũ externas impreſſiones neceſſariò requiritur, quòd in earum temperamento humiditas prædominetur; è contra verò ad difficilè recipiẽdum, & facilè conſeruandũ extrinſecas impreſsiones neceſſariò requiritur, quòd in earum temperamento qualitas contraria, ſcilicet, ſiccitas prædominetur.

17 Eiſdem argumentis probant, æſtimatiuã eſſe potẽtiam realiter diſtinctam à memoria,

Digitized by Google

non obſtante, quòd in eorum ſententia vtraque iſta potentia ſentiat per ſpecies inſenſatas; nam æſtimatiua eſt potẽtia intuitiua, cũ ſolùm percipiat obiecta inſenſata, dum realiter ſunt præſentia; memoria verò eſt potentia abſtractiua, cũ eadem obiecta cognoſcat, dum iam tranſierunt, & realiter præſentia nõ ſunt. Et ſimiliter æſtimatiua facilè recipit ſpecies inſenſatas, & difficilè conſervat; ècõtra verò memoria difficilè illas recipit, ſed facilè cõſervat.

18 Tertiò Galenus in libro de differentijs ſynthomatũ cap. 3. quem refert, & ſequitur Valles. lib. 2. cõtrouerſiarum medicarum cap. 22. & 23. Toletus hìc q. 6. D. Damaſc. 2. libro fidei. cap. 17. & Gregorius Nyſſenus lib. 4. de viribus animæ cap. 6. & 7. ſenſus, ſeu potentias ſenſitiuas internas ad ternarium reducunt, ſed non eodẽ modo; nam Galenus ponit ſenſum cõmunẽ, æſtimatiuam, & memoriam realiter inter ſe diſtinctas; phãtaſiam autem, & imaginationẽ putat, neque inter ſe, neque à ſenſu communi realiter diſtingui. Toletus verò, etſi phantaſiam à ſenſu communi diſtinguat, & etiam à memoria; ſed inter phantaſiam, imaginatiuam, & æſtimatiuam nullã admittit realem diſtinctionem.

19 Fundamentum Galeni ad ponendum tres ſupradictas potẽtias realiter diſtinctas eſt, quia videmus lędi nõnũquã tres ſenſus internos ſupradictos quoad vnam operationẽ, & nõ quoad aliam; quod certè non aliundè videtur euenire poſſe, niſi quia ij inter ſe realiter diſtinguuntur, & vnuſquiſque in diuerſa cerebri parte reſidet; & ideò diſſoluto organi tẽperamento in vna parte, idẽ nihilominus in alia integrũ manet, proindeque facultas, quæ partẽ illæſam occupat ſuo munere probè fungitur; quæ verò partẽ læſam nõ itẽ. Aſſumptũ probat Galenus tribus experientijs, nam in primìs imaginãdi vim lædi poſſe, reliquis illæſis, probat libro de *ſynthomatum differentys* cap. 3. in Theophilo Medico, qui cum rectè reſponderet ad interrogata, imaginatus eſt, tibicines audire in angulo domus, & cõtinuò exclamabat, vt foras eijcerentur. Deindè æſtimatiuam poſſe lædi, reliquis potentijs rectè ſe habentibus, oſtẽdit lib. 4. *de locis affectis* cap. 4. in quodam Romano ciue, qui ſurgẽs ex lecto ad feneſtrã, & oſtendens vitrea vaſa, inquirens, an proijceret, proiecit, quia annuebãt ei, & aſſumens puerũ, & inquirẽs, an proijceret, proiecit etiam, quia etiã ei annuebant. Et demũ lædi memoriam ſine reliquarũ facultatum læſione demonſtrat libro *de differentijs ſynthomatũ* cap. 8. & libro *de cauſis ſynthomatum* cap. vlt. exemplo eorum, qui à Thucidide peſtẽ annumeratã paſsi ſunt, qui neque alios, neque ſe ipſos cog-

noſcebant, reliquis internis potentijs rectè ſe habentibus.

20 Quartò Conimbricenſes hìc cap. 3. q. 1. etſi probabilem putent ſententiam D. Tho. quæ ponit quatuor ſenſus, ſeu potẽtias internas ſenſitiuas realiter inter ſe diſtinctas, & ſimiliter ſententiam Toleti, quæ illas ad ternariũ reduxit: tamen art. 3. prædictæ quæſtionis, vt multò probabilius cũ Fonſeca 5. Metap. cap. 28. q. 7. ſect. 4. defendit, tantũ eſſe aſsignandas duas potẽtias ſenſitiuas internas, realiter diſtinctas, nimirũ, ſenſum cõmunem, & phantaſiã. Porrò ſenſum cõmunem, & phantaſiam eſſe potẽtias ſenſitiuas internas, realiter inter ſe diſtinctas, præter auctoritatem Ariſt. qui cap. 3. huius libri à tex. 55. phãtaſiã à ſenſu cõmuni diſtinguit, probant eiſdẽ argumẽtis, quibus ad idem probandũ vſi ſunt Thomiſtæ, quæ à nobis adducta ſunt ſupra n. 15. & n. 16.

21 His tamen nõ obſtantibus oppoſita ſententia, quæ ſolũ admittit vnicã potentiam ſenſitiuam interiorẽ, ſcilicet, ſenſum cõmunem, quæ ſecundum diuerſa officia, ſeu munera, quæ exercet, & à nobis initio huius quæſtionis explicata ſunt, diuerſis etiã nominibus nũcupatur, ſcilicet, phãtaſia, imaginatio, æſtimatiua, memoria, &c. vt probabilior ſequenda eſt; ita: ex noſtris Alexander Alenſis 2. part. q. 7. membro 2. Cauellus in annotationibus quæſtionis 9. de anima, noſtri Scoti cõcl. 4. Tartaretus 2. de anima in fine, & ex alijs indicauit Galenus lib. 2. de muſculorum motu, vbi eos ſenſus, quos alibi diſtinxerat, vnam potẽtiam realiter eſſe ſignificat; vndè alibi potiùs videtur operationes, nõ autem potentias diſtinxiſſe: indicant etiã Alexãder 1. de anima cap. 19. Philoponus lib. 2. circa text. 144. Simplicius circa textũ 153. Themiſtius libro de memoria, & reminiſcentia cap. 6. & 10. & alij ex veteribus Peripateticis; & ex recentioribus, quàm plures, Suarez lib. 3. de anima cap. 30. Rubius hoc tractatu de ſenſibus internis q. 1. Hurtado diſp. 17. de anĩma ſect. 7. & 8. Auerſa q. 55. de ſenſibus internis ſect. 3. Arriaga diſp. 5. de anima ſect. 4.

22 Sed quid de mente Ariſtotelis, & ſimiliter de mente Scoti noſtri ſentiendum eſt? De mẽte Ariſtotelis diuerſi diuersè loquuntur Conimbricẽſes, vt numero 20. dicebamus, affirmant, ex mente Ariſt. phãtaſiam realiter diſtingui à ſenſu communi; Toletus verò nõ ſolùm exiſtimat, phantaſiam ex mente Ariſtotelis diſtingui à ſenſu communi; ſed etiam vtrumque diſtingui à memoria. Ecõtrariò Suarez, & Auerſa longo ſermone ſuſtinent, ex mente Ariſtotelis ſolùm eſſe conſtituendam vnam numero potentiam internam, & conſequenter Ariſtot. noſtræ ſenten-

tiæ ſuffragari, neque immeritò, quia locis, in quibus Ariſtoteles ponit diſcrimen inter ſupradictas potentias interpretãdus eſt, nõ de diſcrimine quoad entitatem prædictarum potentiarum; ſed quoad earum munera, & officia. Et quod hæc interpretatio ſit admittenda, colligitur ex eo, quòd varijs in locis, & præcipuè cap. 1. *de memoria*, de omnibus internis ſenſibus loquitur, tanquã de vno, confundens memoriam cum ſenſu communi, & imaginatione, ſeu phantaſia; nam ait, memoriam, ſeu actum recordationis eſſe paſsionem, ſeu actum imaginationis, aut phãtaſiæ, ſeu ſenſus communis.

23 Si ſermo ſit de mẽte Scoti, Philippus Faber, etſi admittat, Scotum nullo loco, quem ipſe viderit, ex profeſſo tractaſſe difficultatem præſentẽ de vnitate, vel diuerſitate ſenſuum internorum; nihilominus multũ inſudat, vt probet ſecundum Scotum, tres eſſe ſenſus internos, realiter inter ſe diſtinctos, ſcilicet, ſenſum communem, phantaſiam, & memoriam. Sed vt benè aduertit Cauellus, nihil Philippus præſtat, quod demonſtrat Cauellus adducendo Scoti loca, quæ adducuntur ab ipſo Philippo Fabro ad ſuum intentum probandum, & ipſa in contrarium optimè retorquendo. Dicendum ergo nobis eſt cum Cauello, in doctrina Scoti benemeritò, quòd cũ Scotus paſsim cum Philoſopho ſuſtineat, pluralitatem admittendam non eſſe ſine vrgẽte neceſsitate, neque vllibi plures ſenſus internos diſtinctos realiter poſuerit; vnicum tantùm, potentem plura munera exercere, ſicut & nos ponimus, ipſum Scotum poſuiſſe, abſque dubio cenſendum eſſe.

24 Sed age, & ſententiam noſtram rationibus comprobemus. Prima, & eſt ratio à priori; etiamſi potentiæ ſpecificentur, & diſtinguantur per actus, ſed nõ per actus inadæquatos; aliàs viſio albi, & viſio nigri, quæ ſunt actus videndi, ſpecie, & realiter diſtincti; arguerent potentias viſiuas ſpecie, & realiter diſtinctas in eodem animali; quod eſt falſum; ſed per actus adæquatos, quales ſunt illi, quorum obiecta formalia in nulla ratione communi obiectiua conueniunt, vt ſunt, v. gr. actus videndi, facta comparatione cum actibus audiendi, olfaciẽdi, &c. nam ſi eorum obiecta formalia in aliqua ratione communi obiectiua conueniant (vt contingit in obiectis viſionum albi, & nigri; conueniunt enim in ratione communi obiectiua coloris) non eſt dubium, quòd prædicti actus ſint inadæquati; & conſequenter, etſi inter ſe ſpecie differant, non ideò ſupponere, ſeu inferre in eodem animali potentias ſpecificè, & realiter diſtinctas; ſed potiùs ſupponere, & inferre,

re, quòd potentia, à qua eliciũtur, in eodem animali eadem in numero, & ſpecie ſit. Cum ergo omnia obiecta formalia illorum actuum, quibus ſenſus internus exercet omnia illa munera ſupra numerata, conueniant in aliqua ratione cõmuni obiectiua, ſcilicet, in ratione ſenſibilis cõmunis, ſumpto ſenſibili communi, non pro vt ſenſibile commune diſtinxit Ariſtoteles à ſenſibili proprio, ſed prout ſub ſe comprehendit omne ſenſibile, quod attingi poteſt ab omnibus ſenſibus externis, quæ eſt ratio formalis, per quam ſenſus internus diſtinguitur à ſenſibus externis; nam iſti ſolùm verſantur circa ſenſibilia determinata, viſus circa colores, & lumẽ; auditus circa ſonos; olfactus circa odores, &c. ſenſus verò interior circa omnia iſta obiecta; manifeſtè, & à priori cõcluditur, omnes actus, quibus ſenſus internus exercet omnia ſupra dicta munera, eſſe actus inadæquatos, & conſequenter, etiamſi inter ſe ſpecie differãt, non ideo inferre in eodẽ animali diuerſas in ſpecie, & numero potentias interiores ſenſitiuas, à quibus eliciantur, ſed potius oppoſitum conuincere.

25 Confirmatur, & roboratur ampliùs ratio facta; impoſſibile eſt, quòd vna potentia ſenſitiua eliciat aliquem actũ, ſiue magis, ſiue minus perfectum, circa idem obiectũ formale, & adæquatum alterius potentiæ ſenſitiuæ, ab ipſa eſſentialiter, & realiter diſtinctę; aliàs de eodem obiecto formali verificarentur duo contradictoria, nimirum; quòd eſſet adæquatum vnius potentię, & quod non eſſet adæquatum, & exemplificari poteſt in ſono, & odore; nam quia ſonus eſt obiectum formale, & adæquatum auditus, implicationẽ inuoluit, quòd olfactus, qui eſt potentia ſenſitiua eſſentialiter, & realiter diſtincta ab auditu, aliquam operationem, ſiue magis, ſiue minùs perfectam eliciat circa ſonum; & è contra, quia odor eſt obiectũ formale, & adæquatum olfactus, implicationem inuoluit, quòd auditus aliquam operationem, ſiue magis, ſiue minùs perfectã eliciat circa odorẽ. Sed omnia obiecta ſenſuum externorũ attinguntur, non ſolùm à ſenſu cõmuni, ſed etiam à phantaſia, ab imaginatiua, ab æſtimatiua, memoria, &c. ergo reſpectu alicuius harum potentiarum non poterunt eſſe obiectum formale adæquatum, ſed potiùs inadæquatum; & conſequenter iſtæ potentiæ internæ non erunt plures, ſed potius eſſentialiter, & realiter vna, non obſtante, quòd earum actus ex diuerſo modo tendendi in prędicta obiecta, eſſentialiter, & realiter diſtincti ſint; ſiquidem etiam inadæquati ſint, & poten-

Digitized by Google

tentiæ, vt dictum eſt, etſi ſumãt ſpecificationem ab actibus, ſed non ab actibus inadæquatis.

26 Secunda ratio, & quaſi à poſteriori deſumpta eſt, quia cum natura compendio ſtudeat, & paucitatem magis, quàm multitudinem affectet, non ſunt multiplicandæ res, quanto magis potentiæ, ſine ratione cogente, vt docet Scotus in 2. diſt. 16. & deſumpſit ex Philoſopho; ſed nulla ratio ex adductis ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ cogit ponere plures potentias interiores ſenſitiuas, realiter, & eſſentialiter inter ſe diſtinctas in eodem animali: ergo ſuſtinendum eſt, tantùm eſſe vnicam in numero, & ſpecie potentem plura ſupra dicta munera exercere, à quibus diuerſis muneribus diuerſas denominationes recipiit, vt ſunt ſenſus communis, phantaſia, imaginatiua, æſtimatiua, & memoria. Minor huius diſcurſus, in qua eſſe poterat difficultas, non meliùs probari poteſt, quàm ſoluendo, & expendendo rationes, quibus ad oppoſitum ſuadẽdum vſi ſunt auctores oppoſitæ ſententiæ.

27 Ad fundamentum Auicennæ, & aliorum auctorum, quos pro primo modo philoſophãdi citavimus, reſpondemus, etſi potentiæ ſpecificẽtur per actus, ſed non per actus inadæquatos; ſed per adæquatos; conſtat autem ex dictis in ratione à nobis adducta ad probandum à priori noſtram ſententiam, & ex eius confirmatione, actus, quibus ſenſus communis, phantaſia, &c. ſua munera exercent, non eſſe actus adæquatos, ſed inadæquatos; & conſequenter ex diſtinctione ſpecifica ipſorum non rectè inferri diſtinctionem ſpecificam potentiarum, à quibus eliciuntur.

28 Ad argumentum, quo D. Thom. & alij auctores pro ſecundo modo philoſophandi citati, contendebant, æſtimatiuam, & memoriam eſſe potentias realiter diſtinctas à ſenſu communi, & phantaſia, negamus, ſentire per ſpecies inſenſatas, & ſentire per ſpecies ſenſatas arguere diſtinctionem realem inter potentias his diuerſis modis ſentientes; tum, quia æſtimatiua (idem dico de memoria) ſentit, non ſolùm per ſpecies inſenſatas, ſed etiã per ſenſatas; ſed æſtimatiua (etiam per aduerſarios) eſt vna tantùm potentia: ergo ſentire per ſpecies inſenſatas, & ſentire per ſpecies ſenſatas non arguit diſtinctionem realem inter potentias his diuerſis modis ſentientes. Antecedens patet, quia æſtimatiua nõ poteſt ſenſitiuè cognoſcere inimicitiam lupi; quod præſtat per ſpeciem inſenſatam, niſi etiam ſenſitiuè cognoſcat ipſum lupum; quod præſtat per ſpecies ſenſatas: ergo vtraque ſpecie vtitur inſenſata, & ſenſata. Tum etiã, quia Ariſtoteles 3. de anima textu

48.

Digitized by Google

48. expreſsè docuit, appetitum ſenſitiuum imaginatione moueri, ſicut intellectu voluntatē; ſed appetitus ſenſitiuus nō mouetur, niſi ex apprehenſione cōuenientis, vel diſconueniētis, quæ ſunt affectiones obiecti non ſenſatæ, & ideò ſpectant ad æſtimatiuam: ergo ſupponebat Ariſtoteles, eandem eſſe potentiam imaginatiuam, & æſtimatiuam; & conſequenter ſentire per ſpecies inſenſatas, & ſentire per ſpecies ſenſatas nō arguere diſtinctionem realem inter potentias his diuerſis modis ſentiētes. Neque obſtat, quòd ſpecies inſenſatæ ſint minus materiales, quàm ſenſatæ; nā magis, & minus non variant eſſentiam rei, & quoad hoc, quod eſt mouere ſenſum internum vtraque ſpecies ſenſata, & inſenſata habent materialitatem requiſitā.

29 Ad confirmationem ibidē adductā dicimus, mirari ſanè, quòd ex ſenſatione ſpeculatiua, & ex ſenſatione practica, quæ ſunt, à quibus potētia ſenſitiua interior ſpeculatiua, & practica denominatur, colligere intētent aduerſarij diſtinctionē realē; imò & ſpecificam inter prædictas potētias, non alia ratione ducti, niſi quia prædictæ ſenſationes realiter, & ſpecificè diſtinguantur; primò, quia in hoc directè Ariſt. ſe opponunt, qui in fine capitis 7. huius libri, poſtquā aſſignauit diſcrimē inter practicū, & ſpeculatiuū, ſignatè ſubdit, hoc diſcrimen non arguere diuerſas potentias, ſed diuerſas operationes eiuſdem potētiæ. Secūdò quia ſicut ſenſus interior practicè, & ſpeculatiuè ſentit; ita intellectus practicè, & ſpeculatiuè intelligit: ergo ſicut nō licet ex diſtinctione reali, & ſpecifica, quæ verſatur inter intellectionē practicā, & ſpeculatiuā inferre diſtinctionē realē, & ſpecificā inter intellectū practicū, & ſpeculatiuū; ita inferre nequit ex diſtinctione reali, & ſpecifica, quæ verſatur inter ſenſationē practicā, & ſpeculatiuā, diſtinctionē realem, & ſpecificam inter ſenſum internū practicū, & ſpeculativum. Tertiò, & eſt ratio à priori, quia reſpectu ſenſus interni ſentire practicè, & ſentire ſpeculatiuè ſunt actus inadæquati, cum vterque verſetur circa ſuum obiectum ſub ratione ſenſibilis; conſtat autem ex dictis, potentias, etſi ſpecificentur, & diſtinguantur per actus, ſed non per inadæquatos.

30 Ad ſecundū ex duobus argumētis, quo idē auctores ſuadere conabantur, ſenſum communē, & phantaſiam eſſe potētias realiter diſtinctas (idē contēdebant de æſtimatiua, & memoria) nimirum, quòd ſenſus communis intuitiuè cognoſcit ſuum obiectum; phantaſia verò illud cognoſcit abſtractiuè; reſpondemus immeritò requirere diſtinctas realiter potētias ad cognoſcendū idē obiectum intuitiuè, & abſtractiuè; primò, quia

quia intellectus cognoſcit ſua obiecta intuitiuè, quando ſunt illi realiter præſentia, & abſtractiuè, quando non ſunt illi præſentia realiter; & tamen omniũ calculo, in quolibet homine ſolùm eſt vna numero potentia intellectiua. Secundò, quia omnis potẽtia sẽſitiua interior, quæ percipit abſtractiuè ſuum obiectũ, neceſſariò illud priùs intuitiuè cognouit: ergo adhuc in ſenſibus interioribus cognitio abſtractiua, & intuitiua eiuſdem obiecti non arguũt diſtinctionem realem inter potentias, à quibus eliciũtur. Antecedens ſic probo; omnis potentia ſenſitiua interior, quæ abſtractiuè cognoſcit ſuũ obiectum, debet ab illo recipere ſpeciem intẽtionalem ſui; quia in omnibus ſenſibus ſpecies intentionales ad ſentiendum requiſitæ, ab obiectis producuntur; aliàs aſsignandus eſſet ſenſus agens ad producendas ſpecies intentionales ſenſuum internorum; ſicut aſsignatur intellectus agens ad producendum ſpecies intelligibiles in intellectu paſsibili; quod vera, & communior ſententia non admittit. Nunc inquiro, an potentiæ interiores recipiãt prædictas ſpecies ab obiectis in eorum prǽſentia, an in eorum abſentia? Hoc vltimum eſt impoſsibile; licet enim obiecta ſenſibilia non emittant ſpecies intentionales ſui in ſenſus internos, niſi priùs percipiantur à ſenſibus externis; tamen ſenſationes ſenſuum externorũ non terminant, niſi in ipſorum reali præſentia: ergo fatendum eſt primũ. Modo ſic; potentiæ ſenſitiuæ internæ, quæ in abſentia ſuorum obiectorũ illa abſtractiuè cognoſcunt, toto illo tẽpore, quo habẽt illa præſentia, illa intuitiuè cognoſcunt: ergo verum eſt aſſumptum, ſcilicet, omnem potentiam interiorẽ, quæ percipit abſtractiuè ſuum obiectũ, neceſſariò illud priùs intuitiuè cognoſcere. Hoc vltimum antecedens patet, quia ſunt potentiæ naturales, & non impeditæ, cum pro toto illo priori tempore habeãt omnes conditiones ad cognoſcendũ intuitiuè requiſitas. Tertiò denique, & eſt ratio à priori, quia reſpectu ſenſus interioris ſentire intuitiuè, & ſentire abſtractiuè ſunt actus inadæquati, cum vterque verſetur circa ſuũ obiectum ſub ratione ſenſibilis, & iam ſæpè dictum eſt, potẽtias in eodem animali, neque ſpecificari, neque realiter diſtingui per actus inadęquatos, etiãſi prædicti actus inter ſe realiter, & ſpecificè diſtinguantur.

31 Secundum argumentum, quo ad idem probandum vſi ſunt aduerſarij, plura inuoluit, quæ ſigillatim petunt examinari; & ab vltimo incipiendo allucinatione laborare videtur, velle colligere, ſpecies intentionales ſenſuum internorũ requirere diuerſas, imò oppoſitas

tas

tas diſpoſitiones in organo ſenſus, tã ad hoc, quòd facilè, vel difficilè recipiantur, quàm ad hoc, quòd facilè, vel difficilè conſerventur, ab exemplo, ſeu ſimili rerum materialium, quæ ad facilè recipiendum, & difficilè conſervandum, & ècontra ad difficilè recipiendũ, & facilè conſervãdum impreſſiones, ſeu ſigillationes externas, requiruntur diuerſæ, imò oppoſitæ diſpoſitiones in ſubiectis. Nam ſi hoc contingit in impreſſionibus, ſeu ſigillationibus rerũ materialium, hoc prouenit, quia impreſſiones, ſeu ſigillationes materiales, & externæ contrarium habent, molitiem, ſcilicet; & duritiem; & conſequenter, ſi ſubiectũ eſt molle ratione ſuperantiæ humiditatis, facilè recipiuntur, & difficilè cõſervantur: ſi verò ſubiectum ſit durũ ratione ſuperantiæ ſiccitatis, difficilè recipiuntur, & facilè conſervantur: at ſpecies intentionales ſenſuũ internorũ, cum nullum habeant cõtrarium in organo ſenſus ad ſuam receptionẽ, & cõſervationem, nullam ex ſupradictis diſpoſitionibus in organo requirũt; & ſic exemplum non eſt ad rem.

32 Deindè in eodẽ argumento ſupponere videntur, diuerſam realiter eſſe potẽtiam, quæ recipit ſpecies intentionales, ab ea, quæ illas conſervat; & hinc inferunt diſtinctionem realem inter ſenſum communem, & phantaſiam, quia ſenſus cõmunis recipit ſpecies, & phantaſia cõſervat; quòd manifeſtè falſum eſt. Tum quia ſi hoc eſſet verum, ponendi eſſent in vno homine duo viſus, duo auditus, & duo intellectus, &c. vnus, qui reciperet ſpecies, & alius, qui eas cõſervaret. Tum etiã, quia ſpecies intentionales accidentia ſunt; & accidẽs in ſubiecto, in quo recipitur, conſervatur, donec pereat; nã ſi in vno ſubiecto reciperetur, & in alio cõſervaretur, idem numero accidens migraret à ſubiecto in ſubiectum; quod eſt abſurdum.

33 Demum in initio prædicti argumenti, vt manifeſtum ſupponunt, ſenſum cõmunem faciliùs recipere ſpecies intentionales ab obiectis ſenſatis per ſenſus exteriores, quàm phantaſiam; ècontra verò phantaſiã natura ſua faciliùs retinere prędictas ſpecies, quàm ſenſum cõmunem, quorum vtrumque, ſi benè perpẽdatur, falſum omninò eſt; nam in primis phãtaſiam ita facilè recipere ſpecies intentionales, ac ſenſum communem, ex eo patet, quòd in eodẽ inſtanti, in quo ſenſus cõmunis recipit ſpecies intentionales ab obiectis ſenſatis, etiam illas recipit phantaſia: ergo æquè facilè, ac ſenſus communis. Antecedens probatum eſt à priori num. 30. & nunc à poſteriori confirmatur; nam ſi in eodem inſtanti, in quo ſenſus cõmunis recipit ſpecies, phantaſia illas non recipit, ſanè trã-

ſacto

ſacto aliquo tempore illas recipiet; interim verò quid, quæſo, factum eſt in phantaſia ex quo magis diſpoſita euaſerit ad illas recipiendas, quam antea? Nihil certè poteſt aſsignari, neque agens, à quo producta ſit prędicta diſpoſitio, vel ablatum impedimentum. Deinde ex eo, quòd experimur, ceſſante præſentia reali obiecti in ſenſibus exterioribus, euaneſcere ſpecies intentionales, quibus ſenſus communis cognoſcebat prædictum obiectũ; non tamen euaneſcere ſpecies, quibus phantaſia illud cognoſcit, quod infertur, non eſt, quod aduerſarij contendũt, vt indè probent diſtinctionẽ realem inter ſenſum communẽ, & phantaſiam, nimirum, phãtaſiam natura ſua eſſe magis conſeruatiuam ſuarum ſpecierum, quàm ſenſum communẽ; ſed ſpecies, quæ attribuũtur ſenſui communi, eſſe intuitiuas; & cõſequẽter in ſuo eſſe, & cõſeruari eſſentialiter pẽdere à præſentia obiecti; ſecus verò quæ attribuuntur phantaſiæ, cũ hæc abſtractiuæ ſint; quod lõgè diuerſum eſt, nec requirens, neque arguens diſtinctionem realem inter ſenſum communẽ, & phantaſiam, vt de cognitionibus intuitiua, & abſtractiua eiuſdem obiecti ſupra oſtenſum eſt.

34 Ad fundamentum Galeni reſpondemus, ex eo, quòd aliquando ratione morbi impediatur ſenſus internus circa vnũ functionem, & non circa aliã, non rectè inferri, ſenſus internos eſſe diuerſos, & in diuerſis organis reſidere; ſed diuerſas eſſe diſpoſitiones, quæ ad exercendas diuerſas functiones in eodem organo eiuſdẽ numero ſenſus requiruntur; ex quibus diſpoſitionibus poteſt ratione morbi vna, vel altera lædi, alijs illæſis remanentibus.

QVÆSTIO III.

Quid ſit obiectũ, qui ſint actus, quid organum interioris ſenſus?

1 STatuimus quæſtione pręcedenti, tantùm eſſe vnicum ſenſum internum, qui ſecundum diuerſa in ſpecie munera, quæ exercet, diuerſis nominibus nuncupatur, ſcilicet, communis, phantaſia, imaginatiua, æſtimatiua, memoria, &c. & ſimiliter declarauimus ſingulorum numerum, naturã, ſeu eſſentiam; explicandum ſequitur, quid ſit obiectum huius ſenſus interni, & ſimiliter quos actus exercere poſsit: & demũ, quid ſit organum, in quo reſideat? quæ tria tribus ſectionibus explicabimus.

SECTIO I.

Explicatur, quid ſit obiectum ſenſus interni?

1 NOtum eſt apud omnes, diſcrimen, quod verſatur inter obiectum adæquatũ, &

Digitized by Google

& inadæquatum cuiuſcumque potentiæ cognoſcitiuæ; nam adæquatum appellant illã rationem communem, ſub qua, ſeu ratione cuius omnia, quæ per ſe cognoſcuntur à potentia, attinguntur, v. g. reſpectu viſus, qui non ſolùm percipit colores, ſed etiam lumen rationem motiui perſpicui; reſpectu auditus rationem ſoni, reſpectu olfactus rationem odoris, &c. obiecta verò inadæquata omnia illa, quæ etiamſi inter ſe cõparata diuerſæ ſint ſpeciei; tamẽ ratione obiecti adæquati, quod includunt, poſſunt per ſe terminare diuerſos actus in ſpecie illius potentiæ, cuius dicuntur obiecta inadæquata, v. g. reſpectu viſus color, & lumẽ, & inter colores album, nigrũ, &c. reſpectu auditus diuerſi in ſpecie ſoni; reſpectu olfactus diuerſi in ſpecie odores, &c.

3 Ad rem ergo; ſi de obiecto adæquato (quod eſt, à quo potentiæ ſpecificationem, & diſtinctionem ſumunt) ſermo ſit, dicendum eſt cum Scoto quæſtione 10. de anima, obiectum adæquatum ſenſus interni eſſe rationem ſenſibilis in cõmuni, & prout ſub ſe compræhendit omnia ſenſibilia ſcilicet, lumen, colores, ſonos, odores, ſapores, & omnes qualitates tangibiles: neque habet aliud nomen impoſitũ ſicuti neque obiectum adæquatũ tactus habet aliud nomen impoſitũ, quàm tangibile. Ratio eſt, quia illud eſt obiectum adæquatum alicuius potentiæ, per quod illa potentia eſſentialiter diſtinguitur ab alijs; ſed ſenſus internus (qui ſecundum Ariſtotelem, vt vidimus in litera cap. 3. eſt potentia medians inter ſenſus externos, & intellectũ) per rationem ſenſibilis in communi eſſentialiter diſtinguitur à ſenſibus externis; quia etiãſi ij verſentur circa ſenſibilia, ſed non ſub ratione ſenſibilis in communi; ſed ſub ratione alicuius ſenſibilis determinati, puta ſub ratione coloris, ſub ratione ſoni, ſub ratione odoris, &c. & ſimiliter diſtinguitur ab intellectu; quia etiamſi intellectus cognoſcat ſenſibilia; ſed non ſub ratione ſenſibilis, ſed ſub ratione intelligibilis: ergo ratio ſenſibilis in communi eſt obiectum totale, & adæquatũ ſenſus interni.

4 Si verò ſermo ſit de obiectis inadæquatis, conueniunt omnes, quidquid ſentitur per ſenſus externos, ſiue ſit ſenſibile proprium, ſiue ſenſibile cõmune, obijci etiam ſenſui interno, eſſeque obiectum inadæquatũ illius. Sed quia ſunt aliqua ſẽſibilia, quæ non ſentiuntur à ſenſibus externis, & ideò inſenſata dicuntur, vt ſunt ſenſationes, quibus ſenſus externi ſua munera exercent, & ſimiliter quædam affectiones, quæ reperiuntur in ipſis obiectis externis, vt ſunt rationes conuenientis, vel diſconuenien-

tis,vtilis,vel invtilis; ideò dubitari ſolet,an hæc obiecta nō ſenſata à ſenſibus externis, reverà ſentiātur à ſenſu interno; & conſequenter inter obiecta eius inadæquata numerari debeant?

5 Aliqui recentiores, inter quos eſt Hurt. diſp 17. de anima ſect. 8. pro viribus contendunt, nihil percipi per ſenſum internū, quod non fuerit priùs cognitum per ſenſus externos; ac per conſequens, vel non dari ſenſibilia inſenſata à ſenſibus externis, vel ſi dantur, vt cōmunis ſententia fert tam de ſenſationibus, quibus exteriores ſēſus ſua munera exercent, quàm de affectionibus conuenientis, vel diſconuenientis, vtilis, vel invtilis; huiuſmodi obiecta inſenſata ſolùm poſſe ab intellectu percipi.

6 Probant primò, quia intellectus non cognoſcit quidquā, niſi illud accipiat à ſenſibus externis: ergo multò minùs ſēſus internus poterit attingere quidquā, quod per ſenſus externos non fuerit ſenſatum, ſeu apprehenſum.

7 Secundò, quia ad cognoſcendū, aliquid eſſe cōueniens, vel diſconueniēs alicui, nō ſufficit extrema apprehēdere; ſed etiā eſt requiſitū, quòd fiat cōparatio inter illa; ſed ſenſus internus nō eſt cōparatiuus; hoc enim ad ſolùm intellectū ſpectat; ergo neque etiā erit potēs cognoſcere obiecta inſenſata conueniētis, vel diſcōueniētis.

8 Tertiò, quia vt ſenſus interior percipiat obiecta inſenſata, neceſſariò requirit ſpecies impreſſas, ipſa virtualiter repræſentantes (nulla enim potētia cognoſcitiua poteſt prorrumpere in cognitionē alicuius obiecti, niſi priùs recipiat ſpeciē impræſſam illius obiecti, quæ ſimul cū ipſa potentia concurrat ad talē cognitionē, vt duæ cauſæ partiales eſſentialiter ſubordinatæ; quia ab obiecto, & potentia, vt communè fert axioma, paritur notitia) ſed nulla eſt aſsignabilis cauſa, à qua producātur in ſenſu interno prædictæ ſpecies inſenſatæ: ergo non ſunt admittendæ; & conſequenter, quòd neque ſenſus internus percipiat obiecta inſenſata.

9 Sed vera, & communis ſententia, tam inter antiquos, quā inter recentiores tenet cum D. Thoma 1. part. quæſt. 78. art. 4. Scoto in 4. diſtinct. 45. quæſt. 3. ſupra dicta obiecta, inſenſata, etiam a ſenſu interiori percipi; & conſequenter eſſe inter eius obiecta inadæquata enumeranda.

10 Et ratio efficax eſt, quòd aliqua bruta animalia, in quibus non eſt intellectus, aliquas operationes exercent mota ab appetitu ſenſitiuo, atque adeò prævia cognitione ſenſus, quas non exercerent ex ſola apprehenſione obiecti per ſenſus externos, ſed benè ad eas indu-

Digitized by Google

inducuntur ex apprehenſione alicuius alterius affectionis latentis in obiecto, quæ non percipiebatur ſenſu externo; ſed percipitur ſolùm interno: ergo ſignum manifeſtum eſt, bruta animalia per ſenſum internum percipere, non ſolùm obiecta ſenſata ſenſibus externis; ſed etiam aliquas affectiones prædictorum obiectorum ita latentes, vt à ſenſibus exterioribus inſenſatæ maneant.

11 Antecedens (præter quã, quòd eſt ipſummet, quo vſus eſt Ariſtoteles cap. 2. hujus libri ad probandum dari in animalibus, præter quinque ſenſus externos, alium ſenſum internum) oſtendi poteſt inſtantijs manifeſtis, & quamuis plurimæ adduci poſſent, tres tantùm adducam.

12 Prima; ouis videt lupum, & fugit, fugit vtique ex impulſu appetitus ſenſitiui, & cõſequenter ex apprehenſione alicuius diſconuenientiæ, quã apprehendit in lupo; ſed hanc diſconuenientiam non apprehendit per viſum; viſus enim ad ſolum colorem, & ſenſibilia communia, vt ſunt figura, & magnitudo, &c. lupi terminari poteſt: ergo per alium ſenſum, ſcilicet, per internum, qui potens eſt percipere, non ſolùm obiecta ſenſata ab omnibus ſenſibus exterioribus; ſed etiam aliquas affectiones prædictorũ obiectorũ, ab ipſis ſenſibus externis non ſenſatas.

13 Secunda; hirundo colligit paleas, & lutum, vt quid vtile, & conueniens ad ædificandum nidũ, & ibi prolem procreandam, & hoc etiam ex impulſu appetitus ſenſitiui; & cõſequenter ex apprehenſione prædictæ vtilitatis, & conuenientiæ; ſed hanc vtilitatem, & conuenientiam non apprehendit per viſum, vt probatum eſt de diſconuenientia numero præcedenti; neque per tactum; quia per tactum ſolùm percipiuntur qualitates tangibiles, ex quarum numero non eſt prædicta vtilitas, ſeu cõuenientia: ergo per alium ſenſũ, nimirum, per ſenſum internum, qui potens eſt percipere, non ſolùm omnia obiecta ſenſata à ſenſibus externis; ſed etiã hanc, & ſimiles affectiones prædictorum obiectorum, ab ipſis ſenſibus externis non ſenſatas.

14 Nec quidquam præſtat id, quod aliqui reſpondent ad inſtantias iſtas, nimirum, ouem viſo lupo fugere, non quia apprehendat in illo aliquam diſconuenientiam, ſeu inimicitiam, ſed ex peculiari, quodam inſtinctu naturæ, ſeu antipathia innata ipſi oui, ratione cuius viſo lupo inclinatur ad fugã; ſimiliter hirundinẽ viſis paleis, & luto, colligere, illa ad fabricandum nidum; non quia apprehendat in hoc aliquã vtilitatem, ſeu cõuenientiã; ſed ex peculiari inſtinctu naturæ, ſeu ſym-

ſympathia, ipſi hirundini innaſa, ratione cuius illis viſis, inclinatur ad illa colligenda, ad fabricationem nidi. Nec mirum, inquiunt, hoc apparere debet, cum in rebus merè naturalibus experiamur, miras quaſdiam operationes fieri abſque vlla prorſus prævia cognitione; ſed ſolo inſtinctu naturæ, & quadam naturali ſympathia, vt attractiones, quib⁹ magnetes attrahũt ferrum ad reſpiciendũ polum, & aliæ ſimiles.

15 Hæ, inquam, reſponſiones nihil præſtant; nam appetitus, qui mouet ouem ad fugam lupi, & hirundinem ad colligendas paleas, & lutum ad fabricandum nidum, & ab aduerſarijs appellatur inſtinctus naturalis, ita natura ſua inſtructus eſt, vt nullatenus mouere poſſit animal, in quo reſidet, ad proſecutionem, niſi ex apprehenſione conuenientis; neque ad fugam, niſi ex apprehenſione diſconuenientis; & cũ iſtæ apprehenſiones nõ poſſint elici a sẽſibus exterioribus; quòd eliciantur ab aliquo ſenſu interiori, & excellentiori, neceſſarium erit. Exemplum autem mirabilium operationũ, quæ fiunt ab aliquibus rebus merè naturalibus, quo vtuntur aduerſarij ad facilitandam ſuam reſponſionem, non eſt ad rem; nam cum res merè naturales, ſeu non ſenſitiuæ, non moueantur ad illas operandũ ab appetitu ſenſitiuo, quia non eſt in eis; ſed ſolùm à virtute naturali, illis innata, ſed nobis occulta, quid mirum, quòd illas operentur, nulla prævia ſenſatione?

16 Nec magis præſtat id, quod reſpondent alij, videlicet, ouem, viſo lupo, apprehendere ſimul per ſenſum internum aliud obiectum, aptum quidem in genere ſuo ſentiri à ſenſu externo, ſed non tunc actu sẽſatum, nimirum, incurſionem morſus, dilaniationem, &c. & indè induci ad fugam. Nam eſto id ſimul excogitari poſſit ab oue, quando aliàs experta fuiſſet, vel vidiſſet talia opera in lupo; tamen etiam agnus, qui numquam talia vidit, ſtatim, ac videt lupum, mouetur ad fugam. Quod ſi agnus poſſit interiùs apprehendere talia, quæ adhuc extra non vidit, iam admittitur, ſenſu interno percipi poſſe obiecta, quæ ſenſu externo percepta non ſint: multò ergo magis præſtabit fateri, poſſe in obiecto externo viſo percipi à ſenſu interno aliquas affectiones, à ſenſu externo non viſas, nec ſenſatas, ſcilicet, rationes conuenientis, vel diſconuenientis, cum hæ per ſe, & neceſſariò requirantur ad mouẽdum appetitum.

17 Tertia, & vltima inſtantia fieri poteſt in priuationibus, quas negari non poteſt percipi per ordinẽ ad formã, cuius ſunt priuationes, actu poſitiuo ab ali-

Digitized by Google

aliqua potentia ſenſitiua; ſed priuationes omnium calculo non percipiuntur actu poſitiuo ab aliqua potentia ſenſitiua ex exterioribus: ergo admittendum eſt, quòd ſentiantur à potentia ſenſitiua interiori, & perfectiori; & conſequenter prædictam potentiam extendi, etiã ab obiecta ſenſibilia non ſenſata à ſenſibus exterioribus. Antecedens patet experientijs; in loco enim tenebroſo, & tempore nocturno exoritur in appetitu ſenſitiuo horror quidam, & timor ex apprehenſione vtique interna tenebrarum, & ſilentij. Item videmus, feras non inueniẽtes filios, magno dolore gemere, & eiulare, atque iraſci ex apprehenſione vtique poſitiua de tali obiecto priuatiuo. Certè enim moueri non poteſt appetitus ſenſitiuus ad tales effectus ex ſola negatione ſenſationis internæ; ſed fatendum omnino eſt, ex negatione ſenſationis externæ oriri cognitionem poſitiuam in ſenſu interno, qua apprehendatur deffectus, ſeu priuatio rei ablatæ, & hãc priuationem apprehenſam à feris mouere earum appetitum ad prorumpendum in ſupradictas operationes.

18 Pro ſolutione primæ rationis ex tribus adductis pro oppoſita ſententia (quæ ſi vim haberet, probaret vtique, obiecta non ſenſata, non ſolũ per ſenſum internũ, ſed neque per intellectum poſſe percipi) annotandum eſt, quòd ſicut ſenſibile proprium, & ſenſibile cõmune cõparata ad ſenſus externos, ita inter ſe ſe habent, quòd licet vtrumque ſit per ſe ab ipſis ſenſibile; tamẽ ſenſibile proprium eſt per ſe primò ſenſibile; ſenſibile verò commune eſt ſenſibile per ſe ſecũdò; & ideò implicationem involvit (vt ex Scoto oſtendimus 2. libr. diſp. 6. q. 3. à num. 10.) quòd ſenſus externus percipiat ſenſibile cõmune, quin ſimul, imò priùs natura percipiat ſenſibile propriũ: ita pariformiter dicendũ eſſe, loquendo de obiectis ſenſatis, & inſenſatis, ad ſenſum internum cõparatis, quòd etiamſi vtraque ſint ab ipſo per ſe perceptibilia; tamen obiecta ſenſata per ſe primò; inſenſata verò per ſe ſecundò; ideòque implicationẽ involvere, quòd obiecta inſenſata ſentiantur à ſenſu interiori, quin ſimul, imò natura priùs ſentiantur ſenſata obiecta, vt diſcurrenti per ſingula obiecta inſenſata erit manifeſtum: ſenſationes enim ſenſuum exteriorũ abſque implicatione ſentiri non poſſunt à ſenſu interiori (imò neque ab intellectu) niſi ſimul, & priùs natura, earum obiecta à prædicto ſenſu interiori ſentiantur. Item diſconuenientia, ſeu inimicitia, quæ eſt inter lupũ, & ouem, non à ſenſu interno ouis (imò neque ab intellectu noſtro) ſentiri poteſt, niſi ſimul; imò

imò priùs natura ipſe lupus, & ipſa ouis percipiantur: & demum priuationes, neq; à ſenſu interno, neque ab intellectu noſtro, percipi poſſunt, quin ſimul, imò priùs natura formæ, cuius ſunt priuationes, percipiantur.

19 Hoc notato, in forma ad primam rationem reſpondemus, illud Ariſtotelis axioma, *nihil eſt in intellectu* (& potiori ratione in ſenſu interiori) *quin prius fuerit in ſenſu exteriori*, ſolùm eſſe intelligendum de eo, quod per ſe primò percipitur, tam ab intellectu, quàm à ſenſu interiori, vt ſunt omnia obiecta ſenſata; non verò de his, quæ etiamſi per ſe percipiantur, tã ab intellectu, quàm à ſẽſu interiori, ſed non per ſe primò; ſed per ſe ſecundo, & omnino depẽdenter à ſimultanea cognitione, ſeu perceptione illius obiecti, quod per ſe primò percipitur, vt ſunt (ſicut oſtenſum eſt) omnes affectiones obiecti ſenſati, quas inſenſatas appellamus, *licet enim* (verba ſunt D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 4.) *intellectus operatio oriatur à ſenſu; tamen in re apprehenſa per ſenſum, intellectus multa cognoſcit, quæ ſenſus percipere non poteſt. Et ſimiliter æſtimatiua, licet inferiori modo* Hæc Diuus Thom. pulchrè ad rem.

20 Ad ſecundam rationem, vt reſpondeamus, nota, cognitionem comparatiuam eſſe in triplici differentia; nam vna dicitur diſcurſiua, eo quòd per ipſam vnũ inferimus ex alio, vt cum dicimus, *eſt homo; ergo eſt animal*. Alia dicitur compoſitiua, eo quòd ſine vlla nota illationis vnum affirmat de alio, vt cum dicimus, *homo eſt animal*. Et demum alia dicitur ſimplex, eo quòd non ſolùm ſine diſcurſu, ſed etiam ſine affirmatione, vel negatione, ſed ſimplici intuitu vnum reſpicit in ordine ad aliud, talis eſt cognitio, per quam reſultat vniuerſalitas in rebus, vt latè docuimus in Logica diſp. 2. de *vniuerſalibus*, quæſt. 3. & in vniuerſum cognitiones, quibus apprehendimus omnia relatiua, & cõnotatiua. Hoc notato facilè ad ſecundam rationem reſpondemus concedẽdo libenter, ad cognoſcendũ, ſeu percipiendum aliquid eſſe cõueniens, vel diſconueniens alicui, non ſufficere, extrema apprehendere, ſed etiam requiri, quòd fiat comparatio inter illa; ſed negamus, ſenſum internum non eſſe comparatiuum; licet enim non poſsit vnũ comparare ad aliud comparatione diſcurſiua, nec compoſitiua; hoc enim ſolùm ſpectat ad intellectum; tamen optimè poteſt vnum ad alterum cõparare comparatione ſimplici, vnum in ordine ad aliud apprehendendo; aliàs falſò docuiſſet Ariſtoteles cap. 2. huius libri, munus ſenſus communis eſſe, non ſolùm omnia obiecta exterio-

rum

Digitized by Google

rum ſenſuũ percipere; ſed etiã vnum ab alio diſtinguere.

21 Ad tertiam, & vltimã rationem reſpondemus admittendo libenter maiorem, ſed negando minorem, nimirum, nullam eſſe aſsignabilem cauſam, à qua producantur in ſenſu interiori ſpecies intentionales obiectorum, quæ non ſunt ſenſata à ſenſibus exterioribus. Et ſi inquiras, quæ ſit iſta cauſa? Sunt qui reſpondeant, cauſam effectiuam harum ſpecierum eſſe ipſummet ſenſum internum, qui in quãtum producit prædictas ſpecies, dicitur ſenſus agens, & in quantum illas in ſe recipit, dicitur ſenſus paſsibilis; non ſecus, ac intellectus, in quantum producit ſpecies intelligibiles obiectorum ſenſibilium, quæ relucent in phantaſia, dicitur intellectus agens, & in quantum illas in ſe recipit, dicitur intellectus paſsibilis, ſeu poſsibilis.

22 Sed hæc reſponſio nõ placet, & meritò reijcitur, non ſolùm ab aduerſarijs, ſed etiam à communi, & vera ſententia, quæ negat dari ſenſum agentẽ, ſicut datur intellectus agens. Et ratio diſcriminis eſt, quia cũ ſpecies intelligibiles ſpirituales eſſe debeant, ſicut ſpiritualis eſt potentia intellectiua, in qua recipiuntur, & quæ per ipſas operatur, & ideò non poſſint produci ab obiecto ſenſibili, quod relucet in phantaſia, quia materiale eſt, indigebunt vtique cauſa ſpirituali, à qua producantur, nimirum, intellectu agenti. At ſpecies ſenſibiles, etiam inſenſatæ, cũ ſint materiales, non ſecus, ac eſt materialis potentia ſenſitiua interna, in qua recipitur, & quæ per ipſas operatur, poterunt optimè ab obiecto inſenſato, quod virtualiter repræſentant, produci, non obſtante, quòd in linea entis materialis contineatur. Quare aliter reſpondendum eſt, nimirum, cauſam adæquatam, à qua effectiuè dimanant ſpecies ſenſibiles inſenſatæ, eſſe illa obiecta inſenſata, quæ virtualiter per ipſas repræſentantur, vt in vniuerſum de omnibus ſpeciebus ſenſibilibus impreſsis cum Scoto, & communi, & vera ſententia in 2. libro huius operis diſp. 5. quæſt. 5. oſtenſum eſt, ſcilicet, ſolùm, & adæquatè procedere ab obiectis, quorum ſunt virtuales repræſentationes.

23 Eſt autem maximè aduertendum (vt æquiuocationes, quæ circa iſtas ſpecies eſſe ſolent, auferamus) quòd ſicut ſupra num. 18. dictum eſt, obiecta tam ſenſata, quàm inſenſata, etſi ſint ſenſibilia per ſe à ſenſu interiori, ſed cum hoc diſcrimine, quòd obiecta ſenſata ſunt per ſe primò ſenſibilia à ſenſu interno; obiecta verò inſenſata per ſe ſecũdò, & ideò implicationẽ inuoluere, quòd ſenſibilia inſenſata cognoſcãtur

Digitized by Google

tur à ſenſu interno, quin ſimul, imò priùs natura cognoſcantur ab eo ſenſibilia ſenſata; ita conſequenter dicendum eſt de productione ſuarum ſpecierũ, nimirum, obiecta tam ſenſata, quàm inſenſata, etſi ſint (vnum quodque in ſua linea) cauſæ adæquatæ per ſe ſuarum ſpecierum productiuæ, ſed cũ hoc diſcrimine, quòd ſenſata ſunt productiua ſuarum ſpecierum per ſe primò; obiecta verò inſenſata per ſe ſecũdò: ideòque implicare obiecta inſẽſata producere ſpecies intẽtionales ſui, quin ſimul, imò priùs natura obiecta ſenſata (quorũ obiecta inſenſata, affectiones, ſeu modi ſunt) ſuas ſpecies intentionales producant. Et fortaſſe hanc tantùm ſubordinationem, ſeu dependentiã eſſentialem, quã habent obiecta inſenſata in ſua cognoſcibilitate, & productione ſpecierum ab obiectis ſenſatis ſignificare contendunt plures auctores, quando diſputantes de ſpeciebus intẽtionalibus, quibus obiecta inſenſata à ſenſu interno percipiuntur, affirmant cognoſci per ſpecies intentionales obiectorum ſenſatorum modificatas. Sed hic modus loquendi (vt in ſimili 2. huius operis diſput. 6. quæſt. 3. animaduerti loquendo de modo, quo ſenſibile commune immutat ſenſum externũ), valdè improprius eſt, & non vſurpandus. Nã propriè non denotat hanc eſſentialem ſubordinationem, ſeu dependentiam, quã habent obiecta inſenſata, tam in ſua cognitione, quàm in productione ſuarum ſpecierũ ab obiectis ſenſatis; ſed propriè, & in rigore denotat, per ſpecies, quibus percipiuntur obiecta ſenſata, percipi etiam obiecta inſenſata; quod falſum eſt, etiamſi addatur particula *modificatas*; nã ſpecies obiectorum ſenſatorum ſolùm virtualiter repræſentant obiecta ſenſata: ergo ad repræſentanda virtualiter obiecta inſenſata, aliæ ſpecies intentionales requirũtur, licet nõ diſtinctæ tanquam res à re ab ſpeciebus ſenſatis, ſaltem tanquam modus realis à re, cuius eſt modus; non ſecus, ac diſtinguuntur obiecta inſenſata, quarũ ſunt ſpecies, ab obiectis ſenſatis. Recolantur loco citato dicta.

SECTIO II.

Explicatur, quos actus exercere poſſit ſenſus internus?

24 PRæſens difficultas magis expoſtulat, vt ea, quæ in diſcurſu huius ſecundæ diſputationis varijs in locis tradita ſunt, in compendium redigamus, quàm quòd iterum ea examinemus. Dicendum igitur nobis eſt primò, etſi ſenſus interior in vno animali vnica tantùm numero, & realiter ſit potentia, vt quæſt. 2. ſtatuimus, nihilominus per plures actus inadæquatos ſpecie differentes plu-

Digitized by Google

plura munera,ſeu officia, etiã inadæquata, & in ſpecie diffe-rentia exercere, à quibus mu-neribus diuerſas denominatio-nes ſortitur,ſcilicet, ſenſus cõ-munis, phantaſiæ, imaginati-uæ,æſtimatiuæ, memoriæ,&c. quorum munerum,ſeu actuum eſſentias, ſeu naturas in initio prædictæ quæſtionis explicui-mus.

25 Dicendum eſt ſecũdò,ſen-ſum internum circa ſua obie-cta inadæquata poſſe exercere, tam actus intuitiuos,quàm ab-ſtractiuos; nã per actus,qui at-tribuuntur,tam ſenſui commu ni, quàm æſtimatiuæ,obiecta, vt realiter præſentia percipit; per actus verò, qui attribuun-tur,tam phantaſiæ, ſeu imagi-natiuæ quàm memoriæ,obie-cta percipit, quando realiter præſentia non ſunt; quod eſt diſcrimen, per quod actus in-tuitiui cuiuſcumque potentiæ cognoſcitiuæ ab actibus abſtra ctiuis diſcernuntur.

26 Dicendum eſt tertiò, ſen-ſum internum circa ſua obie-cta inadæquata exercere poſſe tam actus practicos, quàm ſpe-culatiuo; nam ouis per actum, qui attribuitur æſtimatiuæ, ap-prehendit lupum, vt quid ſibi diſconueniens,& fugit; & hi-rundo apprehendit paleas, & lutum, vt quid conueniens ad ædificandum nidum, & colli-git, quæ apprehenſiones pra-cticæ ſunt,cum dicent de diſ-cõueniẽtia,vel cõueniẽtia ob-iecti. Et ſimiliter aliqua bruta per actus,qui attribuũtur ſenſui cõmuni,& ſimiliter phantaſię, & memoriæ apprehẽdunt ſua obiecta abſque dictamine cõ-uenientiæ, vel diſconuenien-tiæ; quod proprium ſpeculati-uæ cognitionis eſt.

27 Dicendum eſt quartò,ſen-ſum internum non ſolùm cog-noſcere obiecta ſenſibilia ſim-plicia,ſed etiam illa poſſe cog-noſcere cõparatiuè vnũ ad a-liud,non diſcurrẽdo,inferẽdo, ſcilicet,vnum ex alio; neq; af-firmãdo, vel negãdo vnum de alio; hoc enim ſolùm compe-tere poteſt intellectui; ſed vt ſe-ctione præcedenti n. 20.dice-bamus, ſimplici comparatio-ne,vnũ in ordine ad aliud ap-prehendendo: ſic ſenſui inter-no,vt dicitur cõmunis,non ſo-lùm attribuit Ariſt. cognoſce-re omnia obiecta ſenſuum ex-teriorum; ſed etiam diſcernere inter illa, & per æſtimatiuam ſupra diximus, ouem non ſolũ cognoſcere lupũ, & ſe ipſam; ſed etiam lupum eſſe ipſi oui diſconuenientem; & hirundi-nem non ſolùm apprehendere paleas,& lutum, ſed etiam hæc eſſe cõuenientia ad conſtruẽ-dum nidum. Neque ex hoc in-feras,hæc animalia agere prop ter finẽ formaliter ſumptum; nam etiamſi agant propter finẽ apprehenſum, ſed non appre-henſum formaliter, & vt finis eſt; ſed ſolùm materialiter,qua ratione omnes admittunt,

ani-

Digitized by Google

animalia bruta agere propter finem, vt latè docuimus 2. lib. Phyſic. diſp. 5. q. 6.

28 Dicendum eſt quintò, ſenſum internum non ſolùm directè, ſed etiam reflexè cognoſcere, id eſt, non ſolùm percipere ſua obiecta, ſed etiam percipere actus, quibus ſua obiecta apprehendit per alium actum ab ipſis diſtinctum, qui ideò dicitur reflexus Ratio eſt, quia vt initio ſectionis præcedentis dictum eſt, obiectum adæquatum ſenſus interni, ſeu ratio, ſub qua in omnia ſua obiecta materialia, vt *quod* tendit, eſt ratio ſenſibilis in communi, & prout ſub ſe comprehendit omnia ſenſibilia, vt *quod*; ſed actus, quibus ſenſus internus directè percipit ſua obiecta, etiamſi reſpectu prædictorum obiectorum ſolùm ſint ſenſibiles, vt *quo* (ſunt enim rationes formales, à quibus animal ſentiens prædicta obiecta formaliter denominatur) tamen in ſe ipſis ſenſibiles, vt *quod* ſunt, vt experientia manifeſtat: ergo ſentiuntur, vt *quod* à ſenſu interno; ſed non per ſe ipſos, vt omnibus notum eſt; ergo per alium actum ab ipſis diſtinctũ, qui ideò reflexus appellatur.

29 De actibus verò, à quibus ſenſus internus habet, quòd denominetur memoria, graue dubium eſt, an huiuſmodi actus habeant omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt ab ipſis prædictus ſenſus verè, & propriè memoria nuncupetur? Quod dubiũ pro vtraque parte acutè expendit noſter Scotus in 4. diſt. 45 quæſt. 3. & pro ſolutione illius notat, actum recordationis, qui eſt actus memoriæ propriè, & ſtrictè dictæ ſic communiter deſcribi, *recordatio eſt cognitio alicuius actus præteriti, in quantum præteriti*.

30 Ex hac deſcriptione recordationis, ſeu actus memoriæ, propriè, & ſtrictè ſumptæ octo certa ſequuntur, inquit Scotus, quatuor ex eo, quòd dicitur in ea, *præteriti, in quantũ præteriti*; & alia quatuor ex eo, quòd in ea dicitur, *alicuius actus*, ex prioribus verbis. Primum certum, quod infertur eſt, quòd potentia recordatiua, ſeu memoria habet actum poſt tempus, alioquin recordatio, ſeu memoria nõ eſſet præteriti. Secundum, quòd debet reſpicere fluxum temporis inter illud inſtans, quo deſiuit eſſe actus, de quo recordatur, & inſtans, quo incipit eſſe perceptio, ſeu recordatio illius actus. Tertium, quod obiectũ recordationis, quando obijcitur recordationi, ſeu memoriæ non realiter exiſtat; aliàs non eſſet recordatio eius, vt præteriti. Quartum, quòd cum obiectum, cuius recordamur, debeat præcedere in memoria; & cùm non poſſit præcedere ſecundum ſuum eſſe reale, neceſſarium eſt, quòd præcedat ſecundum ſuum eſſe inten-

Digitized by Google

tentionale, id eſt, quòd ſpecies intētionalis impreſſa illius fœcundet ipſam memoriam.

31 Ex poſterioribus verbis, primum certum, quod infertur, eſt, actum recordationis habere duplex obiectum, vnum proximū, actū, ſcilicet, illū, cuius recordamur, & aliud remotum, obiectum, ſcilicet, prædicti actus, cuius recordamur. Secundum, quòd ſpecies intentionalis neceſſaria ad recordationem actus, qui dicitur obiectum proximum, impreſſa ſit in memoria, à prædicto actu, quando actualiter, & realiter erat præſens. Tertium, quòd nullus poteſt habere recordationem, ſeu memoriam, niſi de proprio actu, & hoc humano; quia per ſolum illum cognitum, vt obiectum proximū, cognoſcitur obiectum eius, vt obiectum remotum; non enim recordor, te ſediſſe, niſi quia recordor, te vidiſſe ſedentem. Quartum, cum non poſsit imprimi actus humani præteriti ſpecies in aliam potentiam, niſi in illam, cuius illæ actus eſt obiectum, neceſſariò ſequi, præteritum actum cognoſcendi eſſe obiectum potentiæ recordatiuæ, ſeu memoratiuæ.

32 His animaduerſis, ponit Scotus fundamentum ſententiæ negantis, dari in ſenſu interno actum habentem omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt ab illis poſsit denominari memoria propriè, & in rigore. Primum; ad actum recordationis, ſeu memoriæ propriè dictæ non ſufficit, quod per ipſum percipiatur actus præteritus; ſed etiam requiritur, quòd percipiatur tempus, quod fluxit inter actum præteritum, & actū recordationis, quo illius recordamur; ſed ſenſus non poteſt percipere tempus: ergo neque elicere actum habentē omnes conditiones ad actum recordationis, ſeu memoriæ propriè dictæ requiſitas. Minor probatur, quia ex Ariſtotele 4. Phyſicorum, *Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius:* hoc autem percipi non poteſt ſine comparatione poſterioris ad prius; comparare autem vnum ad aliud proprium eſt cognitionis intellectiuæ, non ſenſitiuæ.

33 Neque obſtat, ſubdit Scotus, nos experiri in aliquibus brutis aliquos actus, qui videntur prudentiæ, vel prouidentię, vt patet in formica colligente grana ad eundem locum & tēpore determinato, ſcilicet, in æſtate; & ſimiliter actus vindicandi, vel quaſi iuſtitiæ diſtributiuæ, puta obſequendi benè facientibus, & puniendi offendentes, quæ fieri videtur non poſſe ſine cognitione prę teriti, vt præteriti. Item actus pertinentes ad conſeruationē ſpeciei, vt nidificare, & nutrire pullos, quæ etiam videtur non poſſe fieri ab auibus abſque cognitione præteriti, vt præteri-

Digitized by Google

ritis. Demum experimur aliqua animalia eſſe diſciplinabilia, vt vult Philoſophus libro *de memoria, & reminiſcentia, & de ſenſu, & ſenſato*, quod eſſe non poteſt ſine memoria præteriti, vt præteritum eſt.

34 Hæc, inquam, inquit Scotus, non obſtant, quia omnes iſti actus brutorum ſaluari poſſunt abſque cognitione præteriti, in quantum præteritum eſt, ſine cognitione tẽporis, quod fluxit inter actus, quorum reminiſcuntur, & actus reminiſcentiæ, ſeu memoriæ ſolùm per apprehenſionem actuum præteritorum virtute ſpecierũ, quas in ſe retinet ſenſus internus, in quantum vt delectabiles, vel triſtabiles, conuenientes, vel diſconuenientes ipſorum naturis repræſentantur; quod inductione facta per omnes ſupradictos actus, etſi longo ſermone, mirificè probat Scotus; legatur ibi.

35 Secundum fundamentũ, quod pro iſta ſententia negatiua adducit Scotus, deſumptum eſt ex eo, quòd ad ſenſationem ſenſus interni neceſſarium eſt, quòd eius obiectum ſit ſenſibile; nam, vt in principio ſectionis præcedẽtis dicebamus obiectu adæquatũ ſenſus interni eſt ſenſibile in cõmuni, & nulla potentia poteſt percipere id, quod ſub eius obiecto adæquato non continetur: vndè Philoſophus, vt concedat, viſionẽ aliquo modo eſſe perceptam à viſu, dicit, illam eſſe aliquo modo coloratam; ſed ſenſatio illa, cuius eſt recordatio, nõ eſt ſenſibilis; aliàs ab aliquo ex quinque ſenſibus exterioribus ſentiretur; quod non contingit, quia nullus ex quinque ſenſibus externis eſt reflexiuus ſuper ſuam ſenſationem: ergo ſenſatio illa, cuius eſt recordatio, neque poterit immittere ſpeciem ſui in ſenſum internũ; neque ſenſus internus illam poterit percipere; ſed hoc munus ſolùm ſpectabit ad intellectum.

36 His tamen non obſtantibus, reſoluit Scotus, tenendum eſſe cum Ariſtotele in libello de memoria, & reminiſcentia, dari memoriam propriè ſumptam in parte ſenſitiua; & conſequenter actus ſenſus interni, à quibus habet, quòd denominetur memoria, habere omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt ab ipſis prædictus ſenſus internus verè, & propriè memoria ſenſitiua nuncupetur; quæ aſſertio non meliùs probat Scotus, nec à nobis probari poteſt, quàm ſatisfaciendo ijs, quæ adducta ſunt in contrarium, imò illa ad oppoſitum deducendo.

37 Ad primum, conceſſa maiori, negamus minorem: eſt enim non ſolùm falſum id, quod aſſumitur in ea, ſcilicet, ſenſum non poſſe percipere tempus; ſed etiam expreſsè cõtra Ariſtotelem, qui citato libello de memoria affirmat, quòd

quòd principio ſenſitiuo, quo percipimus magnitudinem, percipimus & tempus; & rectè quidem, nam cum tempus ſit quædam ſpecies quãtitatis, inter magnitudines debet enumerari. Nec obſtat, quòd ſit quid ſucceſsiuum, quia motus eſt ſucceſsiuus; & tamen eſt per ſe ſenſibilis: Neque etiam obſtat, quòd dicatur numerus, quia etiã numerus eſt per ſe sẽſibilis, vt cum Ariſt. docuimus 2. lib. huius operis diſp. 6. q. 1. tam de motu, quàm de numero Nec denique obſtat, quòd partes priores, & poſteriores, quas includit tempus, habeant cognoſci per cognitionẽ cõparatiuam; nam ſenſum internum poſſe cognoſcere ſimplicia, vnum ad aliud comparando, non diſcurrendo, & inferẽdo vnum ex alio, neque affirmando, vel negando vnum de alio; ſed ſimplici comparatione vnum in ordine ad aliud apprehendendo, docuimus ſupra num. 27. & latiùs ſectione præcedenti num. 20.

38 Et quamuis actus prudentiæ, ſeu prouidentiæ formicæ ſit actus vindictæ, vel quaſi iuſtitiæ diſtributiuæ, vt ſunt obſequendi benefacientibus, & puniendi offendentes, & actus pertinentes ad conſeruationẽ ſpeciei, vt nidificare, & nutrire pullos, &c. quos experimur in brutis (& eſt præcipuũ fundamentũ, quo nixus eſt Ariſtot. & nos etiã cum cõmuni ſententia nitimur ad affirmandũ, vt affirmamus, dari in brutis, & cõſequenter in potentia ſenſitiua interna actus recordationis habentes omnes conditiones requiſitas ad hoc, vt ab ipſis denominetur verè, & propriè memoria) ſaluari nõ probabiliter poſsint, non ponendo memoriã propriè dictã in eis, vt n. 34. ex Scoto dicebamus; nihilominus ipſemet Scotus affirmat ea, quæ videntur in eis melius ſaluari ponẽdo in eis cũ Ariſt. memoriam verè, & propriè dictam, præſertim cum ex nullo capite eis repugnare probetur.

39 Ad ſecundum fundamẽtum, conceſſa tota maiori, negamus minorẽ, ſcilicet, ſenſationẽ illam, cuius eſt recordatio, non eſſe ſenſibilẽ per ſenſum internũ; neque hoc rectè infertur ex eo, quod nõ eſt ſenſibilis ab aliquo ex quinq; ſenſibus exterioribus, non dari in obiectis ſenſuum externorum aliquas affectiones (inter quas eorum ſenſationes numerentur) quæ etiamſi non ſint ſenſibiles per ſenſus exteriores, neque ab ipſis percipiantur, quæ ideò dicuntur obiecta inſenſata; nihilominus à ſenſu interno, qui perfectior eſt, quàm externi, per ſe, & per proprias earum ſpecies percipiuntur, latè, & ex profeſſo cum D. Thom. Scoto, & communi ſententia docuimus ſect. præcedenti nu. 9.

Digitized by Google

SECTIO III.

Explicatur, quid ſit organum ſenſus interni?

40 ARiſtoteles citatus ab Scoto libro de *ſomno, & vigilia*, & à Suarez libro de *iuuentute* cap. 1. & 2. & ab Hurtado 3. de *partibus animaliũ*, expreſsè affirmare videtur, organum, in quo reſidet ſenſus internus, eſſe cor; quæ ſententia quatuor coniecturis ſuaderi ſolet; prima, quia cor appellatur *princeps*. Secunda, quia eſt proprium vitæ, & in ipſo generantur ſpiritus vitales, ex quibus quædam pars (vt in libro de gener. diſput. 4. quæſt. 1. dicebamus) per arterias toto corpore diffunditur, & altera per anfractus, & fluxuoſam ambagem ſurſum viam capeſsit, & tandem in cerebri ventriculos euadit, vbi virtute cerebri magis attenuantur, & fiunt ſpiritus animales, qui ad omnes functiones ſenſuum neceſſarij ſunt. Tertia, quia cor tenet mediã ſedem in corpore animalis. Quarta, quia homines inſenſati vocantur *excordes*, atque *vecordes*.

41 Hoc placitum Ariſtotelis acriter pungit Galenus toto opere de *placitis Hippocratis, & Platonis*; nam 1. libro cap 3. ait, Ariſtotelem in hoc cæcutiuiſſe, & ad cæcos fuiſſe loquutum ex ignorantia anatomiæ, & cap. 6. dedecere Ariſtotelem, quæ dicit de principatu cordis. Vnde libr. 3. cap. 8. docet cum Hippocrate, organũ, in quo reſidet ſenſus internus eſſe cerebrum, eſtque communis, & recepta ſententia, quam non ſolùm amplectitur Scotus quæſt. 10. de anima; ſed etiam rationibus deſumptis ab experientia demonſtrat, quas infra adducemus.

42 Verum eſt, pium Scotũ, (ſic meritò denominari poteſt; numquam enim verbis inordinatis aduerſarios pungit, & antiquorum Philoſophorum placità ambigua, quãtũ fas eſt, ſemper in debitũ ſenſum explicare conatur, vt intuenti eius ſcripta manifeſtè cõſtabit) has ſupradictas ſententias conciliare; affirmat enim, organum ſenſus cõmunis, ſeu interni ab alio habere ortum, & ab alio complementũ; nam ortum habet à corde; ſicut & omnia alia organa ſenſuum particulariũ; ſed complementum habet in cerebro. Imaginãdum eſt (inquit Scotus) quòd a corde ad cerebrum procedunt quidam nervi (hoc deſumpſit ex Ariſtotele de hiſtoria animalium capit. 5.) in quibus originaliter continentur organa omnium ſenſuum, ſed in cerebro faciunt conum; à cerebro autem procedunt nervi ad organa externorum ſenſuum, facientes baſim, & ſic organum ſenſus communis, ſeu

ſeu interni habet ortum à corde, ſed in cerebro habet ſuum complementum. Hæc doctrina Scoti in ſe expectata, optima eſt, nec ab vllo inficiari poteſt: an verò per ipſam reconciliari poſsit Ariſtoteles cum Galeno, non declarat Scotus, nec declarare potuit; nam Ariſtoteles locis citatis, cùm docet, organum ſenſus interni eſſe cor, non loquitur de organo radicali, & incompleto, ſed de organo formali, & completo.

43 Quòd autem organũ cõpletum, & perfectum, in quo reſidet ſenſus, non ſit cor, ſed potius cerebrum, vt ſuſtinet Scotus, & communis, & vera ſententia cum Galeno, Hippocrate, & alijs; probatur primò duabus experientijs, quas ad hoc probandum adducit Scotus: prima, quia homo exiſtens in naui mota, iudicat res exteriores moueri, quæ revera ſunt immobiles; ſed hoc non iudicat per ſenſus exteriores, neque per motum cordis, ſed per motum capitis: ergo ſenſus internus, qui hoc iudicat in capite eſt. Secunda; homines ex ſtudio excellenti, in quo vires ſenſitiuæ exteriores multũ laborant, dolẽt capite, nõ corde: ergo ſignum euidens eſt, quòd vires ſenſitiuæ internæ non reſident in corde, ſed in capite.

44 Secundò probatur alijs experientijs: læſa phantaſia, medicamenta non applicantur cordi, ſed capiti, vt docet Galenus lib. 3. *de locis patiẽtibus*, cap. 4. ergo quia phantaſia nõ in corde, ſed in capite reſidet. Item læſo cerebro, animal priuatur ſenſu, & motu, vt in laborantibus appoplexia cernimus, nõ alia ratione, niſi quòd ſpiritus ſenſitiui, ſeu animales, & conſequenter ſenſus internus, ſeu communis, qui eos communicat ſenſibus externis, in ipſo cerebro reſident, & procreantur.

45 Vltimò probatur ex anatomica arte, quæ docet, ex oculis, ex auribus, & naribus, &c. tendere ad cerebrum neruos, quos ſenſorios appellamus, per quos vehuntur ſpecies impreſſæ, qui nerui non pertingunt ad cor, ſed ipſo in cerebro ſiſtunt: ergo ſpecies non deſeruiunt alicui potentiæ ſenſitiuæ internæ, exiſtenti in corde, ſed exiſtenti in cerebro, tanquam in organo proprio.

46 Coniecturæ autem, quibus ſuaderi ſolet ſententia Ariſtotelis, parui ſunt momẽti. Ad primam dicimus, cor appellari princeps, non quia in eo ſenſus internus reſideat; ſed quia eſt principium vitæ, & in eo ſpiritus vitales, qui fluentes nominantur, generantur, & inde ad cæteras partes corporis deriuantur. Ad ſecundam, probare optimè id, quod ex Scoto num. 42. dicebamus, ſcilicet, organum ſenſus interni habere ortum à corde, ſicuti & organa omniũ aliorum ſenſum par-

Digitized by Google

particularium; ſed in cerebro habere ſuum complementũ; & conſequenter ſenſum internũ, non in corde, ſed potiùs in cerebro collocari debere. Ad tertiam reſpondet Galenus, eſſe ridiculam ad intẽtum; quia etiam aliç partes ſunt in eadem regione; & tamen propter hoc nullus eis attribuit, quòd ſint organum ſenſus interni. Quibus addit, cerebrum tenere ſupremum, & regium locum, ſcilicet, arcis cacumina, ſicut cœli in mundo. Quartam etiã leuiſſima eſt, nam non eſt deſumpta ex natura rerum; ſed ex vulgaribus modis loquendi, qui internos affectus modò cordi, modo cerebro adſcribunt; imò ſi hinc liceret deſumi argumentum, fortius deſumi poſſe pro noſtra ſententia; nam vulgò amentes vocantur *ſine cerebro*, & homines chymericos dicimus *fingere ex ſuo cerebro*; tenaces verò conſiliorum vocamus *capitoſos*, & ſemiinſenſati dicuntur *non calce, ſed capite laborare*.

47 Sed inquiret aliquis; eſto ſenſus internus nõ ſit in corde, tanquã in organo, ſed in cerebro; in quanam parte cerebri tanquã in organo reſidet? Et ratio dubitandi eſſe poteſt; quia præter illam medullã, quæ appellatur cerebrũ (& abſque cõtrouerſia informatur anima; quia etiã ſi ſit mollis, & humida; nõ tamen eſt fluida, nec diſcontinua ab alijs partibus animalis; ſicut ſunt ſanguis, & alij humores, & ſimiliter ſpiritus tã vitales, quàm animales; ſed potius quid permanens in eodẽ loco, & ſitu) cõmuniter Anatomici in ipſa medulla, quæ appellatur cerebrũ, aſsignant tres cauitates, ſeu ſinus, primum in parte anteriori, ſecundũ in parte media, & tertiũ in poſteriori, qui deſeruiũt, tũ ad recipiẽdos ſpiritus vitales, qui aſcendũt ex corde, vt ibi virtute cerebri contẽperentur, fiãtque ſpiritus ſenſitiui, & animales, deſeruiẽtes ad omnẽ ſenſum, & motum ex cerebro depẽdentem; tum etiam ad ſuſcipienda, ac ſubinde emittenda excremẽta quædam cerebri, vt annotauit Fernelius libro *de partibus corporis*, cap. 9. & ſic dubitari poteſt, an ſenſus interni organum ſit ipſa medulla cerebri, an illæ cauitates, ſeu ſinus?

48 Auctores, qui (vt quæſt. 2. huius diſputationis numer. 18. vidimus) cum Galeno ſuſtinebant, dari tres ſenſus internos, realiter inter ſe diſtinctos, ſcilicet, *ſenſum communem* (quem à phantaſia, & imaginatiua non diſtinguebant) *æſtimatiuam*, & *memoriam*, dum de organo iſtorum trium ſenſuum loquuntur, affirmant, ſenſum communem in anteriori cauitate, ſeu ſinu, tanquam in proprio organo reſidere; æſtimatiuam verò in cauitate media; memoriam denique in poſteriori: imò ex diſtinctione reali iſto-

Iſtorum organorum,in quibus ſupradicti ſenſus interni reſidebant, diſtinctionem realem, etiam inter ipſos ſenſus internos inferebant.

49 Sed in primis auctores iſti, quoad hanc aſsignationẽ cõtrarij ſunt ipſi Galeno, quem ſequuntur. Nam Galenus 8. *de vſu partium* cap. 6. aliter vult diſpoſitas eſſe illas cauitates, ſeu ſinus; nam in anteriori parte duas cauitates, ſeu ſinus collocat; in poſteriori vnam, & communem meatum, qui cauitas media dicitur; & ſimiliter vſum earum aliter exponit; duas enim anteriores ait, eſſe organũ olfactus (quod lib. 2. huius operis diſp. 9. quæſt. 3. reiecimus) addit verò deſervire etiam, vt in eis elaborentur ſpiritus animales ad ſentiẽdum requiſiti: per inter mediam autem cauitatem exiſtimat fieri tranſitum horũ ſpirituum, & in vltima cauitate vigere vim ſenſitiuam.

50 Deindè cũ ſupradictæ cauitates ſolũ ſint plenæ, vel vaporibus, vel cerebri excremẽtis, vel quod pręſertim contingit, ſpiritibus animalibus, & nullũ ex his corporibus poſsit eſſe organũ ſenſus interni, prorſus ſine fundamento aſſeritur, ſenſum, vel ſenſus internos in his cauitatibus, tanquã in organis reſidere. Aſſumptũ, quoad ſpiritus animales, de quibus ſolũ eſſe poterat difficultas, probatur; nã ſpiritus animales non ſunt animati, cũ non informẽtur anima, vt ſupponimus ex dictis 2. lib. huius operis diſp. 2. q. 6. ſect. 2. nec ſunt firmi, & permanentes in eodẽ loco, ſed fluxibiles, & aſsiduè mutabiles: cõſtat autẽ, organa ſenſuũ, tam internorũ, quã externorũ debere eſſe animata, & firma, & permanẽtia in eodem loco, ſicuti ſunt ipſi ſenſus. Quibus accedit, ſententiam iſtã ſupponere doctrinam à nobis refutatam, de pluralitate, & diſtinctione reali ſenſuum interiorũ.

51 Dicendum eſt ergo nobis cum Scoto quæſt. 10. de anima num. 3. quòd ſicut ſenſus internus, etiãſi plura, & diuerſa munera exerceat, vnicus tantũ realiter eſt in vnoquoque animali; ita eius organum vnicũ tantũ realiter, & vnitate naturæ eſſe debere, non quidem ſimplicis, ſed miſtæ, & quaſi mediæ inter naturas aliorum organorum ſenſuum exteriorum. Sicut enim ſenſus communis, ſeu internus ab Ariſtotele cõparatur ad externos, ſicut punctũ cẽtri ad lineas quæ ab ipſo procedunt; ſic & organũ ſenſus cõmunis, ſeu interni (præſertim in noſtra, & Scoti ſententia, quæ non diſtinguit realiter, ſed ſolùm formaliter ſenſum ab organo eius) comparari debet ad organa externorum ſenſuum, ſicut punctum centri ad lineas ab ipſo procedentes verſus circumferentiam, vel ad ipſum terminatas,

& quaſi radix communis organorum particularium ſenſuum externorum. Hoc autem organum dicimus, non eſſe aliquam ex cauitatibus, ſeu ſinibus enumeratis; ſed ipſam medullam cerebri; quæ ſicut habet partes extenſas, & diffuſas, non diſcretas, ſed continuas; ita & organum ſenſus interni, & conſequēter ipſum ſenſum internum habere partes extenſas, & diffuſas per totam medullam, non diſcretas, ſed continuas, facientes vnum numero organum, & vnum numero ſenſum internum.

52 Hoc aſſertum, quod communiter receptū eſt apud auctores, probari poteſt à ſufficiēti partium enumeratione; nam organum ſenſus interni non eſt cor, ſed cerebrum, vt contra Ariſtotelem oſtenſum eſt. Rurſus non conſiſtit in cauitatibus illis, quæ ſunt in cerebro, vt etiam probatum manet: ergo, quod conſiſtat in ipſa medulla cerebri, erit neceſſarium: quod enim aliqui auſi ſunt affirmare, organum iſtud non in medulla cerebri; ſed in membranis, quibus tegitur, & euolvitur hæc medulla, conſiſtere, eo quòd cōſtat, in illis vigere ſenſum tactus, non autem in medulla, friuolum eſt. Nam, vt teſtatur Galenus libro 7. *de decretis Hippocratis, & Platonis* cap. 3. inciſis membranis cerebri nullum detrimentum fit in ſentiendo; ſed maximum, ſi lædatur ipſa medulla: imò hinc colligit, ſi cerebrum penitus nudaretur ijs membranis, non per hoc admittēdum fore ſenſum, eiuſque vſum, niſi in quātum deinceps cerebrum ijs tegumentis, & præſidijs deſtitutum, ab externis cauſis alteraretur. Nec refert, quòd in prædictis membranis viget ſenſus tactus, & non in medulla; imò hoc potiùs confirmat noſtrum intentum; nam ſi (vt ex Scoto numero præcedenti dicebamus) natura organi ſenſus interni debet eſſe miſta ex naturis organorum ſenſuum exteriorum, & quaſi media inter illas, & ex alia parte conſtet, miſcibilia, etſi maneant in miſto virtualiter, & eminenter; nullum tamen manere actu, & formaliter; manifeſtè ex his infertur, etſi in natura organi ſenſus interni maneant virtualiter, & eminenter omnes naturę organorum ſenſuum externorum; nullam tamen poſſe actu, & formaliter manere, & conſequenter nullum ex ſenſibus externis.

53 Eſt autem aduertendum, quòd ſicut libro 2. huius operis diſput. 4. quæſt. 2. num. 21. loquendo de potentia nutritiua diximus, quòd etiamſi in quolibet viuenti ſit vna tantùm numero, & realiter potentia, diffuſa tamen, & extenſa per omnes partes illius; nihilominus in diuerſis partibus viuentis, per quas extenditur, ratione diuer-

ſarum

Digitized by Google

ſarum diſpoſitionum, quæ ſunt in illis, diuerſa munera exercere; nam pars potentiæ nutritiuæ, quæ eſt in carne, conuertit alimentum in carnem, & quæ eſt in mamillis in lac, & quæ eſt in parte ad generationem deſeruiente cõuertit reſiduum alimenti in ſemen: ita loquendo de ſenſu interno, ſicut nunc loquimur, dicendum ſimiliter eſt, quòd etiamſi in quolibet animale ſit vnica tantùm numero, & realiter potentia, diffuſa tamen, & extenſa per totam medullam cerebri; nihilominus in diuerſis partibus prædictę medullæ, per quas extenditur, ratione diuerſarum diſpoſitionum, diuerſa munera exercere; nam in parte prima, ſeu anteriori cerebri, quæ magis humida eſt, exercet illa munera, à quibus ſenſus communis, phantaſia, & imaginatiua nominatur; in ſecunda parte, ſeu media cerebri, quæ minùs humida eſt, exercet munus, à quo denominatur æſtimatiua; & demum in vltima, ſeu poſteriori parte cerebri, quæ magis ſicca eſt, exercet munus, à quo memoriæ nomen ſortitur; & in hoc ſenſu, ni fallor explicari poteſt Galenus, & ad noſtram reduci ſententiam.

DISPVTATIO TERTIA.

De natura, atque officio intellectus agentis.

ABſolvimus tractationem de potentijs animæ ſenſitiuæ; agendum ſequitur de potentijs animæ intellectiuæ, Ariſtotelem imitantes, qui abſoluta tractatione de potentijs animæ ſenſitiuæ, à cap. 4. huius libri incipit agere de intellectu, qui eſt quædam potentia animæ rationalis, & à qua intellectiua nuncupatur. Et quamvis Ariſtoteles priùs agat de intellectu poſsibili, quàm de agente; nihilominus, quia operatio intellectus agentis eſt prior natura operationibus intellectus poſſibilis; ideò claritatis gratia priùs nos de intellectu agenti, quàm de intellectu poſsibili ſermonem inſtituimus. Tria autem ſunt, quæ in hac diſputatione de intellectu agenti veniunt examinanda; primum, *an detur intellectus agens? Etſi datur, an intra animam reſideat?* Secundum, *quo pacto intellectus agens à poſsibili diſcernatur?* Tertium, *quæ ſint munia intellectus agentis?*

QVÆSTIO PRIMA.

An detur intellectus agens, etſi datur, an intra animam reſideat?

1 NOmine intellectus agentis omnes intelligunt facultatẽ quandam effectiuã ſpecierum intentionalium obiectorum exiſtẽtium, ſeu relucentium in phantaſia, in potẽtia intellectiua, quibus ſpeciebus potẽtia intellectiua, quæ ex ſe, eſt tanquam tabula raſa, fæcũdetur, & conſtituatur in actu primo potẽs elicere cognitiones prædictorum obiectorũ: & de iſta facultate in præſenti inquirimus, an re vera detur, etſi datur, an ſit intra animam; an verò extra animam exiſtat?

2 Durandus, qui vt vidimus 2. libro huius operis diſput. 5. quæſt. 1. negauit, ad cognoſcendum requiri ſpecies impreſſas; conſequenter in 1. diſt. 3. quæſt. 5. negauit, dari intellectum agentem ad illas producendas. Sed quàm falſum ſit, non dari ſpecies intentionales impreſſas ad cognitionem, tam intellectiuam, quàm ſenſitiuam requiſitas ex profeſſo oſtendimus ex Ariſtotele, Scoto, D. Thoma, & alijs diſp. citata, non ſolùm contra ipſum Durandum, ſed etiam cõtra plures alios.

3 Addit tamen Durandus (& quo ad hoc eſt eius ſentẽtia ſingularis) adhuc admiſſo, quòd ad intelligendum eſſent prædictæ ſpecies intentionales requiſitæ, ſuperfluè poni intellectum agentem, tanquam potentiã animæ ad illas producẽdas neceſſariam; quia ad ipſas producẽdas ſufficeret ipſa anima ſimul cũ phãtaſia: aſſumptum probat Durandus longo ſermone rationũ, quæ ad compendium redactæ tales ſunt.

4 Prima, quia non poteſt intelligi, quomodo poſsit intellectus agens agere in phantaſmata ad productionẽ ſpecierũ intelligibiliũ; nam intellectus agens eſt quid ſpirituale; phantaſmata autem ſunt quid materiale, & agẽs creatum ſpirituale non poteſt agere in ſubiectum materiale. Secunda, quia ſi intellectus agens produceret ſpecies intelligibiles in intellectu poſsibili, eſſet præſtantior illo; nam omne agens pręſtantius, & nobilius eſt patiente. Tertia, quia Angelus nõ minùs eſt ſubſtantia intelligens, quàm anima rationalis, nec minùs indiget ſpeciebus; & tamen non habet intellectum agen-

agentem. Quarta, quia ſenſus externi indigent ad ſuas ſenſationes ſpeciebus impreſsis ſuorum obiectorum; & tamen ad ipſarum productionem nō requiritur ſenſus agens, non obſtante, quòd prædictæ ſpecies ſint magis immateriales, quàm earum obiecta.

5 Philoſophi illi antiqui, qui contra Democritum ſuſtinuerunt, intellectum eſſe virtutem ſpiritualem, & immaterialem ab omni ſenſu diſtinctam, & conſequenter ad intelligendum indigere ſpeciebus impreſsis ſpiritualibus, ab ſpeciebus impreſsis ſenſuum, quæ materiales ſunt, omninò diſtinctis, optimè admittebant, dari intellectum agentem, id eſt, virtutem aliquam, à qua prædictæ ſpecies in intellectu producerentur; nam cum ſpirituales ſint, rectè inferebant, non poſſe ab obiecto materiali, relucenti in phātaſia produci; aliàs effectus eſſet præſtantior ſua cauſa. Hanc autem virtutem, ſeu intellectum agentem affirmabant, non eſſe aliquid inſitum ipſi animæ noſtræ, ſed aliquid ab ipſa ſeparatū. Et quamuis in hoc omnes conueniebant, diſsidium fuit inter illos in explicando, quæ eſſet iſta virtus ſeparata, quam intellectum agentē appellabant: nam Alexander libro 1. de anima cap. de intellectu, affirmabat, eſſe primam cauſam, ſcilicet, Deum; Plato verò eſſe idèas ſeparatas, id eſt, quidditates rerum extra indiuidua, a quibus ſicut res accipiebāt formas entitatiuas ad eſſendum; ita & intelligibiles in intellectu ad repræſentandum. Auicena demum, eſſe quandam ſubſtantiam, ſeu intelligentiam, quam chalcodèam appellabat.

6 Id autem, in quo omnes iſti Philoſophi conueniebant, ſcilicet, hanc virtutem productiuam ſpecierum intelligibiliū, ſeu intellectum agentem non eſſe aliquid inſitum animæ noſtræ; ſed aliquid ab ipſa ſeparatum, fundari poteſt in ipſomet Ariſtotele, qui in iſto 3. libro videtur, intellectum agentem in aliquo ſeparato ab anima conſtituere; nam textu 19. loquendo de intellectu agente ait, *quòd eſt ſeparabilis, & immiſtus, paſsioneque vacat, cum ſit ſubſtantia actus*. Et textu 20. *Nam quandoque intelligit, quandoque non intelligit; ſeparatus verò, id eſt, ſolùm quod eſt, atque id ſolùm eſt immortale, &c. intellectus autem paſſibilis corrumpitur, ſine quo nihil intelligit anima.*

7 Sed vera ſententia duo affirmat, primum contra Durandum dari intellectum agentem, id eſt, virtutem ſpiritualem productiuam ſpecierum intelligibilium in intellectu poſsibili obiectorum materialium, relucentium in phantaſia. Secundum contra Philoſophos antiquos pro ſecunda ſententia relatos, hunc intellectū agētem non

Digitized by Google

non conſiſtere in aliqua virtute ab ipſa anima ſeparata; ſed in quadam potentia animæ, ipſi à principio ſuæ creationis inſita, & innata. Hæc eſt ſententia Ariſtotelis cap. 5. huius libri, vbi (vt vidimus in litera) non ſolùm aſſeruit, ad intellectionem requiri intellectum agentem; ſed etiam à priori demõſtrauit, quem omnes ſcholaſtici ſequuntur; Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 6. nu. 11. & in 2. diſt. 3. quæſt. 11. & in 4. diſt. 45. q. 2. n. 11. D. Tho. 1. p. q. 54. art. 4. & q. 79. art. 3. & lib. 2. contra gentes cap. 76. & de anima lect. 60. Alenſis 2. part. quæſt. 69. membro 2. &c.

8 Primum ex his aſſertis optimè demonſtrauit Ariſtoteles hìc cap. 5. citato; ſed vt vim, & efficaciam eius demonſtrationis aperiamus, duo ſupponenda ſunt tanquam certa; primum eſt, omnem potentiam cognoſcitiuam creatam, ſiue intellectiua, ſiue ſenſitiua ſit, ad cognoſcendum ſuum obiectũ indigere neceſſariò aliqua ſpecie intentionali prædicti obiecti in ipſam impreſſa, quæ ſimul cum ipſa potentia, vt duæ cauſæ partiales eſſẽtialiter ſubordinatæ concurrant ad elicitionem cognitionis prædicti obiecti. Hanc doctrinam cum Ariſtotele, Scoto noſtro, Diuo Tho. & communi ſententia firmiter ſtatuimus 2. libro huius operis diſp. 5. loquẽdo de ſpeciebus intentionalibus. Secundum eſt, animam noſtram in inſtanti, quo creatur à Deo, & vnitur corpori, etſi habeat intellectum; nullam tamen habere ſpeciẽ impreſſam alicuius obiecti; ſed ſicut Ariſtoteles docuit, eius intellectus eſt tanquã tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, & ſic intellectum eius, etſi ſit in potentia omnia intelligibilia, id eſt, potens recipere ſpecies intentionales omnium intelligibilium; actu vero nullum intelligibile eſſe; quia actu nullam ſpeciẽ impreſſam alicuius intelligibilis habet; & conſequenter, vt ab hac potentia ad actum tranſeat, aſsignandum eſt aliquod agens, à quo id præſtari poſsit, diſtinctũ ab ipſo obiecto relucenti in phantaſia; quia cum hoc obiectũ materiale ſit, & ſpecies intelligibilis ſit ſpiritualis, non poterit id præſtare, ſaltem, vt cauſa principalis, totalis, & adæquata.

9 His, vt certis præſuppoſitis, facilè erit intelligere vim, & efficacitatem demõſtrationis, qua vſus eſt Ariſtoteles ad probãdum à priori, dari intellectũ agentem aliquo modo diſtinctũ ab intellectu poſsibili, quæ demonſtratio talis eſt; in omni re, quæ non ſemper eſt in actu, ſed aliquando in potentia, & aliquando in actu, neceſſarium eſt ponere aliquid, per quod ſit in potẽtia, & aliquid, per quod reducatur ad actum: ſed anima rationalis, non eſt ſemper actu obiecta intelligibilia, id eſt, nõ

eſt

eſt ſemper actu informata ſpeciebus obiectorum intelligibilium; ſed aliquando in actu, & aliquando in potentia: ergo præter intellectum poſsibilem, per quem ſolum eſt in potentia obiectiua intelligibilia, id eſt, potens recipere ſpecies intelligibiles, aſsignandum eſt aliquod agens, à quo reducatur ad actum, id eſt, aliquis intellectus agens, per quem producantur ſpecies intelligibiles in ipſo intellectu poſsibili.

10 Secundum verò aſſertum, ſcilicet, intellectum agentem non conſiſtere in aliqua virtute ſeparata ab anima; ſed in quadam potentia animæ, ipſi à principio ſuæ creationis inſita, & innata; non ſecus, ac intellectus paſsibilis; probari poteſt primò ex Ariſtotele, qui cap. 5. citato, poſtquam docuit, in omni natura eſſe agens, & patiens; ſubdit textu 17. *neceſſe eſſe has eaſdem differentias in anima ineſſe*; ergo ſenſit, intellectū agentem, non extra animam, ſed in ipſa anima, non ſecus, ac intellectus poſsibilis, reſidere. Item ſi intellectus agens intelligentia aliqua foret, actu ſeparata eſſet: Ariſtoteles autem ſolùm dixit, intellectum agentem eſſe ſeparabilem: non ergo ſentit, eſſe aliquam intelligentiam. Neque obſtat, quòd illum etiā appellat ſeparatum, & immiſtum; nam cum illum ſeparatum, & immiſtum appellat, intelligit ſeparatum ab organo corporeo, cum ſentiat, eſſe potentiam ſpiritualem, ac minimè organicam: cum verò ait, eſſe ſeparabilem, intelligit omninò à corpore per ſeparationem animæ, cuius eſt potentia.

11 Neque loca Ariſtotelis numero 4. in contrarium adducta oppoſitum probant; nam verba illa primi loci, *cum ſit ſubſtantia actus*, vt optimè exponit D. Thom. his æquiualent, *cum ſecundum eſſentiam ſuam actus ſit, ſeu potentia actiua*, per quæ verba optimam rationem Ariſtoteles aſsignat illius, quod immediatè dixerat: ſcilicet, intellectum agētem paſsione vacare, nimirum, quia non concurrit ad intelligendum, vt potentia recipiens, ſed vt agens tantummodo.

12 Secundus locus non eſt ad rem; quia in eo non comparat Ariſtoteles intellectum agentem ad intellectum poſsibilē, ſed vtrumque intellectum ad phantaſiam; & cum dicit, *intellectum ſeparatum ſolùm eſſe immortale, perpetuum, &c.* de vtroque intellectu loquitur, qui cū ſint potentiæ animæ rationalis, ſicut ipſa ſeparatur à corpore, ita & iſti intellectus; & ſicut ipſa immortalis, & perpetua eſt, ita & intellectus, tam poſsibilis, quàm agens quid perpetuum, & immortale ſunt. Cum autem ſubdit, *Intellectus autem paſsibilis corrumpitur, ſine quo nihil intelligit anima*, per intellectum paſsibilem intelligit phā-

Digitized by Google

taſiam, quæ intellectus dicitur; quia intellectui miniſtrat, & non nihil rationis participat, dum rationi ſubditur, & ab ea dirigitur, vt idem Ariſtoteles obſervauit 2. Ethicorum cap. vltimo, & lib. 6. cap. 1. ſic exponit D. Tho. hunc locum, & conuenit cum eo Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 1. ad 3.

13 Secundò probatur ratione, qua ad idem probandum vſi ſunt, tam D. Thom. quàm Scotus locis citatis, & ſic efformari poteſt; anima rationalis ab intrinſeco eſt intellectiua; ergo ab intrinſeco habet omnia principia ad intelligendum requiſita, quorum vnum eſt, intellectus agens, cum ſit principium productivum ſpecierũ intelligibilium, ſine quibus intellectus poſsibilis intelligere non poteſt. Conſequentia probatur, ex illo principio in philoſophia manifeſto: *natura perfecta ab intrinſeco habet cuncta neceſſaria ad ſuas actiones exercendas*, quod principium, vt optimè animadvertit Suarez libro 4. de anima cap. 8. nullam inſtantiam habet in contrarium; nam illæ, quæ ab aliquibus adducuntur, ſcilicet, cælum indigere mouente ad ſuum motum, quod non intrinſecum, ſed extrinſecum ei eſt; & ſimiliter ſenſum indigere movente virtute, quæ tamen potentia animæ non eſt, ſed externum ſenſibile, non ſunt ad rem: cælum enim non indiget motu ad propriã actionem, & perfectionem; nam ſi indigeret, argumẽtum factum etiam concluderet, motum illius à virtute intrinſeca proficiſci. Senſus autem, cum ad eliciendam ſenſationem non requirant ſpecies intentionales ſpirituales, & excedentes virtutem ſui obiecti, non indigẽt aliqua virtute ſuperiori, à qua prædictæ ſpecies producantur, cum ad hoc ſufficiat virtus reſidens in ipſo obiecto, neque obiectum ipſum cẽſendum eſt extrinſecum agens, ſed potiùs maximè connaturale potentiæ cognoſcitiuæ: vndè ſi intellectus poſsibilis obiectum ſibi proportionatum ſortiretur, non egeret planè intellectu agente.

14 Solum reſtat, vt rationibus pro ſententia Durandi numero 4. adductis ſatisfaciamus. Ad primam dicimus, ad hoc, vt intellectus agens producat ſpecies intelligibiles obiectorum relucentium in phantaſia in intellectu poſsibili, nõ eſſe neceſſariũ, vt aliquid agat in phantaſmata; ſed ſufficere, quòd ſimul cum phantaſmatibus concurrat ad productionem prædictarum ſpecierum eo modo, quo in vltima quæſtione declarabimus.

15 Ad ſecundam reſpondemus, quòd ſi intellectus poſsibilis ſolùm cõſideretur, in quãtum recipit ſpecies intelligibiles productas ab intellectu agẽ-

ſe,

te, in qua conſideratione dicitur patiens, concludere optimè id, quod expreſsè docuit Ariſtoteles, ſcilicet, intellectum agentem eſſe perfectiorē intellectu poſsibili, ſeu paſſibili; verum quia intellectus poſsibilis non ſolùm recipit prædictas ſpecies; ſed etiam ſimul cum illis producit intellectionem, quæ actio perfectior eſt actione, qua intellectus agēs producit ſpecies; ideò abſolutè loquendo omnes concedunt, intellectum poſsibilē eſſe perfectiorem intellectu agenti.

16 Ad inſtantiam Angelorum in tertia ratione adductam reſpondent Thomiſtæ, non dari intellectum agentem in Angelis; dari tamen in hominibus; quia cum in ipſorum ſententia infuſæ fuerint Angelis in eorum creatione ſpecies intelligibiles vniuerſales in repræſentando, id eſt, repræſentantes, non ſolùm eſſentias rerum; ſed etiam earum indiuidua, in quocumque tempore exiſtentia, imò & eorum accidentia; non indigent Angeli intellectu agente ad prædictas ſpecies comparandas; at homines indigere in intellectu agēte ad prædictas ſpecies comparandas; quia non fuerunt ipſorum animis in inſtanti creationis, & vnionis ad corpus infuſæ; ſed diſcurſu temporis acquiruntur; quæ ſolùm ſtando in his Thomiſtarum principijs adæquatiſsima eſt.

17 Tamen, quia hæc principia Thomiſtarum non admittit noſter Scotus (ſuſtinet enim in 3. diſt. 14. quæſt. 3. & alibi ſæpè, & cum ipſo Scotiſtæ omnes, non ſolùm non dari ſpecies vniuerſales in repræſentando; quia ſpecies debent in hoc adæquari ſuis obiectis, & ſic ſpecies, qua repræſentatur eſſentia alicuius obiecti, non ſolùm non poſſe repræſentare eius accidentia; ſed neque indiuidua prædictæ eſſentiæ; ſed etiam ſuſtinet, ſpecies impreſſas, quæ requiruntur ad cognitionē intellectiuam, ſeu experimētalem alicuius obiecti ſingularis, non ſolùm in ſuo eſſe; ſed etiam in ſua conſervatione eſſentialiter pendere à reali, & actuali præſentia ſuorum obiectorum, non ſecus, ac pendent ipſæ intuitiuæ, & experimētales cognitiones; & ideò nō potuiſſe huiuſmodi ſpecies infundi Angelis in inſtanti ſuæ creationis; quia tunc eorū obiecta non erant actu, & realiter præſentia; ſed ſucceſſu tēporis acquiri ab Angelis, nimirū, quando prædicta obiecta ſingularia actu, & realiter præſentia ſunt). aliter ex mente Scoti ad prædictam inſtantiam reſpondendum eſt, negando, ſcilicet, quòd in Angelis non ſit intellectus agens; eſt enim in illis neceſſarius, licet non ad cognitionem abſtractiuam eſſentiarum rerum naturalium; quia omnes ſpecies intentionales;

nales ad iſtas cognitiones requiſitæ illis infuſæ fuerunt à Deo in inſtanti ſuæ creationis, ſaltem ad adquiſitionem ſpecierum intuitiuarum rerũ materialium, quibus neceſſariò indigent ad cognoſcẽdum intuitiuè, & experimentaliter res materiales ſingulares, quæ ſucceſſu temporis ſunt eorum intellectibus actu, & realiter pręſentes, quæ non potuerunt eis à Deo infundi in inſtanti ſuæ creationis propter eſſentialem dependentiam, quam habent in ſuo eſſe, & conſervari ab actuali, & reali pręſentia ſuorum obiectorum.

18 Ad aliam inſtantiam ſenſuum externorum in quarta, & vltima ratione adductam, iam ſæpè reſponſum eſt, ideò non requiri ad productionem ſpecierum ſenſuum externorum ſenſum agentem, benè tamen requiri ad productionem ſpecierum intelligibilium intellectum agentem; quia ſpecies ſenſibiles, cum materiales ſint, non excedunt virtutem materialis obiecti, & ſic poſſunt ab eo produci; ſecus verò ſpecies intelligibiles, cum iſtæ ſpirituales ſint: neque obſtat, quòd ſint minùs materiales, quàm earum obiecta; quia, vt libro 2. diſp. 5. quæſt. 3. num. 22. dicebamus, hæc minor immaterialitas, non prouenit ex maiori perfectione ipſarũ; ſed quia eſſe materiale, quod habent, eſt valdè diminutum, & imperfectioris ordinis ab eſſe, quod habent obiecta, quorum ſunt ſpecies; & ideò non appellantur entia phyſica, ſeu naturalia, ſed intentionalia.

QVÆSTIO II.

Quo pacto intellectus agens à poſſibili diſcernatur?

1 EX dictis in quæſtione præcedenti patet, in anima rationali præter intellectũ poſsibilem, qui eſt quædam potẽtia eius, non ſolùm receptiua ſpecierum intelligibiliũ; ſed etiam ſimul cum illis productiua intellectionis, dari etiã intellectum agentem ad producendas prædictas ſpecies requiſitum, qui non conſiſtit in aliqua virtute exiſtenti extra animam; ſed in quadam potẽtia eius, non ſecus, ac intellectus poſsibilis. Explicandum ſequitur, quo pacto iſtæ duæ potentiæ ad inuicem comparatæ diſcernantur? Sunt enim in hac re aliqua certa, & aliquid, quod in dubium reuocatur.

2 Primum certum eſt, intellectum agentem non eſſe potentiam formaliter intellectiuam, ſicut eſt intellectus poſsibilis; nam eius actio non eſt productiua intellectionis, ſicut eſt actio intellectus poſsibilis; ſed productiua ſpecierum, quæ ad intellectionem ſunt præviè requiſitæ.

3 Se-

Digitized by Google

3 Secundum certum eſt, munus intellectus agentis ſolùm eſſe agere; conſiſtit enim in productione ſpecierũ; & ideo agens denominatur. At munus intellectus poſsibilis, non ſolum eſt agere; producit enim intellectionem, & propter hoc poſſibilis dicitur; ſed etiam eſt pati; recipit enim in ſe, tam ſpecies intelligibiles, productas ab intellectu agente, quàm ipſam intellectionem, quam ſimul cum illis producit, & ideo paſſibilis appellatur.

4 Tertium certum eſt, quòd actio intellectus poſſibilis ex natura ſua petit, quòd ſit vitalis, & immanens; nam terminus eius eſt intellectio, quæ ex natura ſua vitalis eſt, & ſimiliter petit recipi in principio vitali, à quo producitur, vt ſic per ipſam vitaliter circa obiectum formaliter operetur. At actio intellectus agentis, licet de facto (propter identitatem realem, quam habet intellectus agens, tam cum intellectu poſſibili, quàm vterque cum anima) vitalis, & immanẽs ſit; tamen, quantum eſt ex natura, ſeu genere ſuo, non petit, quòd ſit vitalis, & immanens; productio enim ſpeciei impreſſæ, quæ eſt eius terminus, ex genere ſuo nõ petit produci à principio intrinſeco, & vitali, & in eo tãquam in ſubiecto recipi, vt in productione ſpeciei impreſſæ ſenſibilis apparet, quæ non ab aliquo ſenſu, ſed ab obiecto producitur, nec recipitur in obiecto, à quo producitur, ſed in ſenſu.

5 Quod in dubium reuocatur, eſt, an intellectus agens, & intellectus poſſibilis ſint potẽtiæ animæ realiter inter ſe diſtinctæ? Hæc dubitatio ſolùm poteſt habere locum in ſententia D. Thomæ, & illorum auctorum, qui, vt vidimus 2. libr. huius operis, diſp. 3. quæſt. 1. loquentes de potentijs animæ non organicis, vt ſunt intellectus, & voluntas, pro viribus ſuſtinebant, prædictas potentias eſſe accidentia animæ, ad ſecundam ſpeciẽ qualitatis ſpectantia, & conſequẽter diſtingui realiter ab illa. Et quamuis aliqui ex his auctoribus, inter quos eſt Suarez libro 4. de anima, cap. 8. affirment, intellectum agentem, & intellectum poſſibilem non eſſe potentias animæ realiter diſtinctas; tamẽ D. Thom. 1. parte, quæſt. 79. art. 7. & 10. & 3. de anima, lectio. 10. & in 2. diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. quem omnes aſſeclæ ſequuntur, ſuſtinet, realiter diſtingui, & probant.

6 Primò ex Ariſtotele, qui in capite 4. & 5. de his potentijs loquitur, quaſi de rebus diſtinctis. Secundò, quia actus iſtarum potentiarum ſunt valdè diuerſi. Tertiò, quia cum intellectus agens producat ſpecies in intellectu poſſibili; ſi eſſent idem realiter, idem ageret in ſe ipſum, quod eſt impoſſibile;

bile; non ſecus, ac eſt impoſſibile, quod idem ſit ſimul in potentia, & in actu reſpectu eiuſdem. Quartò, quia idem affirmare poſſemus de voluntate, & intellectu, ſcilicet non eſſe potentias realiter diſtinctas.

7 Sed quamuis hęc dubitatio habere poſſit locum, vt dixi, inter Thomiſtas; non tamen poteſt habere locum inter nos, & alios auctores, qui cum Scoto diſput. 3. citata ſtatuimus, potentias animæ non organicas, vt ſunt intellectus, & volũtas, non eſſe accidentia animæ ſpectantia ad ſecundam ſpeciẽ qualitatis; ſed eſſe idem realiter cum illa; & conſequenter inter ſe, ſpectareque ad prædicamentum ſubſtantię; non ſecus, ac ſpectat ipſa anima rationalis, cum qua identificantur; differre tamen, tam inter ſe, quàm ab anima ex natura rei formaliter, quæ eſt illa diſtinctio media, quam ponit Scotus inter realem, & rationis, de qua ex profeſſo egimus in Logica cap. *de vniuerſalibus*, diſp. 1. quæſt. 2. ſect. 1. ſi enim in iſta doctrina Scoti, potentiæ animæ non organicæ, vt ſunt intellectus, & voluntas, non diſtinguuntur realiter tam inter ſe, quàm ad animam comparatæ, ſed ſolum ex natura rei formaliter; profectò neque intellectus agens (cum probatum ſit eſſe potentiam animæ non organicam) diſtinguetur realiter, non ſolùm ab intellectu poſsibili; ſed neque à voluntate, & ab ipſa anima, ſed ſolùm ex natura rei formaliter.

8 Porrò intellectum agentem non diſtingui realiter à poſsibili, ſed ſolùm ex natura rei formaliter, probari poteſt eadem ratione, qua vſus eſt Scotus, & nos etiam vſi ſumus in diſput. 3. citata ad idem probandum de omnibus potentijs animæ, non organicis ad inuicem comparatis, quæ talis eſt; pluralitas non eſt admittenda, præcipuè inter potentias animæ ſine cogente ratione; ſed nulla ratio cogit ponere intellectum agentem, diſtinctum realiter ab intellectu poſsibili cum ſolùm ſufficiat diſtinctio ex natura rei formalis: ergo nõ eſt affirmandum, realiter diſtingui, ſed ſolùm ex natura rei formaliter: minor non melius probari poteſt, quàm ſoluendo rationes adductas in contrarium.

9 Ad primam, quæ deſumpta eſt ex modo loquendi Ariſtotelis, dum ſermonem inſtituit de intellectu agẽti, & de intellectu poſsibili, reſpondetur, ad ſaluandum prædictum modũ loquendi, qui ſanè indicat aliquam diſtinctionem inter illos, non eſſe requiſitum ponere diſtinctionem realem inter intellectum agentem, & poſsibilem; ſed ſufficere, ponere diſtinctionem ex natura rei formalem, vt nos cum Scoto poni-

Digitized by Google

nimus; ſicuti ad ſalvandum, quòd diuina eſſentia ſit à parte rei actu, & formaliter communicabilis, & relatio diuina ſit à parte rei actu, & formaliter incommunicabilis, quæ ſunt duo contradictoria, non eſt requiſitum, ponere diſtinctionē realem inter diuinam eſſentiam, & diuinam relationē; ſed ſufficit ponere diſtinctionē ex natura rei formalē. Imò aduerſarij ſuſtinent, ſufficere diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſeu, vt alijs placet, ex natura rei virtualem, ſeu fundamentalē. Et eodē modo reſpondetur ad ſecundam rationē, quæ ex diuerſitate actuum iſtarum potētiarū, colligere intendebat diſtinctionē realē inter illas. Reſpōdetur enim, ad iſtam diuerſitatem actuum ſufficientiſsimū eſſe, quòd iſtæ potentiæ ſint ex natura rei tantùm formaliter diſtinctæ; quæ diſtinctio optimè compatitur cū identitate reali prædictarū potentiarum.

10 Ad tertiam patet ex dictis 7. libro Phyſicorum, diſp. vnica, quæſt. 1. & alibi ſæpè, illud affatum, nihil poteſt agere in ſe ipſum, ſeu nihil mouetur à ſe ipſo primò, eſſe ſimpliciter, & abſolutè verum in agentibus, ſeu mouentibus vniuocis, qualia ſunt, quæ producunt in ſubiecto formam eiuſdem ſpeciei cū illa, per quā agunt, ſeu mouēt: ſi enim aliquid ageret hoc pacto in ſe ipſum, vel moueret ſe ipſum, ſequeretur abſq; dubio implicatio, quæ ponitur in argumēto, ſcilicet, quòd idem eſſet ſimul in actu formali, & in potentia formali reſpectu eiuſdē, quod implicationē involvit; non tamē eſſe ſimpliciter, & abſolutè verū in agentibus, ſeu mouētibus ęquiuocis, qualia ſunt, quæ producunt in ſubiecto formā diuerſæ ſpeciei ab illa, per quā agūt, vt in præſenti cōtingit; ſpecies enim intelligibiles, quæ producuntur ab intellectu agente, diuerſæ ſunt ſpeciei à virtute, per quā intellectus agens illas producit; quā doctrinā, quā pluribus inſtātijs loco citato cōfirmauimus. Neque ex hoc ſequitur aliqua implicatio; nam ſolū, quod infertur, eſt, quòd idē eſſet ſimul reſpectu eiuſdē in actu virtuali, & in potētia formali; ſeu quod idē eſt, quòd idē ſimul haberet actu virtutē producendi aliquā formā, & quod careret formaliter tali forma; quod nulla eſt implicatio; nā ſol habet actu virtutē producēdi calorē, & ſimul caret formaliter forma caloris; & corpus graue, dum detinetur ſurſū, habet actu virtutē producēdi in ſe *vbi* deorſum, & ſimul caret formaliter *vbi* deorſum.

11 Ad quartam, & vltimā libenter fatemur, idē eſſe dicendū, ſeu affirmādum de intellectu, & volūtate, ſcilicet, nō eſſe potentias animæ inter ſe realiter, ſed ſolū ex natura rei formaliter diſtinctas, vt ex profeſſo docuimus diſp. 3. citata. Vndè

ex

Digitized by Google

ex diſtinctione reali intellectus, & voluntatis velle inferre diſtinctionem realem inter intellectum agentem, & poſsibilē, eſt fallacia petitionis principij.

QVÆSTIO III.

Quæ ſint munera intellectus agētis?

1 EX his, quæ docet Ariſtoteles cap. 4. & 5. huius libri, tria præcipua munera, ſeu officia attribuunt Peripatetici intellectui agenti; primum eſt, ſimul cum phātaſmatibus producere ſpecies intelligibiles in intellectu poſsibili, de quo munere nullus dubitat, conuenire intellectui agenti, cum ab ipſo nomen agentis ſortiatur, & ab intellectu paſsibili, qui eas recipit, diſtinguatur, licet non realiter, ſaltem ex natura rei formaliter, vt ex dictis quæſtione præcedenti conſtat.

2 Sed dubitāt auctores, in quo genere cauſæ concurrant phātaſmata, ſeu obiecta ſenſibilia, quæ relucent in phantaſia, ſimul cum intellectu agente ad productionem prædictarū ſpecierum; nam quòd in aliquo genere cauſæ cum intellectu agente cōcurrere debeant, dubitari non poteſt; nam intellectus agens in producendis ſpeciebus intelligibilibus eſt cauſa vniuerſalis, quæ, vt hanc potiùs, quàm illam ſpeciē producat, eget cauſa particulari, à qua determinetur, hæc autem eſt phantaſma, ſeu obiectum ſenſibile, quod in phātaſia (ſeu in ſenſu interno, quocumque nomine appelletur) relucet.

3 Sunt, qui affirment, phantaſma, ſeu obiectum ſenſibile relucens in ſenſu interiori (qui in noſtra ſententia vnicus tantùm eſt, & ex diuerſis muneribus, quæ exercet, diuerſis nominibus nuncupatur, ſcilicet, cōmunis, phantaſia, imaginatiua, æſtimatiua, & memoria) ſolùm concurrere ad productionem ſpecierum intelligibiliū ſui, in genere cauſæ materialis, nimirum, diſponendo intellectum poſsibilem ad hoc, vt ſola virtute intellectus agētis recipiat ſpeciem intelligibilē ſui, & non alterius phantaſmatis, ſeu obiecti ſenſibilis, quod in ſenſu interiori non relucet; quod declarari ſolet à ſimili perturbationum, quibus ſolet affici appetitus ſenſitiuus, quæ diſpoſitiones ſunt ad hoc, vt intellectus hoc potiùs, quàm illud iudicet, & voluntas illud proſequatur, vel fugiat. Fit enim ſæpè teſte Ariſtotele 3. *ethicorum*, cap. 4. vt provt quiſque ſecundum appetitum ſenſitivum afficitur, ita iudicet de rebus, eaſque appetat, vel reijciat; qui enim ira efferveſcit, facilè iudicat, ſumendam ſibi eſſe vindictam, illamque appetit: ſic ergo habere ſe, inquiunt, phantaſma ad intellectum poſſibilem, quia ſi phantaſma, v. gr. Socratem repræſenter, diſ-

diſponitur intellectus poſsibilis ad recipiendam virtute intellectus agentis ſpeciem intelligibilem hominis, & ſi bucephalum, ſpeciem intelligibilē equi. Conſtat autē diſpoſitiones ſubiecti, non ad cauſam efficientem, ſed ad cauſam materialem ſpectare.

4 Totum fundamentum horum auctorum ad aſſerendum, phantaſma ad productionem ſpeciei intelligibilis ſui, non effectiuè, ſed ſolùm materialiter cōcurrere, eſt, quia ſemper effectus ſequitur deteriorē partem ſuæ cauſæ efficiētis: ergo ſi intellectus agens, & phantaſma ſpeciem intelligibilē partiatim efficerent, cum phātaſma ſit quid materiale, neceſſariò ſpecies intelligibilis, ab ipſo, & intellectu agēti producta, materiale quidpiam foret.

5 Sed vera, & communis ſententia docet, phantaſma, ſeu obiectum ſenſibile in ſenſu interiori relucens, ſimul cum intellectu agente efficienter cōcurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis ſui; ita Scotus quodlibeto 8. ar. 1. & in 1. diſt. 3. quæſt. 7. quem omnes diſcipuli ſequuntur D. Tho. de *veritate* quæſt. 10. art. 6. & 2. *contra gentes*, cap. 77. & 3. part. quæſt. 9. ar. 4. & omnes eius diſcipuli, Conimbricenſes capit. 5. quæſt. 6. artic. 2. & probari poteſt.

6 Primò, quia etiamſi intellectus agens habeat ex ſe virtutem actiuam ad producēdas ſpecies intelligibiles; ſed non determinatam ad producendam iſtam ſpeciē magis, quàm alteram; & ideo dicitur cauſa vniuerſalis reſpectu productionum ſpecierum intelligibilitem: ergo ad hoc, vt iſtam ſpeciem determinatam, & non aliam producat, indigebit aliquo alio cōprincipio effectiuo à quo determinetur ad productionem iſtius determinatæ ſpeciei potiùs, quàm alterius; hoc autem cōprincipium non eſt aliud, quàm phantaſma.

7 Secūdò, quia id, quod cauſat aſſimilando ſibi effectum, inter cauſas effectiuas numeratur; ſed phantaſma in productione ſpeciei intelligibilis ita ſe habet: ergo phantaſma reſpectu productionis ſpeciei intelligibilis inter cauſas effectiuas illius debet enumerari: minor patet, nam rationem repræſentandi, ſeu eſſe repræſentatiuum, quod habent ſpecies intelligibiles, accipiunt à phātaſmatibus, quæ repræſentant; ſicut eſſe ſpirituale ab vtroque intellectu, ab agente, vt à cauſa efficiente, ab intellectu paſſibili, vt à cauſa materiali, ex cuius potentia educitur. Id autē, quod reſpondet noſter Cauellus in annotationibus quæſtionis 17. de anima cōcluſ. 3. (& deſumpſit ex Suarez libr. 4. de anima cap. 2. num. 12.) nimirum, phantaſma aſſimilare ſibi ſpeciem intelligibilem, nō

quia

quia procedat ab illo effectiuè, ſed quia procedit ab illo tanquam à cauſa exemplari, friuolum eſt; quia nihil poteſt influere in effectũ, vt cauſa exẽplaris, niſi ab efficiente talis effectus præcognoſcatur: cõſtat autem, intellectum agentem, qui eſt cauſa efficiens ſpeciei intelligibilis, illam producere abſque vlla præuia cognitione phantaſmatis: ergo non poteſt ſpecies intelligibilis phantaſmatis ab ipſo phantaſmate, tãquam à cauſa exemplari prouenire.

8 Ad fundamẽtum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, illud Philoſophorum effatum, *effectus ſequitur deteriorem partẽ ſuæ cauſæ*, eſſe verum, & intelligendum, quando deterior pars nõ eleuatur à perfectiori; ſecus verò ſi eleuetur, vt in præſenti contingit; quod comprobari poteſt manifeſtis inſtãtijs actuũ ſupernaturalium, tam intellectus, quàm voluntatis, qui etiamſi effectiuè proueniant, tam ab habitibus ſupernaturalibus, quàm ab intellectu, vel voluntate noſtra, quæ ſunt potentiæ naturales, non ſequuntur deteriorem partem; aliàs non ſupernaturales, ſed potiùs naturales, & eſſent, & denominarentur, quod minimè contingit.

9 Sed inquiret aliquis, quo pacto iſtæ duæ cauſæ effectiuæ ſpeciei intelligibilis, intellectus, ſcilicet, agens, & phantaſma adinuicem comparentur? Caietanus 3. part. quæſt. 8. art. 1. ad 3. & 1. part. quæſt. 55. art. 2. Ferrara hoc libro quæſt. 3. Capreolus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art 3. & omnes alij diſcipuli D. Thom. affirmant, phantaſma ſolùm concurrere tãquam inſtrumentum, quo medio intellectus agens operatur; & probant, quia cauſa particularis eſt inſtrumentum cauſæ vniuerſalis, quam determinat, & cui ſubordinatur in agendo, & ex dictis patet, phantaſma determinare intellectum agentem, & in agendo ipſi ſubordinari.

10 Sed licet hæc ſententia ſuſtineri poſſit, ſumendo inſtrumentum impropriè, & in illa latitudine, in qua omnes cauſæ ſecundæ (quæ propriè cauſæ principales ſunt reſpectu ſuorum effectuum) appellari ſolẽt cauſæ inſtrumentales reſpectu primæ cauſæ, eo quòd ipſam determinant ad ſpeciales effectus, & ipſi in agendo eſſentialiter ſubordinantur; tamen ſumendo cauſam effectiuam inſtrumentalem propriè, & in rigore, ſcilicet, pro illa cauſa, quæ etiãſi in ſe habeat aliquã virtutẽ efficiendi effectũ (aliàs nõ poſſet inter cauſas efficiẽtes numerari) illã tamen nõ habet ex ſe, & in eſſe quieto, & antequã moueri incipiat; ſed illã recipit à principali agenti in ipſa actuali motione (vt cõtingit, cũ manus mouet pilã, medio baculo, baculus propriè, & in rigo-

gore eſt cauſa effectiua inſtrumentalis; quia etiamſi in ſe habeat impulſum, vi cuius mouet pilam; tamen illum impulſum non habet ex ſe, & in eſſe quieto, & antequam moueri incipiat; ſed ipſum recipit à manu in ipſa actuali motione) ſupradicta ſententia non eſt admittē da, quia phantaſma virtutem, quam habet in ſuo genere ad producēdũ ſimul cum intellectu agente ſpeciē intelligibilē ſui, non recipit à concurſu intellectus agentis; ſed illã habet ex ſe, & in eſſe quieto, & antequã concurrere incipiat cum intellectu agēte ad productionem ſpeciei intelligibilis ſui; & ideò non inter cauſas efficiē tes inſtrumētales, ſed inter cauſas principales inadæquatas, & partiales erit enumeranda.

11 Dicendum igitur nobis eſt, phantaſma, & intellectũ agentem eodem pacto concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis, ac diximus 2. libro huius operis, diſp. 5. q. 2. à nu. 10. & ſequentibus, ex doctrina Scoti, ſpeciem impreſſam cõcurrere cum potentia ſenſitiua ad ſenſationem, & cum intellectiua ad intellectionē, nimirũ, vt duas cauſas partiales diuerſæ rationis, eſſentialiter ſubordinatas, & quarũ vna non recipit virtutem, quã habet agēdi ab alia, vnam cauſam totalem, & adæquatam integrantes, quarũ vnaquæque immediatè effectum attingit; non ſecus, ac Theologi communiter affirmãt, habitus ſupernaturales concurrere cum intellectu, vel voluntate ad actus iſtarum potentiarum ſupernaturales, vt ſunt actus fidei, & actus charitatis; ita Scotus locis citatis, & Scotiſtæ omnes, & probatur ex dictis contra Thomiſtas, & latiùs, & expreſsiùs ex dictis 2. libro diſp. 5. q. 2. citatis; recolãtur ibi dicta ex mente Scoti.

12 Secundum munus, quod à Peripateticis attribui ſolet intellectui agēti, eſt illuſtrare, ſeu illuminare phantaſmata; quod ſatis expreſsè docuit Ariſtoteles cap. 5. text. 18. Verum quonam modo hæc illuſtratio, ſeu illuminatio fiat, magna diſſenſio eſt inter interpretes: sũt, qui affirment, hanc illuſtrationem conſiſtere in productione facta ab intellectu agēte certæ qualitatis in phantaſma, vi cuius excitetur ad producendũ ſimul cum intellectu agēte ſpeciem ſui intelligibilem, cui modo philoſophandi videtur fauere D. Tho. libro 2. contra gentes cap. 77. vbi ſic ait, *eſt igitur in anima intellectiua virtus actiua in phantaſmata, faciens ea intelligibilia actu.*

13 Sed hic modus philoſophandi non placet; quia vt benè arguunt Conimbricenſes, & deſumpſerunt ex Durando, vel hæc qualitas, quæ producitur ab intellectu agente in phantaſmata, vi cuius illuſtratur, ſeu excitatur ad produ-

cendam ſpeciem intelligibilē ſui, eſt quid ſpirituale, vel quid materiale: ſi quid ſpirituale, non poterit in phantaſma, quod quid materiale eſt, recipi: ſi quid materiale, cum adhuc intra limites materialis naturæ perſiſtat, qua ratione poterit phantaſmati impartiri vim ad producendam ſpeciē intelligibilem ſui, cum prædicta ſpecies ſit quid ſpirituale?

14 Propter hæc Caietanus 1. part. quæſt 85. art. 1 alia via procedit; affirmat enim, intellectum agentē phantaſma illuſtrare, non formaliter, ſed obiectiuè; ideſt, non imprimendo in ipſum aliquam qualitatem, ſed illud, quod natura ſua eſt obſcurum, ſua aſsiſtentia, & vicinate illuſtrando. non ſecus, ac ſolis lumen per ſuam aſſiſtētiam illuminat colores, reditque aptos, vt ſpecies ſenſibiles ſui poſsint emittere in diaphanum, & in potentiam viſiuam. Addit præterea Caietanus, per hanc actionem, ſeu illuminationem intellectus agentis apparere in phantaſmate quidditatem rei materialis ſine conditionibus indiuidualibus, ſicque ante productionem ſpeciei intelligibilis factam eſſe abſtractionem naturæ vniuerſalis à ſingularibus.

15 Sed etiam hic modus philoſophādi minimè placet; primò, quia non apparet, quo pacto intellectus agēs poſſit phātaſma illuminare ſua aſſiſtētia, ſeu præſentia, ſi nullum lumen, vel aliam ſimilē qualitatē producit in illud, vt etiam nobiſcū fatetur Caietanus; inſtātia autē ſolis, qua vtitur Caietanus, potius ei nocet, quàm fauet; ſol enim, ſi ſua præſentia illuminat diaphanū, & colores, hoc eſt, quia ſua præſentia, tam in diaphanū, quàm in colores lumen producit; nā ſi nō produceret, neque diaphanū; neque colores illuminaret. Secundò, quia ſi phantaſmata, ideo ſolùm dicuntur illuminari, quia ipſis præſens eſt intellectus agens, profectò omnia hominum, ſiue vigilantium, ſiue dormientiū phantaſmata perpetuò illuſtrari dicenda erunt, cū ſemper habeant præſentē intellectum agentem; quod tamē de dormientium phantaſmatibus negat ipſe Caietanus. Tertiò, quia illuminatio iſta phantaſmatis proueniens ab intellectu agenti, actio realis eſt; ergo per illam aliquid reale producitur, vel in phātaſmate, vel in intellectu poſſibili; non primum, vt probatū eſt, & etiā fatetur Caietanus. Si autē dicatur ſecundum: ergo ipſa illuminatio ſolùm conſiſtet in productione ſpeciei intelligibilis, vt infra dicam; nā intellectus agens in poſsibilē præter ſpeciē intelligibilē, nihil agit, ſeu producit.

16 Hinc etiam patet, quàm falſum ſit id, quod addit Caietanus, ſcilicet, per hanc illuſtrationem intellectus agentis appa-

Digitized by Google

apparere in phantaſmate quidditatem rei materialis ſine cōditionibus indiuidualibus; nā ſi phantaſma nullo modo eſt mutatum, neque intellectus agens habet actionem realem circa illud, planè non poterit eius repræſentatio variari: quibus adde, repræſentationē phātaſmatis ſemper permanere materialem: ergo ſemper erit rei ſingularis. Item ſi phantaſma repræſentaret naturam vniuerſalem ſine conditionibus indiuidualibus, phantaſia cognoſceret naturas vniuerſales; quod eſt falſum: ſequela patet, quia phantaſia cognoſcit quidquid per phātaſma, quod eſt eius obiectum, relucet, & eo modo, quo relucet.

17 Dicendum igitur nobis eſt cum communi, & iam recepta inter recentiores ſententia, munus illuſtrandi, ſeu illuminandi phantaſmata, quod à Peripateticis attribuitur intellectui agenti, in nullo alio cōſiſtere, quam in actione, qua ſimul cum phantaſmate ſpecies intelligibiles ipſius phantaſmatis in intellectu poſsibili producit: ratio efficax eſt, quia munus illuſtrandi, ſeu illuminandi phantaſmata aliquam actionem intellectus agentis importat; ſed in intellectu agenti nulla alia actio aſſignari poteſt, præter illam, per quam ſimul cum phantaſmate producit ſpecies intelligibiles phantaſmatis in intellectu poſsibili, vt refutando primū modū philoſophandi oſtēſum eſt; ergo in iſta actione ſolùm conſiſtit munus illuſtrandi, ſeu illuminandi phātaſmata; quod à Peripateticis intellectui agenti tribuitur.

18 Rurſus huic vnicæ actioni intellectus agētis, qua ſimul cum phantaſmate producit ſpecies intelligibiles illius, rectè accomodari munus illuſtrandi, ſeu illuminandi phantaſmata, negari non poteſt, cū hæc loquutio metaphorica ſit, deſumpta ex vera, & materiali illuſtratione eorum, quæ ſunt in aere tenebroſo, v.g. colores, qui ex eo dicuntur illuſtrari, ſeu illuminari, quia illuſtrato, & illuminato aere incipiunt apparere viſui, & ab illo percipi; ſic ergo producta ſpecie intelligibili per operationem intellectus agentis in intellectu poſsibili, rerū, quæ repræſentabantur in phantaſia, incipiunt prædictæ res apparere intellectui poſsibili, & ab eo cognoſci, cum priùs, nec ei apparerēt, nec ab eo cognoſci poſſent; ſed ſe haberēt in ordine ad intellectum poſsibilem, ſicut colores exiſtētes in obſcuro loco ſe habent ad viſum; & ad hanc metaphoricam illuſtrationē, ſeu illuminationem declarandam vſus eſt Ariſtoteles cap. 5. text. 18. verbis illis, intellectus agens ſe habet ad intelligibilia, ſicut lumen externum ſe habet ad colores.

Digitized by Google

19 Tertium munus, quod à Peripateticis attribui ſolet intellectui agenti, eſt, facere obiectum actu intelligibile ex intelligibili in potentia. Pro cuius intelligentia nota, quòd ſicut aliquid dicitur viſibile in actu, eo quod eſt actu immutatiuum viſus ſecundum actualem diſpoſitionem, quam habet, vt color lumine iam perfuſus; viſibile verò in potentia, eo quòd ſecundum actualem diſpoſitionem, quā habet, non poteſt immutare viſum; ſi tamen diſponatur, poterit immutare, vt color, dum eſt in tenebris: ita obiecta materialia dicuntur intelligibilia in actu, dum ſunt in tali diſpoſitione, vt actu ſint immutatiua intellectus poſsibilis; intelligibilia verò in potentia, dum ſunt in tali diſpoſitione, vt non poſſint immutare illum; poterunt autem, ſi diſponantur: cum ergo res materiales, dum relucent in phantaſia, ſeu ſenſu interiori non habeant diſpoſitionem requiſitam ad immutandum intellectum ad earum intellectionem, illam tamen accipiant ab operatione intellectus agentis; hinc eſt, vt optimè omnes Peripatetici cum Ariſt. affirment, munus eſſe intellectus agentis facere obiectum actu intelligibile ex intelligibili in potentia.

20 Sed quamuis in hoc omnes Peripatetici conueniant; differunt tamen in explicādo, quonā modo intellectus præbeat obiectis materialibus, quę relucent in ſenſu interiori, ſeu phantaſia, hanc diſpoſitionem requiſitam ad hoc, vt ex intelligibili in potentia tranſeant ad eſſe intelligibilia in actu.

21 Auctores, qui affirmabant (vt num. 12. vidimus) intellectum agentem dici illuſtrare, ſeu illuminare phantaſmata; quia in illa producebat quandā qualitatem, vi cuius excitabantur ad producēdum ſimul cum ipſo intellectu agente ſpecies intelligibiles ipſarū; conſequenter affirmant, per eandem productionem dictæ qualitatis præſtare intellectum agentem, vt phantaſmata ex potentia intelligibilia, qualia erant ante productionem prædictæ qualitatis, fiant actu intelligibilia. Item Caietanus, qui (vt num. 14. vidimus) ſuſtinebat, intellectum agentem illuſtrare phantaſmata, nō formaliter, ſed obiectiuè, id eſt, non imprimendo in phantaſmata aliquam qualitatem; ſed illa, quæ natura ſua ſunt obſcura, & involuta conditionibus indiuidualibus, ſua aſsiſtentia, & vicinitate illuſtrando, & à conditionibus indiuidualibus ipſorum quidditates abſtrahendo; conſequenter ſuſtinet, per eandem aſsiſtentiam, & vicinitatē reddere phantaſmata, quæ natura ſua ſolùm ſunt intelligibilia in

Digitized by Google

in potentia, intelligibilia in actu.

22 Nos verò, qui reiectis his duabus ſententijs num. 17. ſtatuimus cum communi, & iam recepta inter recentiores ſententia; munus illuſtrandi phantaſmata, quod intellectui agenti tribuitur, in nullo alio conſiſtere, quàm in actione, qua ſimul cũ phantaſmatibus ſpecies intelligibiles eorũ in intellectu poſsibili producit; conſequẽter ſuſtinemus, per hanc eandem actionem facere, vt phãtaſmata, quæ ante ipſam ſolùm erant intelligibilia in potentia, fiant in actu intelligibilia; nam phantaſmata ſolùm mouere poſſunt intellectum poſsibilem ad ipſorum intellectionẽ medijs his ſpeciebus intelligibilibus eorum, & ſic ante ipſarum productionem ſolùm ſunt, ſicuti, & quid materiale, ita intelligibilia in potentia.

DISPVTATIO QVARTA.

De natura, & obiecto intellectus poſsibilis.

DE natura, & obiecto intellectus poſsibilis quatuor explicanda ſunt; primum, *Quid ſit intellectus poſsibilis?* Secundum, *Quid ſit eius obiectum adæquatum?* Tertium, *Quæ obiecta ex inadæquatis pro hoc ſtatu cognoſcere poſsit, & quo modo illa cognoſcat?* Quartum, *an in parte intellectiua ſit memoria, & an hæc diſtinguatur realiter ab intellectu poſsibili?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit intellectus poſsibilis?

1 NOmine intellectus poſsibilis intelligimus quandã potentiam animæ rationalis, non materialem, & organicam, ſicut dictum eſt, eſſe potentias animæ ſenſitiuas; ſed ſpiritualem, & inextenſam, ſicut eſt ipſa anima rationalis, in qua reſidet; imò in ſententia noſtra, & Scoti, cum qua realiter identificatur, & ſolùm ex natura rei formaliter ab ipſa diſtinguitur: cui potentiæ duo munera attribuit Ariſtoteles, vt ex dictis in diſputatione præcedenti patet; primum eſt, recipere ſpecies intelligibiles,

Digitized by Google

quæ à rebus ſenſibilibus in ſenſu interno, ſeu phantaſia relucentibus (quæ ideò phātaſmata nuncupantur) ab intellectu agenti ſimul cum ipſis phātaſmatibus producuntur, ſeu, vt alij loquuntur, & in idem recidit, abſtrahuntur, qui ideò paſſibilis appellatur. Secundum eſt, ſimul cū ſpeciebus intelligibilibus in ſe receptis effectiuè producere intellectionē, quæ (vt ex dicendis diſp. ſequenti conſtabit) non eſt aliqua actio, ſed quædā qualitas operatiua, in ipſomet intellectu poſsibili recepta, à qua ipſe intellectus in genere cauſæ formalis operans, ſeu intelligens obiectum denominatur. De hac igitur potentia intellectiua inquirimus, quid ſit? Quod non meliùs explicare poſſumus, quàm proponendo, & ſoluendo aliquas dubitationes.

2 Primò dubitari poteſt, an intellectus cognoſcens ſit ſolū paſsibilis, & nullo modo poſſibilis? id eſt, an ſolùm patiatur recipiēdo, & nullo modo agat intelligendo? Cui dubitationi ſub diſtinctione reſpondendū eſt. Poteſt enim intellectus cognoſcens ad duo cōparari, ſcilicet, ad obiectū, & ad intellectionem. Si comparetur ab obiectum, dicendū eſt, eſſe potentiā merè paſsiuam, cum nihil agat in obiectum (ſicut agit potentia nutritiua in ſuum, videlicet, in alimentum) ſed ab eo tantum patiatur recipiendo ſpeciem intelligibilem eius, interuentu phantaſmatum, & intellectus agentis.

3 Si verò ad intellectionem comparetur, Gotfredus quolibeto 6. quæſt. 7. (relatus ab Scoto in 1. diſt. 3 quæſt. 7.) & Iandunus libro 2. huius operis, q. 16. & libro 3. quæſt. 13. & 24. & Paulus Venetus in ſumma de anima cap. 3. affirmant, adhuc in iſta comparatione intellectum cognoſcentem merè paſſiuè ſe habere; exiſtimant enim, intellectionem ſolùm recipi in intellectu; effici verò a phantaſmatibus, & ab intellectu agente; quorum fundamentum eſt, quia ſi intellectio effectiuè prouenirret ab intellectu cognoſcente, cū prædictus intellectus recipiat in ſe intellectionem, ſitque cauſa materialis illius, inciderēt in vnā, eandemque rē cauſa efficiens, & materialis, quod negat Ariſtoteles 7. Phyſicorum cap. 1. text. 1. & libro 8. cap. 4. textu 28.

4 Sed vera, & recepta ſententia tenet, intellectum cognoſcentem comparatum ad intellectionem eſſe ſimul paſsiuū, & actiuum; paſsiuum, in quantū illam in ſe recipit; actiuum, in quantum ſimul cū ſpeciebus intelligibilibus illam producit; ita Scotus in 1. diſt. 3. q. 7. & in 2. diſt. 3. q. 8. & alibi ſæpè; & ratio eſt, quia intellectio eſt terminus actionis immanētis; ergo ab eadem potentia, in

qua

qua recipitur, debet produci; ſed recipitur (etiã aduerſarijs conſentientibus) in intellectu cognoſcẽte; ergo, quòd etiam ab ipſo procedat, neceſſarium erit. Et confirmatur, quia intellectio, neque à phãtaſmatibus, neque ab intellectu agente poteſt effectiuè prouenire; ergo ab intellectu poſsibili effectiuè prouenit. Non à phantaſmatibus, quia phantaſmata, nec sũt principiũ vitale, neque ſpirituale; intellectio autẽ operatio vitalis, & ſpiritualis eſt. Neque ab intellectu agente, quia etiamſi principiũ vitale, & ſpirituale ſit, tamen eius munus (vt ex dictis in diſp præcedenti patet) ſolùm eſt ſimul cum phantaſmatibus producere ſpecies intelligibiles phantaſmatum in intellectu poſsibili.

5 Neque loca Ariſtot. in contrarium adducta aduerſarijs fauent; nam cum dicit, cauſam materialem, & efficientem nõ poſſe in vnam, & eandem rem coincidere, ſolùm loquitur de cauſa materiali ſtrictè ſumpta, ſcilicet, de materia prima; hæc enim, cũ ſit pura potẽtia, & nullũ actũ formalẽ includens, non poteſt eſſe cauſa efficiens; non verò de cauſa materiali latè ſumpta, ſcilicet, pro quocũque ſubiecto; hoc enim ſi ſit actus formalis, vt eſt intellectus poſſibilis, vel cõpoſitum ex materia, & forma, optimè poteſt eſſe cauſa materialis, & efficiens ſimul, ſi nõ vniuocè, ſed æquiuocè operetur, vt ſæpè dictum, & explicatum eſt.

6 Secundò dubitari poteſt, an intellectus, in quantum paſsibilis, id eſt, in quantum receptiuus eſt ſpecierum intelligibilium, ex ſe ſit in pura potentia, ſeu quod idem eſt, ex ſua prima origine nullam obtineat ſibi congenitam ſpeciem intelligibilem, ſed dumtaxat in poteſtate ſit ad eas progreſſu temporis acquirendas.

7 Et omiſſo errore Platonis, qui in phædro, Menone. & 10. de republica, non ſolùm aſſeruit, animas noſtras extra corpora fuiſſe creatas, ibique rerum omnium notitiã ex idearum influxu hauſiſſe; ſed etiam cum poſtea corporibus vniuntur, inditas rerũ ſpecies, ac ſciẽtias deferre ſecum, ita tamen, vt omnis ea cognitio ob craſſæ materiæ commertiũ, tetri carceris obliuione ſopiretur; deindè acceſſu phantaſmatũ excitata reuiuiſceret; vndè cõſequenter aſſerebat, dum aliquid diſcimus, non ſimpliciter diſcere, ſed potiùs recordari; nec nouã acquirere ſcientiam, ſed ante habitæ reminiſci; omiſſo, inquam, hoc errore, tanquam figmento, ſolùm inter Catholicos dubitari poteſt, an anima noſtra, tanquam tabula raſa, & nullis infuſis ſpeciebus intelligibilibus corpori noſtro infũdatur, vel ei potiùs in ipſo creationis, & vnionis ad corpus momento ab auctore naturæ ſpe-

Digitized by Google

ſpecies intelligibiles rerũ collatæ ſint?

8 Negatiua pars, ſcilicet, animam non infundi corpori noſtro, tenquam tabulam raſam; ſed in momẽto creationis eius, & vnionis ad corpus Deum auctorem naturæ illi cõferre ſpecies intelligibiles ad cognitionẽ rerum requiſitas, his rationibus ſuadetur; prima, Deus quãlibet creaturam cõdidit inſtructam, & ornatam ijs affectionibus, quæ ad eius munia neceſſariæ ſunt, ſed vt intellectus poſſibilis operetur, indiget ſpeciebus intelligibilibus; non ergo ſine ijs à Deo procreatur. Secunda; Angeli intelligunt per ſpecies intelligibiles ſibi a principio creationis inditas; ergo & anima rationalis, præſertim cum intelligere ſit homini cõmune cum Angelis. Tertia; anima intellectiua eſt multò perfectior, quàm materia prima; ſed materia prima non eſt producta à Deo ſine forma: ergo neque anima intellectiua ſine ſpeciebus intelligibilibus Et demum quarta; quia animis noſtris innati ſunt duo habitus, alter, quo primis principijs ſpeculatiuis aſſentimur, qui dicitur habitus primorum principiorum; alter, quo aſſentimur primis principijs practicis, & dicitur ſyndereſis; ergo cum eadem ſit ratio de ſpeciebus intelligibilibus, erunt quoque hæ nobis inſitæ. Antecedens probatur, quia huiuſmodi habitus dicuntur naturales, non alia ratione, niſi quia nobis inſit ſunt à natura. Vndè Hieronymus in Epiſtola ad Demetriam loquens de ſyndereſi ſic affatur, *eſt in animis noſtris quædam ſanctitas naturalis, à Deo impreſſa, quæ veluti in arce animi reſidens praui, & recti iudicium exercet.*

9 Sed his non obſtantibus, tenendum eſt cum Ariſtotele c. 4. huius libri text. 14. quẽ omnes Peripatetici ſequuntur, intellectum noſtrum à principio ſuæ creationis, & vnionis ad corpus eſſe, ſicut tabulam raſam, in qua nihil eſt de pictum, id eſt, nullam eſſe ei infuſam ſpeciem intelligibilem, ſed diſcurſu temporis omnes ſpecies acquiri miniſterio intellectus agentis ſimul cum phantaſmatibus concurrentis ad ipſarum productionem.

10 Et præter auctoritatẽ Ariſtotelis, & omnium Peripateticorum probari poteſt; primò, quia ſi ab inſtanti creationis, & vnionis animæ ad corpus, prædictæ ſpecies fuiſſent infuſæ, intellectui eius, poſſet ſtatim intellectus animæ ipſis vti, quod non contingit, alioqui ab ipſo conceptu, antequã in lucem eſſemus editi, iã quiſque noſtrum præeunte rationis luce, liberè ageret, & mereretur, & demereretur, quod eſt erroneum. Aſſumptum patet, quia ſicuti prædictæ ſpecies abſque phantaſmatibus compa-

Digitized by Google

paratæ eſſent; ita integrum eis foret abſque concurſu phantaſmatum ſua munia exercere.

11 Secundò, quia ſi nobis eſſent innatæ ſpecies intelligibiles omnium rerum, eſſent etiā nobis innati habitus omnium ſcientiarum, cum non ſit maior ratio vnius, quàm alterius; & exemplificari poteſt in anima Chriſti, & etiam Adami, quarum intellectibus, quia infuſæ fuerunt in inſtanti creationis earum, & vnionis ad corpora ſpecies intelligibiles omnium rerum naturalium, etiam infuſi fuerunt habitus omnium ſcientiarum naturalium: conſtat autem experientia, nos non habere habitus ſcientiarum innatos, ſeu infuſos, ſed magno labore comparari.

12 Et demum tertiò, quia cum ſpecies intelligibiles poſſint à nobis per intellectum agentem, interueniente opera ſenſuum externorum, & ſenſus interni comparari, vt diſputatione præcedenti oſtenſum eſt, non fuit opus, vt miraculosè, & præter naturam in intellectibus animarum noſtrarum in initio creationis earum, & vnionis ad corpora, à Deo infūderentur.

13 Ad primam rationem ex adductis in contrarium reſpōdemus, etſi Deus non contulerit homini in ſuo initio ſpecies intelligibiles, quibus ad intelligendum indiget; non ideò dicendum eſſe ei denegata fuiſſe neceſſaria ad intellectionem, cum tribuerit ei ab initio intellectum agentem, cuius opera, ſenſuumque miniſterio, eas poſſet comparare: ſicuti etiamſi Deus non dederit homini à natura, arma, & indumenta; non ideo cenſendum eſt, ei denegaſſe ea, quæ ad tuendam vitam requiruntur; nam dedit illi ingenium, & manum, vt commune inſtrumentum ad omnia ea quærenda, & fabricanda.

14 Ad ſecundam, dato antecedenti, negamus conſequentiam. Nam cum animæ noſtræ ſint actus corporis phyſici, & organici, ex ipſo modo eſſendi habent, vt per corpora intelligibilem ſuam perfectionem conſequantur, hoc eſt, vt per ſenſus organis corporeis affixos ſpecies intelligibiles comparent. At Angeli, cum ſint ſubſtantiæ à corporibus omnino abſolutæ, & in eſſe intelligibili independentes a corporibus, oportuit, vt ab auctore naturæ, ſcilicet, Deo ſpecies intelligibiles, licet non intuitiuæ, quia hę à præſentia reali obiecti eſſentialiter dependent; ſaltem abſtractiuæ, & quæ à reali præſentia obiecti non dependent, in inſtanti ſuæ creationis, ipſis infunderentur.

15 Ad tertiā cōceſſa maiori, & minori, negamus conſequētiā: eſt enim fallacia accidētis; nā ſi

Digitized by Google

ſi materia prima non eſt producta à Deo ſine forma, hoc eſt, quia naturaliter non poteſt eſſe materia prima ſine forma; intellectus verò humanus naturaliter eſſe poteſt ſine intelligibilibus ſpeciebus.

16 Ad quartam dicimus, plures ſatis probabiliter exiſtimare, non dari habitus primorum principiorum, tam ſpeculabilium, quàm practicorum; quia habitus ſolùm admittuntur ad facilè operandum, id eſt, ad ſuperandas difficultates, quæ in operando eſſe ſolent, & ad aſſentiendum prīmis principijs, tam ſpeculatiuis, quàm practicis; & cum ſint per ſe nota, nulla occurrit difficultas, quæ lumine naturali, quod non diſtinguitur à vi intellectiua, facilè ſupperari non poſsit. In ſentētia verò aliorum, qui admittunt habitus primorū principiorum, ipſi lumini naturali ſuperadditos, quæ etiam eſt probabilis, reſpondendum eſt, hos habitus non eſſe nobis innatos, vt argumentum aſſumit, ſed verè acquiſitos per multiplicationem aſſenſus cadentis ſupra prima principia ſpeculabilia, vel operabilia; dici tamen nobis naturales, quatenus huiuſmodi principia per ſe, & ex vi ſuorum terminorū adeò conſpicua ſunt, vt eis neceſſariò, quoad ſpecificationem aſſentiamur. Diuus autem Hieronymus ſequutus eſt primam ſententiam, quæ non diſtinguit habitus primorum principiorum à lumine naturali intellectus noſtri, quod naturalē ſanctitatem apellat, quia illo illuſtratur mens ad probanda prima principia, quibus ſanctè, & rectè viuendi norma continetur.

17 Tertiò dubitari poteſt, an intellectus poſsibilis in homine, vnus in ſpecie ſit, an plures? Rationes dubitandi ſunt; prima, quia vis intelligendi, & vis ratiocinandi ſpecie differunt; ſed vtraque facultas intellectiua eſt; ergo intellectus poſsibilis in homine non eſt vnus, ſed plures in ſpecie. Probatur maior ex Boetio libro 5. de conſolatione proſſa 4. vbi ait, intellectum comparari ad rationem, vt æternitatem ad tempus; ſed tempus, & æternitas pluſquam ſpecie differunt; ergo vis intelligendi, & vis ratiocinandi, ſaltem in ſpecie different. Secunda; intellectus ſpeculatiuus, & intellectus practicus ſpecie differunt: ergo dantur in homine duo intellectus ſpecie differentes: aſſumptum probatur, quia potentiæ ſpecificantur per actus; cognitio autem ſpeculatiua, & cognitio practica actus diſtincti in ſpecie ſunt, cum finis actus ſpeculatiui ſit veritas; practici verò opus. Tertia; appetitus ſuperior, & inferior, omnium calculo differunt ſpecie; ergo ratio ſuperior, & inferior, etiam different ſpecie; ſed in homine

eſt

eſt ratio ſuperior, & inferior; ergo duæ potentiæ intellectiuæ ſpecie differentes.

18 Sed tenendum eſt cum communis ſententia, intellectum poſsibilē in homine eſſe vnum in ſpecie; ratio eſt, quia etiamſi potentię diſtinguantur in ſpecie per obiecta; ſed non per obiecta inadæquata, vt diſtingui ſolent earum actus, qui ideo actus inadæquati dicūtur, ſed per obiecta adæquata, & motiua; intellectus autem poſſibilis vnicum tantùm habet obiectum adæquatum, ſeu motiuum, ſcilicet, ens, vt ex dicendis conſtabit; & ideo vnica tantùm potentia, ſeu vnicus tantùm intellectus in ſpecie dicendus eſt, nō obſtante, quòd elicere poſsit plures actus inadæquatos, diſtinctos in ſpecie; imò & contrarios, vt ſunt aſſenſus, & diſſenſus.

19 Ad primam rationem ex adductis in contrarium negamus maiorem; eadem enim in ſpecie, & numero potentia eſt, qua intelligimus, & ratiocinamur, licet ex diuerſis muneribus, quæ exercet, intellectus, & ratio nominetur; nominatur intellectus, prout intelligibilem veritatem ſimpliciter apprehendit: ratio verò, prout ab vno ad aliud diſcurrendo ratiocinatur. Vndè Angeli, qui ſimplici intuitu res percipiūt, intelligentiæ dicuntur; homines verò, qui inquirendo à notioribus ad ignota procedunt, rationales appellantur. Ideò autem à Boetio intellectus æternitati, ratio verò tempori comparantur, quia vt æternitas ſtabilis eſt, ita intellectus ſuo modo eſt ſtabilis, dum ſine diſcurſu rerum notitiam capit, & vt tempus in fluxu conſiſtit, ita ratio, dum ab vno ad aliud diſcurrit.

2 Ad ſecundam negamus antecedens, ſcilicet, intellectum ſpeculatiuum, & practicum ſpecie differre; oppoſitū enim docuit Ariſtoteles cap. 7. huius libri, vbi in fine capitis, poſt quam aſſignauit diſcrimen inter ſpeculatiuum, & practicū, ſignatè ſubdit, hoc diſcrimen non arguere diſtinctionem potentiarum, ſed diſtinctionem operationum eiuſdem potentiæ. Et ad probationem dicimus, potentias non ſumere diſtinctionem ex diſtinctione actuum, vel obiectorum inadæquatorum, vt ſunt cognitio ſpeculatiua, & cognitio practica; ſed ex actu, ſeu obiecto adæquato, & motiuo, quod reſpectu intellectus vnicum tantùm eſt, ſcilicet, ens in communi.

21 Ad tertiam, conceſſo antecedenti, negamus conſequētiam (eſt enim fallatia tam figuræ dictionis, quàm accidentis) nam ſi appetitus inferior, & ſuperior ſpecie differunt, hoc eſt, quia inferior appetitus eſt potentia materialis, & ſequitur

ad

ad ſenſationem; appetitus verò ſuperior, ſcilicet, voluntas eſt potentia ſpiritualis, & ſequitur ad intellectionē; quod diſcrimen non reperitur inter rationem inferiorem, & ſuperiorem; ſed eſt vnica ſpiritualis potentia intellectiua, quæ ſecūdum diuerſa munera, quæ exercet, diuerſis nominibus appellatur; ſuperior, quatenus diuinam, & incommutabilem veritatem contemplatur; inferior, prout inferiora conſiderat.

22 Quartò dubitari poteſt, an intellectus noſter pro hoc ſtatu pendeat in operatione ſua ab operatione phantaſiæ? licet enim ex ſupradictis certum ſit, intellectum dependere à phātaſmatibus in acquiſitione ſpecierum intelligibilium, dubitari tamen poteſt, an poſt acquiſitionem prædictarum ſpecierum poſſit pro hoc ſtatu illis liberè vti abſque vlla depēdentia ab operatione phantaſiæ circa idem obiectum, an neceſſarium ſit ad hoc, vt per ipſas eliciat intellectionē obiecti, quòd ſimul phātaſia illud ſpeculetur.

23 Plures opinati ſunt noſtrū intellectum pro hoc ſtatu, acquiſitis ſpeciebus, non habere dependentiam à ſenſibus, maximè in cognitione rerum ſpiritualium; ita Albertus 3. de anima, tract. 2. cap. 19. Philipponus textu 30. quibus cōſentiunt in 3. de anima Auerroes, Simplicius, Themiſtius, & Auicena citatus ab Scoto quæſt. 18. de anima; aiunt enim in cōmunibus operationibus pēdere intellectū noſtrum in ſua actuali cognitione à ſimultanea ſpeculatione phantaſiæ; in abſtractiſſima verò cognitione Dei, & Angelorum minimè.

24 Probari poteſt hæc ſententia primò; intellectus per receptionem ſpecierum intelligibilium habet in actu primo omnia eſſentialiter requiſita ad intelligendum: ergo, vt prorumpat in actualem intellectionem, non erit neceſſariū, quòd ſimul eius obiectū phātaſia ſpeculetur, præſertim cum phantaſia non ſit perfectior, & ſuperior potentia, quàm intellectus, ſed potiusècontra. Vndè Ariſtoteles 3. de anima textu 8. ait, intellectum, acquiſita iā ſcientia, poſſe operari, cū vult, neque indigere extrinſeco motiuo. Secundò intellectus etiā pro hoc ſtatu intelligit Angelos, & alia ſpiritualia, quæ in phantaſia non cadunt: ergo nō petit, ſaltem quoad hæc, conuerti ad phantaſmata. Tertiò; rapti in ecſtaſim intelligūt ſine vllo ſenſuum externorum, & internorum miniſterio; ergo ſaltem ij intelligunt, nihil phātaſia ſpeculante. Antecedens probat experientia, qua expertum eſt, aliquos ex his nec ignem applicatum ſentire. Quartò; phantaſia poteſt exercere

mu-

munus ſuum ſine operationibus ſenſuum externorum: ergo & intellectus, cum potẽtia excellentior ſit, poterit etiã exercere munus ſuum ſine operatione phantaſiæ.

25 His tamen non obſtantibus, tenendum eſt, de potentia ordinaria intellectũ noſtrũ pro hoc ſtatu, nihil actu intelligere, niſi ſimul phãtaſia ſpeculetur; ita expreſsè docuit Ariſtoteles hoc 3. lib. cap 7. text. 30. & c. 8. text. 39. quem omnes Peripatetici ſequuntur; Scotus noſter, q. 18. de anima, & in 1. diſtinct. 3. q. 3. n. 24. & quæſt. 6. num. 15 & in 2. diſt. 3. quæſt. 11. num. 9. & in 4. diſt. 45. q. 3. ad 3. principale, & in 3. diſt. 10. quæſt. 3. ad vltimum, & 7. Metaph. quæſt. 10 D. Thom. 1. part. q. 84. art. 7. & ibi Caietanus, & ex Patribus idẽ ſentiũt D. Dionyſius, cap. 7. de *diuinis nominibus*, & de cæleſti hierarchia c. 10 D. Auguſtinus 4. *ſuper geneſim ad literam*, & Nazianzenus orat. 2. *de Theologia*.

26 Hanc veram, & receptam ſententiam, probant tam Scotus, quàm D. Th & communiter Doctores à poſteriori duabus experiẽtijs; prima, qua experimur, læſa phantaſia per aliquam infirmitatem, vel ligatã per ſomnium, pariter intellectũ impediri, & ceſſare ab omni ſua intellectione, tã rerum materialium, quã ſpiritualium, tã vniuerſalium, quã ſingulariũ: ergo ſignum euidens eſt, intellectum pro hoc ſtatu pendere in ſua actuali intellectione à ſimultanea ſpeculatione phãtaſię eiuſdẽ obiecti, quod intelligi debet. Secunda, qua experimur, quãdo aliquid intelligere volumus, ſenſibilem imaginẽ illius intra nos formare; & ſimiliter quando volumus aliquid dicere, ſenſibilia exẽpla quærimus, quaſi materiã phãtaſiæ ipſius ſuppeditantes; quod minimè contingeret, ſi ad cognitionem actualem alicuius obiecti non eſſet neceſſarium pro hoc ſtatu, quòd ſimul a phantaſia actualiter percipiatur.

27 Sed quamuis experientiæ iſtæ à poſteriori optimè probẽt noſtram Ariſtotelicam, & cõmunem ſententiam; tamen in aſsignanda ratione à priori veritatis illius non omnes cõueniunt; D. Th. art. 7. citato hãc dependentiam intellectus noſtri in intelligendo, à ſimultanea cooperatione phantaſiæ ad duo capita reducit; primum eſt, quòd obiectum adæquatũ intellectus noſtri pro hoc ſtatu eſt tantùm quidditas rei materialis, ſeu ſenſibilis Secundum eſt, intellectum non cognoſcere ſingularia, ſicut cognoſcuntur à ſenſu; ſed ſolùm vniuerſalia; & ex his duobus capitibus, inquit, prouenire, quòd intellectus non poſsit aliquid intelligere, quin ſimul cognoſcatur à phãtaſia; ab intellectu in quãtum vniuerſale, & à phantaſia in quantum ſingulare.

28 Sed

Digitized by Google

28 Sed ratio iſta D. Thomæ, neque Scoto, neque pluribus alijs placuit; primò, quia non eſt verum primum, quod in ea præſupponitur, ſcilicet, obiectum adæquatum intellectus, pro hoc ſtatu eſſe ſolam quidditatem rei materialis; probabimus enim quæſt. ſequēti obiectum adæquatum intellectus, in quocumque ſtatu conſideretur, eſſe ens in tota ſua latitudine ſumptum. Secundò, quia etiam non eſt verum, intellectum non cognoſcere ſingularia; licet enim non ſolùm intellectus, ſed neque ſenſus cognoſcant ſingulare, vt ſingulare eſt, directè, hoc eſt, per ſpeciem impreſſam, ſingularitatē eius virtualiter repræſentantem, vt ex mente Scoti libro 1. Phyſicorum, diſp. 1. quæſt. 5 ſect. 2. non ſolùm aſſerui; ſed etiam duplici ratione deſumpta ex Scoto, vna à poſteriori, & altera à priori demonſtraui. Tamen (vt ibidem ex Scoto ſtatuimus) tam ſenſus, quàm intellectus cognoſcunt ſingulare, vt ſingulare eſt, cognitione indirecta, ſeu reflexa, hoc eſt, per ſpecies impreſſas, tam naturam eius ſpecificam, quàm naturas ſpecificas accidentiū, quæ principium indiuiduationis eius conſequuntur, repræſentantes, licet cum hoc diſcrimine, quòd in ſenſu, cum cauſa totalis productionis ſpeciei ſenſibilis ſolùm ſit obiectum, & hoc ſit concretum cum accidentibus, quæ principium ſuæ indiuiduationis conſequūtur, ſemper, & neceſſariò producit, non ſolùm ſpeciem ſenſibilem, ſuæ naturæ ſpecificæ repræſentatiuam; ſed etiā ſpecies ſenſibiles repræſentatiuas naturarum ſpecificarum accidentium, quæ principium ſuæ indiuiduationis conſequūtur, & ſic ſemper, & neceſſariò ſenſus percipit, ſeu verſatur (vt Ariſtoteles docuit cap. 4. huius libri) circa ſingularia. At in intellectu, cum obiectum relucens in ſenſu cōmuni, ſeu phātaſia, non ſit cauſa totalis productionis ſpeciei intelligibilis; ſed ad hoc cōcurrat etiam, & principaliter intellectus agens; hinc eſt, vt licet ſemper abſtrahat à prædicto obiecto ſpeciem intelligibilem, naturam ſpecificam illius repræſētantem, non tamen ſemper, & neceſſariò ſimul abſtrahat ſpecies intelligibiles. naturas ſpecificas accidentium, quæ principium indiuiduationis illius conſequuntur, repræſentantes, licet hoc præſtare poſſit, & ſæpè contingat. Vndè Ariſtoteles loco citato dixit, intellectū verſari poſſe, non ſolùm circa vniuerſalia, ſed etiam circa ſingularia; ſed cum hoc diſcrimine, quòd circa vniuerſalia verſatur directè, & circa ſingularia reflexè, & indirectè. Et deniq; tertiò, quia dato, quòd intellectus ſolùm cognoſceret naturas vniuerſales, & nullo mo-

modò ſingulares, non indè infertur (ſemel habita ſpecie intelligibili naturæ vniuerſalis) quòd ad intellectionem prædictæ naturæ vniuerſalis neceſſariò requiratur, quòd ſenſus actu percipiat illius ſingularia.

29 Suarez 4. de anima cap. 7. aliam aſsignat rationẽ: affirmat enim, ideò intellectũ pro hoc ſtatu pendere in ſua actuali intellectione ab actuali cognitione phantaſiæ eiuſdem obiecti; quia intellectus non recipit ſpecies, niſi dum phantaſia actualiter operatur; & ideò sẽper in operando, & cognoſcẽdo ab actuali cognitione phãtaſiæ dependet. Sed non placet, quia etiamſi verum ſit, non produci ſpecies intentionales ab intellectu agente in intellectu poſsibili ſine concurſu phãtaſmatis, ſeu, quod idem eſt, ſine concurſu obiecti, dum actualiter percipitur à phantaſia; tamen ſemel productis his ſpeciebus, & receptis in intellectu poſsibili, cum (ipſo Suarez conſentiente cap. 10.) non dependeant in conſeruari à phantaſmatibus, vndè infertur, quòd nõ poſsit intellectus poſſibilis ipſis vti ad ſuam intellectionẽ, niſi actu phantaſia circa idem obiectum operetur, & quòd læſa phantaſia, intellectus poſsibilis in ſua operatione impediatur? Niſi velit recurrere Suarez ad ſubordinationem, quam pro iſto ſtatu habet intellectus in operando ad operationem phantaſiæ, quam ipſe petitionem principij appellat.

30 Noſter ſubtilis Doctor huius dependẽtiæ intellectus noſtri in ſua actuali intellectione à ſimultanea operatione phantaſiæ, quam pro hoc ſtatu naturæ lapſæ experimur, duas aſſignat cauſas, quæ ſi non ſeparatim (vt aliqui ipſas aſſumũt) ſed coniunctim, & cum ſubordinatione vnius ad aliam accipiantur, optimè demonſtrãt à priori neceſsitatem prædictæ dependentiæ.

31 Prima; ſeu proxima cauſa huius dependẽtiæ, quam aſſignat, eſt ſubordinatio, quam intellectus noſter habet pro hoc ſtatu naturæ lapſæ in ſua intellectione ad actualem operationem phantaſiæ; ſed quia hæc ſubordinatio, etſi revera cauſa ſit prædictæ dependentiæ; non tamen eſt cauſa radicalis, quæ deſideratur; poſſumus enim iterum inquirere, quænam ſit cauſa iſtius ſubordinationis? Ideò Scotus aſsignat aliam cauſam huius ſubordinationis dicens hanc ſubordinationem, ſeu dependẽtiam, quam habet anima noſtra in intelligendo, ab operatione phantaſiæ, non eſſe à natura, aliàs in ſtatu ſeparationis, vbi non eſt operatio phantaſiæ, nõ poſſet anima intelligere. Neque etiam prouenire poteſt ex vnione ad corpus abſolutè; quia anima vnita corpori glorio-

rio-

rioſo poſt reſurrectionem non poſſet intelligere ſine ſubordinatione, ſeu dependentia ab operatione phantaſiæ, quod eſt falſum. Nec demum poteſt prouenire ratione ſtatus viatoris, ſeu in quantum vnita eſt corpori in via; quia Adamus in ſtatu innocentiæ viator fuit, & tamen pro tunc eius intellectus non erat ſubordinatus, nec dependens in ſua intellectione ab actuali operatione phantaſiæ: & quamuis hoc neque à D. Thoma, neque ab aliquibus alijs admittatur; tamen ab omnibus eſſe admittēdum, inde probat Scotus, quia anima Adami in ſtatu innocentiæ per donū iuſtitiæ originalis, quoad ſuos actus in nullo fuit ſubiecta corpori, ſed ſuper ipſum, & ſenſus ſuos, tam quoad apprehenſionem, quàm quoad appetitum: & ſic habuit plenum dominium, ita vt intelligere poſſet ſine conuerſione, vel cū conuerſione ad phantaſma; ſicut ſibi placuiſſet. Vndè optimè concludit, quaſi à ſufficiēti partium enumeratione, hanc ſubordinationem, quam habemus homines degētes in ſtatu naturæ lapſæ ad phantaſiam, & dependentiam in intelligēdo à cognitione phantaſmatum, ſolum prouenire ex lege diuina, in pœnam præuaricationis, ſeu peccati Adami; & hoc iuſtè, inquit Scotus, quia ex eo, quòd anima ſe deordinauit, dimittēdo diuinum dominium, & ſe ſubſtrahendo ab eius ſubiectione, rationabile fuit in pœnam hanc incidere; & hæc eſt ſententia D. Auguſtini 15. de Trinitate, cap. vltimo, vbi ſic ait, *quæ cauſa, cur ipſam lucem acie fixa* (id eſt, ſine conuerſione ad phantaſma) *videre non poſsit, niſi vtique infirmitas? & quis eam tibi fecit niſi iniquitas?* & pro eadem ſententia citat Scotus quæſt. 18. de anima, Hugonem *ſuper antiquam hierarchiam*, Euſtachium *ſuper librum ethicorum*, & Linconium *ſuper librum poſteriorum*.

32 Ad primam probationem ex adductis pro prima ſententia dicimus, militare poſſe cōtra eos, qui hanc ſubordinationem, ſeu dependentiam, quam de facto experimur, habere intellectum in ſua actuali intellectione ab actuali operatione phantaſię, attribuunt, vel naturæ potentiæ intellectiuæ, vel vnioni animæ ad corpus; non verò militare poſſe cōtra nos, qui cum Scoto illam attribuimus legi diuinæ, quæ illā impoſuit animabus noſtris in pœnam præuaricationis, ſeu peccati Adami. Vndè in forma reſpondemus concedendo antecedens, & negando conſequētiam; nam etiamſi verum ſit, intellectum noſtrum per receptionem ſpecierum intelligibilium habere in actu primo omnia eſſentialiter requiſita ad intelligendū; & ſimiliter phantaſiam non eſſe potentiam ſuperio-

perio-

Digitized by Google

periorem, & perfectiorem, quàm intellectũ, ſed potiùs è contra; neque ad hoc indigere, vt docet Ariſtot. aliquo alio extrinſeco motiuo; nihilominus non poteſt intellectus noſter pro hoc ſtatu naturæ lapſæ actualiter intelligere, niſi ſimul circa idẽ obiectum phantaſia operetur; quia hæc ſubordinatio, ſeu dependentia inflicta eſt noſtris animabus in pœnã preuaricationis, ſeu peccati noſtri primi parentis Adami, ſicut & plures aliæ pœnæ, quas in hoc ſtatu naturæ lapſæ patimur.

33 Ad ſecundã reſpondemus, non eſſe neceſſariũ ad ſaluãdũ, de potentia, ſeu lege ordinaria intellectũ noſtrũ nihil intelligere pro hoc ſtatu naturæ lapſæ abſque cõuerſione ad phãtaſma, vt ſemper phantaſia apprehẽdat ſingulare eiuſdẽ naturæ cũ eo, quod ab intellectu percipitur; ſed ſufficit, quòd apprehẽdat aliquod ſingulare ad placitũ ei appropriatũ: vndè cum intelligimus, Angelos phantaſiamur infantulos alatos, quia ſic placuit illos depingere; & cũ intelligimus Patrẽ æternũ, phãtaſiamur virũ grãdæuũ, &c.

34 Ad 3. dicimus, quòd ſi ecſtaſis ſit naturalis (vt cõtingere poſſe plures exiſtimãt, & exẽplificat D. Auguſt. lib 14. de *ciuitate Dei* c. 24. in quodã præſbytero nomine *Reſtitutus*, & etiã exẽplificari ſolet in Platone, Trimegiſto, & Socrate, de quibus legitur aliquãdo ecſtaſim paſſos fuiſſe) per talẽ ecſtaſim, etſi alienari poſsint homines pro hoc ſtatu naturæ lapſæ aſſenſationibus externorũ ſenſuũ, ſed nullo modo aſſenſatione phãtaſiæ; cuius ratio eſt, quia ſubordinatio, ſeu depẽdentia, quam habet intellectus noſter pro hoc ſtatu naturæ lapſæ in ſua intellectione à conſortio phãtaſiæ, nõ eſt opus naturæ (vt ex Scoto ſtabilitũ eſt) ſed pœna peccati Adami, omnibus deſcẽdẽtibus ab Adamo per ſeminalẽ propagationẽ lege ordinaria diuina inflicta, quæ ſolui nõ poteſt viribus naturæ, ſed ſolo Dei priuilegio, quibus conſonat illud D. Bernardi ſermon. 32. in Cantica, *Corporũ ſimilitudinibus ſpeculãdo non in volui, Angelicæ puritatis eſt, & munus diuinũ*; & illud Nazianzeni orat. 2. de Theologia, *Impoſsibile eſt, mentẽ, quamtumvis ſe cum fæce corporea ad ſublimium contemplationem erigat, ſenſuum commertia deſtituere.* Vndè Diuus Auguſtinus de illo præsbytero *Reſtituto*, qui naturalem ecſtaſim, quoties volebat, patiebatur, refert loco citato, quòd poſt ecſtaſim narrabat, ſe in ecſtaſi inclamantium voces, quaſi à longinquo audiuiſſe; quod ſignum eſt in prędicta ecſtaſi non omnino fuiſſe deſtitutũ ſenſuũ operationibus.

35 Si verò ſermo ſit de ecſtaſi ſupernaturali, quã pati ſolẽt viri perfecti, dicendũ eſt, optimè poſſe cõtingere cũ alienatione, non olùm enſationũ ſenſuum ex-

exteriorum, ſed etiam interioris, ſeu phantaſiæ; quia etiamſi hæc ſubordinatio, ſeu dependentia in cognoſcendo, ab actuali ſpeculatione phantaſiæ, quam experimur homines degentes in ſtatu naturę lapſæ, ortum habeat ex lege ordinaria diuina in pœnam peccati, & prævaricationis Adami, potēs eſt Deus ab actuali contractione huius pœnæ, quē voluerit, liberare ſpeciali priuilegio; nō ſecus ac dicūt Theologi, quòd etiamſi Virgo Maria incluſa fuerit in illa lege generali diuina de contrahēdo peccatū originale; & conſequenter quòd habuerit debitum remotū, illud contrahēdi in inſtanti ſuæ Cōceptionis; nihilominus ſpeciali priuilegio Deum ex meritis mortis, & paſsionis ſui vnigeniti Filij, & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, ab actuali contractione ipſam præſeruaſſe.

36 Ad quartam, & vltimam probationem, cōceſſo antecedenti, negamus conſequentiā, non ſolùm, quia oppoſitū experimur (hæc eſt ſolutio communis) ſed etiā (& eſt ratio à priori innitēs fundamēto Scoti) quia lege diuina nō eſt inflictum in pœnam peccati Adami, quòd phantaſia ſubdatur, ſeu dependeat in ſuis operationibus à ſēſibus exterioribus, ſicut inflictū eſt, quòd intellectus ſubdatur, ſeu dependeat in ſuis operationibus à ſimultanea operatione phantaſiæ, & ideò ex lege ordinaria nō poteſt intellectus noſter intelligere, niſi ſimul operetur phantaſia; benè tamen phantaſia operari poteſt, non operantibus ſenſibus exterioribus, non obſtante, quòd intellectus ſit excellentior potētia, quàm phantaſia.

QVÆSTIO II.

Quid ſit obiectum adæquatum intellectus poſsibilis?

1 PRo intelligētia ſenſus huius quæſtionis nota, obiectum intellectus noſtri poſsibilis eſſe in duplici differentia; nam aliud eſt adæquatum, & aliud *proportionatum*; obiectum adæquatum eſt illud, quod ita adæquat potentiam noſtram intellectiuam, vt in nihil, quod rationem eius non participat, tendere poſsit; & nihil ſit, quòd eius rationem participet, in quod tendere non poſsit ſuis, vel alienis viribus adiuta: obiectum verò proportionatum eſt illud, in quod poteſt potentia ſine eleuatione, vel alieno auxilio. In præſenti quæſtione non eſt ſermo de obiecto proportionato; certum eſt enim, pro hoc ſtatu, in quo noſtra cognitio pendet à ſenſibus, obiectū proportionatū noſtri intellectus ſolū eſſe quidditatem rei ſenſibilis, intelligendo pro quidditate rei ſenſibilis, nō ſolùm puram quidditatē rei ſenſibilis, ſed etiam quidquid includitur eſſentialiter, vel virtua-

Digitized by Google

tualiter, ſeu cauſaliter in illa, vt latiùs quæſtione ſequenti declarabimus; & præter communem ſententiam ita tenet Scotus in 1 diſt. 3. quæſt. 3. nu. 24. litera F. & quodlibeto 14. art. 2. *principali, litera N*. ſed ſermo eſt de obiecto adæquato, vt titulus quæſtionis præſefert.

2 Quædam ſententia ponit, obiectum adæquatum intellectus noſtri eſſe quidditatẽ rei materialis; huius ſententiæ meminit Scotus tam quæſtion. 19. de anima, quàm in 1. diſt. 3. quęſt. 3. & quodlibeto 14. artic. 2. & tribuitur D. Thomæ 1. part. quæſt. 12. art. 4. & quæſt. 84. art 7 & quæſt. 35. art. 1. & ibidem Caietano, Capreolo in 1. diſt 2. quæſt. 1. & aliquibus Thomiſtis.

3 Hanc ſententiam probat D. Thom. hoc diſcurſu; omnis potentia cognoſcitiua ex natura ſua habet ſolùm poſſe cognoſcere ea, quæ habent eundẽ modum eſſendi, ac habet ipſa potẽtia; quia obiectum, & potentia in eſſendo debent proportionari; modo ſic, potentia cognoſcitiua eſt in triplici differentia; nã quædam eſt omnino ſeparata à materia, tã in eſſendo, quàm in operãdo, vt intellectus Angelicus; & obiectũ adæquatũ, huic potentiæ correſpondens, eſt quidditas omnino ſeparata à materia, ſcilicet, quidditates ſubſtantiarum ſpiritualium, & accidentiũ ipſarũ. Alia eſt cõiuncta materię, tam in eſſendo, quàm in operãdo, vt ſunt potentiæ ſenſitiuæ, quæ non ſolùm ſunt organicę, ſed etiam non operantur, niſi medio organo; & obiecta adæquata his potentijs correſpõdẽtia ſunt ſingularia, omnino materialia. Alia denique eſt potẽtia coniuncta materiæ in eſſendo, ſed non in operando; quia operatur independenter ab organo materiali, vt intellectus noſter, & obiectum adæquatũ huius potentiæ erit ſola quidditas rei materialis, quæ etſi ſit in materia; tamen cognoſcitur ſine materia, id eſt, ſine ſingularitate.

4 Hanc ſententiam D. Thomæ ſic intellectam multis impugnat Scotus locis citatis; primò, quia ſi obiectum adæquatũ intellectus noſtri eſſet ſola quidditas rei materialis, cum Deus quidditas materialis non ſit, non poſſet ab intellectu percipi, cuius oppoſitũ docet fides de intellectibus hominũ beatorum. Quodſi reſpondeat aliquis, intellectus beatorum eleuari ad videndum Deum per habitum luminis gloriæ, optimè inſurgit Scotus, obiectum primum, id eſt, adæquatũ, habitus alicuius potentiæ continetur ſub obiecto adæquato potentiæ, vel ſaltem non excedit illud; nam ſi excederet, non eſſet habitus illius potẽtiæ, ſed alterius; ergo ſi per habitum luminis gloriæ eleuatur intellectus noſter ad videndum Deũ,

hoc eſt, quia Deus continetur ſub obiecto adæquato intellectus noſtri. Et cōfirmatur, quia cum potentia in primo ſigno naturæ, in quo eſt potentia, habeat tale, vel tale obiectum adæquatum, per nihil poſterius natura præſupponens rationē potentiæ, poteſt fieri aliud obiectum eius adæquatum; omnis autem habitus præſupponit priùs natura potentiam, cuius eſt habitus.

5 Secundo; intellectus noſter, etiam in via, poteſt cognoſcere ens ſub ratione entis, quæ eſt vniuerſalior, quā ratio quidditatis materialis, ſeu ſenſibilis; ergo quidditas rei materialis, ſeu ſenſibilis non eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri, adhuc in via. Antecedēs patet, quia aliqua ſcientia humana, ſcilicet Metaphyſica, eſt de ente, ſecundum quod ens. Cōſequentia probatur, quia nulla potētia poteſt cognoſcere aliquid vniuerſalius ſuo obiecto adæquato; tū quia eo ipſo obiectum, quod appellatur adæquatum, adæquatū non eſſet; tum etiam, quia hoc oſtendunt inſtantiæ de viſu, qui nō poteſt cognoſcere aliquid vniuerſalius colore, vel luce; & de auditu, qui non poteſt percipere aliquid vniuerſalius ſono, non alia ratione, niſi quia hæc ſunt obiecta adæquata iſtarum potentiarum.

6 Tertiò, quia deſiderium innatum, ſeu naturale eſt in intellectu cognoſcente effectum ad cognoſcendam eius cauſam, & in cognoſcēte cauſam in vniuerſali ad cognoſcendam illā in particulari, & diſtinctè; deſiderium autē innatum, ſeu naturale nō eſt ad impoſsibile ex natura deſiderantis; quia tunc eſſet fruſtra: ergo nō eſt impoſſibile intellectui noſtro ex parte intellectus cognoſcere ſubſtantiam immaterialem in particulari, ex quo cognoſcit obiectum materiale, quod eſt effectus eius, & ita obiectum adæquatum intellectus noſtri nō excludit ſubſtantias immateriales.

7 Quartò probat Scotus, obiectum adæquatum intellectus noſtri, nō eſſe ſolam quidditatem rei materialis, ſeu ſenſibilis, refellendo fundamentum, quo nititur diſcurſus D. Thom. nu. 3. adductum ad oppoſitum probandum; nam falſum eſt, inquit Scotus, quòd in eo aſſumitur, ſcilicet, ad cognoſcendum eſſe neceſſariū, quòd obiectum, & potentia cognoſcitiua habeant eundem modum eſſendi; nam viſus non ſolùm percipit hæc inferiora, ſed etiā percipit aſtra cæli, & tamē viſus, & aſtra non habent eundē modum eſſendi, cum viſus ſit corruptibilis, aſtra verò cæli ſint incorruptibilia.

8 Neque obſtat, quòd ad hanc inſtantiam reſpondet Caietanus, ſcilicet, identitatem in modo eſſendi, quæ requiritur à

D.

D.Thomã inter potentiã cognoſcitiuam, & obiectum eius, non debere eſſe ſpecificam, ſed genericam, & ideò viſum poſſe percipere aſtra cæli, quia etiã ſi viſus, & aſtra cæli nõ habeãt eundem modum eſſendi ſpecificum; habent tamen eũdem modum eſſendi genericũ, ſcilicet, eſſe miſta: nam cõtra hoc eſt, quòd in ſententia Caietani, quæ ſuſtinet, intellectũ noſtrum eſſe accidẽs, ſequeretur, intellectum noſtrum non poſſe cognoſcere ſubſtãtias, & in ſẽtentia Scoti, quæ ſuſtinet, intellectum noſtrum eſſe ſubſtãtiam, ſequeretur, noſtrum intellectum non poſſe cognoſcere accidentia, quorum vtrumque eſt falſum: ſequelę patent, quia ſubſtantia, & accidens in nullo genere conueniunt.

9 Rurſus ratio, quæ adducitur in diſcurſu D.Thomæ ad probandum, ad cognoſcendũ obiectum requiri inter potẽtiam, & obiectum eundem modum eſſendi, nimirum, quòd inter potentiam, & obiectum debet eſſe proportio, potius, inquit Scotus, oppoſitum conuincit; nã proportio, quæ requiritur in obiecto adæquato ad potẽtiã, eſt ſimilis, etiam in via D.Thomæ proportioni, quæ verſatur inter motiuum ad mobile, actus ad potentiam, cauſæ ad effectum, in quibus neceſſariò requiritur in modo eſſendi maxima differẽtia. Neque obſtat, quòd ex Ariſtotele, intelligẽs, debet fieri ipſum intelligibile; quia iam ſæpè dictum eſt, hoc non eſſe intelligẽdum de eſſe, ſeu modo eſſendi reali; ſed de eſſe, ſeu modo eſſendi intẽtionali, ſeu repræſentatiuo, quod eſſe repræſentatiuũ recipit intellectus ab ſpecie impreſſa obiecti virtualiter, & ab ſpecie expreſſa, ſeu cognitione formaliter.

10 Non me latet, inter diſcipulos D.Th. diſsidium eſſe in explicãda mente Angelici Doctoris; nã Caietanus in articulũ 4.q.12 primæ partis D.Thomæ, etſi ita lubricus ſit, vt vix capias eius mentem; tamen ad 4. *& in corpore expoſitionis* admittit ſecundum D.Thomã, quidditatem rei materialis eſſe obiectum intellectus humani, nõ qualecumque, ſed ex natura potentiæ, & conſequenter adæquatum, & idem ſentiunt Capreolus loco ſupra citato, & aliqui alij Thomiſtæ; imò Scotus noſter in hoc ſenſu intellexit ſententiam D. Thomæ, & in eodem rationibus ſupra factis illam impugnauit. Et ſuaderi poteſt, quòd hæc fuerit mens D.Thomæ, quia eodem modo loquitur de intellectu humano, aſsignando ei obiectum, ac loquitur de ſenſu, & de intellectu Angelico; ſed de his loquitur 1. parte, quæſt.85.art.1. ſecundum naturam ſuam; ergo & de intellectu humano. Item ratio D. Thomæ de proportione in mo-

modo eſſendi requiſita inter potentiam cognoſcitiuam, & obiectũ eius, qua vſus eſt ad probandum, obiectum intellectus noſtri eſſe quidditatem rei materialis, ſi quid probaret, probaret vtique, quidditatem rei materialis eſſe obiectum intellectus noſtri, non ſolùm pro hoc ſtatu, ſed etiam ex natura potentiæ, ſeu adæquatum; quia anima noſtra ex natura ſua non ſolùm pro hoc ſtatu, ſed etiam pro futuro eſt forma corporis, petens eſſe in materia.

11 E contrario verò Iauellus 3. de anima quæſt. *de obiecto poſſibili*, quem communiter recẽtiores Thomiſtæ ſequuntur, aſſerit, ſecundum D. Thomam intellectum noſtrum ex natura ſua ſe extendere ad omne ens, & conſequenter obiectum adæquatum eius eſſe ens reale in tota ſua latitudine ſumptum; quidditatem verò ſenſibilem ſolùm eſſe obiectum proportionatum intellectus noſtri pro hoc ſtatu, in quo omnis noſtra cognitio dependet à ſenſibus: & iuxta hanc expoſitionẽ ſententia D. Thomæ non differt à ſentẽtia Scoti; nã etiamſi Scotus ſuſtineat, ens reale in tota ſua latitudine ſumptũ, eſſe obiectum adæquatum intellectus noſtri; non tamen negat, ſed potiùs affirmat locis nu. 1. citatis ſolam quidditatem rei ſenſibilis pro hoc ſtatu eſſe obiectũ proportionatũ intellectus noſtri, intelligẽdo nomine quidditatis ſenſibilis, non ſolùm ipſam quidditatem ſenſibilem, ſed etiam quidquid includitur, vel eſſentialiter vel virtualiter, ſeu cauſaliter in illa. Porrò ſecundum D. Thomam intellectum noſtrum ex natura ſua ſe extendere ad omne ens, & conſequenter ens in tota ſua latitudine eſſe obiectum adæquatum intellectus noſtri, patet ex verbis eius; nam 1. part. quæſt. 79. art. 7. ſic ait, *Intellectus recipit ſuum obiectum ſecundum communem rationem entis, eo quòd intellectus poſſibilis eſt, quo eſt omnia fieri. Vndè ſecundum nullam differentiam entium diuerſificatur intellectus poſſibilis*; quid clarius?

12 Sed quidquid ſit de iſta controuerſia, quæ, vt dixi, verſatur inter Diſcipulos D Thomæ in explicando mentẽ eius; tenendum eſt cum Scoto noſtro in 1. diſt. 3. q. 3. num. 8. & in 4. diſt. 49. quæſt. 11. & de anima quæſt. 19 obiectum adæquatum intellectus noſtri eſſe ens reale in tota ſua latitudine ſumptum. Hæc ſententia (quæ iam eſt communis inter recẽtiores, licet aliqui lubricè loquantur) probatur ratione à priori hoc diſcurſu; illud eſt obiectum adæquatum motiuũ, & ſpecificatiuũ alicuius potentiæ (hæc enim ſynonyma sũt) quod ita adæquat potentiam, vt in nihil, quod rationẽ eius nõ participat, tendere poſsit, & nihil ſit, quod eius rationẽ partici-

Digitized by Google

pet,in quod tendere non poſsit ſuis,vel alienis viribus adiuta; ſed intellectus noſter in nihil tendere poteſt, quod rationem entis veri, vel apparentis non participat; & inſuper nihil eſt, quod eius rationē non participet,in quod tendere nō poſsit, ſaltem alterius viribus adiutus; ergo ens reale in tota latitudine ſumptum eſt obiectum adęquatum,motiuū,& ſpecificatiuum intellectus noſtri. Maior huius diſcurſus eſt per ſe nota, & exēplicari poteſt inductione facta per omnes potētias,& eorū obiecta adæquata diſcurrendo. Minorē probant rationes Scoti ſupra adductæ ad probandū, quidditatē rei ſenſibilis,etſi ſit obiectum proportionatū noſtri intellectus pro hoc ſtatu,non tamē eſſe obiectū illius adæquatū,& ex natura potentiæ,vt ſuſtinebat Caietanus ex mente D.Thomæ, quas diſſimulauit Caietanus, quia diſſoluere nequiuit,ſunt enim indiſſolubiles.

13 Sed contra diſcurſum factum poſſunt aliqua obijci; primum, intellectus noſter ſe extendit ad cognoſcēda entia rationis,quibus eo ipſo repugnat eſſe entia realia: ergo ens reale, etiāſi ſumatur in tota ſua latitudine, non erit obiectum adæquatum intellectus noſtri; ſed aliquid ſuperius, & commune,abſtractum ab enti reali, & rationis, quæ cum ſint æquiuoca, non poteſt aſsignari, neque eſt dabile.

14 Reſpondetur, quòd ſicut ſub obiecto adæquato voluntatis,non ſolùm continetur bonum,quod revera eſt tale; ſed etiam bonū apparens,& quod revera nō eſt bonū; ita ſub obiecto adæquato noſtri intellectus,non ſolùm continetur ens reale,quod revera tale eſt, ſed etiā quod apparet ens reale,licet revera tale non ſit: conſtat autē entia rationis, quæ revera entia realia non ſunt, à nobis ſemper concipi ad modū entis realis,imò in hoc conſiſtere eorum eſſe. Vndè hæc inſtantia potiùs confirmat,quàm impugnat ſententiam noſtram.

15 Secundū in ſententia Scoti ens,etſi includatur quidditatiuè in omnibus generibus, & in omnibus ſpeciebus, & indiuiduis, & in partibus eorum; non tamen includitur quidditatiuè in paſsionibus eius,& in ſuis modis intrinſecis, & in vltimis differentijs; ſed paſsiones entis, modi intrinſeci eius, & vltimæ differentiæ ſunt per ſe intelligibiles ab intellectu noſtro:ergo ens,etiam in tota ſua latitudine ſumptum nō eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri,ex mente Scoti.

16 Reſpondetur ex doctrina Scoti in 1.diſt.3.quæſt.3.§. *Ad quæſtionem* (quam ex profeſſo expendimus in ante prædicamentis cap.1.diſp.2.q.1.) licet ens quid,id eſt, ens potentiale,& contrahibile ad ſua in-

Digitized by Google

feriora non includatur quidditatiuè, neque in ſuis paſsionibꝰ, neque in ſuis modis intrinſecis, neque in differentijs vltimis, ſicuti includitur in generibus, ſpeciebus, & indiuiduis, & partibus eorũ; nihilominus paſsiones entis, modos eius intrinſecos, vltimas differentias, entia realia eſſe, licèt non in *quid*, id eſt, potentialia, & cõtrahibilia, ſaltẽ in *quale*, id eſt, qualificatiua, cõtractiua, & determinatiua. Vndè ex hac doctrina Scoti non rectè infertur, ex eo quòd paſsiones entis, modi intrinſeci eius, & vltimæ differentiæ per ſe cognoſcantur ab intellectu noſtro, ens in tota ſua latitudine ſumptũ, ex mente Scoti nõ eſſe obiectũ adæquatum intellectus noſtri; nã etiãſi ex doctrina Scoti, paſsiones entis, modi intrinſeci eius, & vltimæ differentiæ non ſint entia quidditatiua, id eſt, potẽtialia, & cõtrahibilia; ſunt tamẽ entia qualificatiua, id eſt, cõtrahentia, & determinantia entia quidditatiua: ſed quod debet inferri, eſt id, quod acutè loco citato intulit Scotus, nimirũ, quòd etiãſi ens reale in tota ſua latitudine ſumptũ, ſit obiectũ adæquatũ, & primariũ intellectus noſtri; ſed nõ primitate cõmunitatis, & prædicationis quidditatiuæ; quia nullus datur conceptus entis, qui ſit cõmunis, & quidditatiuè incluſus in omnibus per ſe intelligibilibus, ſed primitate virtutis, quia omnia entia, tam quidditatiua, quàm qualificatiua virtutẽ habẽt mouẽdi per ſe intellectum noſtrũ ad ipſorũ cognitionem: quæ doctrina, quia acuta eſt, declarari poteſt exemplo viſus, qui per ſe non ſolũ percipit colorẽ, ſed etiam lucẽ; nihilominus, quia neque color includit quidditatiuè lucẽ, neque è contra, imò neque poteſt aſsignari aliquod viſibile, quod ſit cõmune colori, & luci, & in eis quidditatiuè incluſum; ideò omnes admittere tenemur, etſi viſus habeat vnũ obiectum adæquatum, & primarium, aliàs non eſſet vnica, & per ſe potentia; nihilominus hoc eius obiectum adæquatũ non eſſe vnum, & primarium vnitate, & primitate communitatis, & prædicationis quidditatiuæ; ſed vnitate, & prioritate virtutis; quia tam color, quã lux habent ex ſe virtutem mouendi per ſe potentiam viſiuam ad ipſorum perceptionẽ.

17 Sed dubitat Scotus locis citatis, an enti conueniat eſſe obiectum adæquatum, & primarium intellectus noſtri, in quantum ens; an verò in quãtum verũ, quæ eſt propria paſſio entis, & ita tranſcendens, ac ipſum ens? Et pro parte aſſerẽte, ens eſſe obiectũ adæquatũ, & primarium intellectus noſtri, non in quantum ens, ſed in quantum verum, adducit ſequentes rationes.

18 Prima; diſtinctæ potentiæ habẽt diſtincta obiecta formalia

lia

lia ex Ariſt. 2. de *anima*; ſed intellectus, & volũtas ſunt diſtinctæ potentiæ (ſaltem ex natura rei formaliter) ergo habent diſtincta obiecta formalia; quod ſubſiſtere non poſſet, ſi ens, in quantum ens, & non in quantum verum, ponatur obiectum adæquatum, & primarium noſtri intellectus.

19 Secunda; ens ex ſe eſt cõmune ad ſenſibile, & ad intelligibile; obiectum autem propriũ alicuius potentiæ eſt obiectum eius ſub aliqua propria, & determinata ratione: ergo ad hoc, vt ens ſit proprium obiectum intellectus, oportet, quòd determinetur, & contrahatur per aliquid ad eſſe intelligibile, & per quod excludatur ens ſenſibile; tale autem contrahẽs non videtur eſſe aliud, quàm *verum*; nam verum ex ſe dicit rationem manifeſtatiui, & intelligibilis.

20 Tertia; obiectum non eſt proprium alicuius potẽtiæ, niſi in quantum eſt proprium motiuum illius potentiæ; ſed nihil eſt motiuum alicuius potentiæ, niſi ſecundum quod habet habitudinem ad eã; ens autẽ, in quantum ens non habet habitudinem ad intellectum, ſed illam ſolùm habet in quantum verum, iuxta illud Anſelmi *de veritate cap.* 11. *Veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis*; ergo ens, non in quantum *ens*, ſed in quantum *verum* eſt proprium, primarium, & adæquatum obiectum intellectus noſtri.

21 His tamen non obſtantibus, optimè reſoluit Scotus locis citatis, enti cõpetere rationẽ obiecti adæquati, & primarij noſtri intellectus non ratione veri, quod eſt propria eius paſſio, ſed ratione ſua eſſẽtiali entis; quod multis probat. Primò & eſt ratio fundamẽtalis; quia ſi *verũ* eſſet ratio prima, & adæquata rerũ intelligibilium, vel hoc eſſet, quia quidditatiuè includitur in omnibus per ſe intelligibilibus, non ſecus, ac ratio *ſoni* includitur quidditatiuè in omnibus per ſe audibilibus, & ratio *odoris* in omnibus per ſe olfactibilibus; vel ſaltẽ quia virtus *veri* eſſet prima, & adæquata ratio mouendi intellectũ ad cognitionẽ omniũ per ſe intelligibilium, nõ ſecus, ac oſtenſum eſt de ente in tota ſua latitudine ſumpto; ſed *verũ* nõ includitur quidditatiuè in omnibus per ſe intelligibilibus; quia cum ſit paſsio entis, non poteſt quidditatiuè includi in ente, neque in aliquo per ſe inferiori ad ens, neque etiam eſt prima, & adæquata ratio mouendi intellectũ ad cognitionẽ omnium per ſe intelligibiliũ; nam ens in quantũ ens, & omnia per ſe inferiora eius, in quãtum entia per ſe intelligibilia ſunt, & prius natura, quã paſsiones eius intelliguntur; ergo ratio veri non poterit eſſe virtus motiua intellectus noſtri: ad prædictas intellectiones entis

pa-

patet conſequentia, quia nihil poteſt eſſentialiter dependere à ſuo natura poſteriori.

22 Secundo; *verum* eſt paſſio entis, & cuiuslibet inferioris ad ens; ergo intelligēdo ens, & quodcūque inferiùs ad ens præcisè ſub ratione *veri*, non intelligitur ſub ratione eius quidditatiua; ſed cognitio cuiuſcumque ſecundum rationem eius quidditatiuam eſt prima, & perfectior cognitio, quę de eo haberi poteſt ex Ariſtotele 7. Metaph. tex. 4. ergo nulla cognitio de aliquo præcisè ſub ratione *veri* eſt prima cognitio obiecti; & conſequenter ratio *veri* in entibus non erit prima & adæquata ratio cognoſcēdi omnia per ſe cognoſcibilia ab intellectu noſtro, ſed potiùs ipſa ratio eſſentialis entis.

23 Tertiò; quod ſecundum propriam rationem, qua diſtinguitur ab alio, intelligi poteſt, non intelligitur ſub ratione eius à quo diſtinguitur; ſed bonum ſub propria ratione boni, & qua diſtinguitur à vero, intelligi poteſt; ergo non intelligitur ſub ratione veri: ſed omne, quod intelligitur, intelligitur ſub ratione formali, primaria, & adæquata obiecti intellectus noſtri; ergo ratio veri in entibus per ſe intelligibilibus non eſt ratio formalis, primaria, & adæquata obiecti intellectus noſtri.

24 Quartò, & eſt confirmatio rationis præcedentis; quidquid eſt volitum ſub aliqua ratione, ſub eadem debet eſſe intellectum, quia ex D. Auguſtino 10. de Trinitate, & ex communi omnium Philoſophorum ſententia, *nihil volitum, quin præcognitum*; ſed voluntas poteſt velle bonum ſub ratione boni, & nō ſub ratione veri; ergo & intellectus noſter poterit intelligere rationem boni, non intellecta ratione veri; & conſequenter ratio veri non erit in entibus ratio formalis, primaria, & adæquata obiecti intellectus noſtri.

25 Ad primam rationem, quæ intendebat probare, quòd intellectus, & voluntas non eſſent potentiæ diſtinctæ (adhuc ex natura rei formaliter) ſi ens in quantum ens, & non in quātum verum ponatur obiectum primarium, & adæquatum noſtri intellectus, primò reſpōdet Scotus quæſt. 20. de anima numer 5. magis concludere propoſitum, quàm oppoſitū; quia impoſsibile eſt, aliquid eſſe volitum ſub aliqua ratione, quæ priùs non ſit cognita; ergo ad diſtinctionem potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ non requiritur, quòd habeant diſtincta obiecta.

26 Secundò, & directè reſpondet, quòd potentiarū animæ quędā ſunt diſparatæ, quędam ſubordinatæ, & iſtarum quædam ſunt in eodem genere, vt apprehenſiuæ, quædam in

Digitized by Google

in diuerſis, vt apprehenſiuæ comparatæ ad appetitiuas. Si potentiæ ſint diſparatæ, habent obiecta omnino diuerſa, vt quinque ſenſus exteriores. Si autem ſint ſubordinatæ, & in eodem genere, habent etiam obiecta ſubordinata; nam omnia obiecta ſenſuum exteriorum ſunt etiam obiecta ſenſus interioris, licet ſenſus interior perfectiori modo illa attingat; nam diſtinguit inter illa, quod non præſtant externi ſenſus; & ſimiliter intellectus cognoſcit omnia obiecta ſenſuum, licet perfectiori modo. Si demum potentiæ ſubordinatæ ſint alterius generis, ſicut ſunt intellectus, & voluntas; nam vna eſt apprehenſiua, & altera appetitiua, tunc dicendum eſt, quòd ſi eſſent adæquatæ, id eſt, quòd in tot poſſet vna, in quot poſſet alia, haberent idem obiectum formale, primarium, & adæquatum. At ſi adæquatæ non ſint, vt contingit in volũtate, & intellectu; volũtas enim ſolùm verſatur circa finem, & ea, quæ ſunt ad finem; intellectus vero nõ ſolùm circa hæc, ſed etiam circa neceſſaria, & impoſsibilia; tunc dici non poteſt, quòd intellectus, & voluntas habent idem obiectum formale, primarium, & adæquatum, non obſtante, quòd obiecta voluntatis attingantur ab intellectu, & ſub obiecto adæquato eius contineantur.

27 Sed obijcit ſibi Scotus auctoritatem Ariſtotelis ex 2 de anima, *Potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta*; cui reſpondet, *Hoc non dixiſſe Philoſophum ſed quod priùs oportet conſiderare actus, quàm potentias, & obiecta, quàm actus; quia ſunt priora quoad cognitionem noſtram; tamẽ actus non ſunt principium eſſendi potentiæ, vel priùs perfectione; imo poſteriores, quia ſunt effectus potentiarum: benè igitur ſequitur, ſi obiecta ſunt diuerſa, quòd potentiæ ſint diuerſæ, non tamen è contra, ſi obiecta ſunt idem, vel non differunt, quòd potentiæ non differant; nam eſt fallacia conſequentis à deſtructione antecedentis; plura enim requiruntur ad entitatem aliquorum, quàm ad diſtinctionem eorum: exemplum ſit in motu; motus enim diſtinguitur penes terminos, ita quòd ſi termini ſunt diſtincti, etiam & motus diſtincti ſunt; ſed non ſequitur, ſi terminus ſit idem, quòd motus ſit idem; diuerſi enim in ſpecie motus eſſe poſſunt ad eundem terminum, ſicut circularis, & rectus, vt vult Philoſophus 5. Phyſicorum textu 33. & 34. Ita eſt in propoſito.* Hæc Scotus; ex qua doctrina infertur, etiam hypoteſi, quòd potentiæ ſubordinatæ alterius generis, vt ſunt intellectus, & voluntas, eſſent adæquatæ, id eſt, quòd in tot poſſet vna, in quot poſſet alia, & conſequenter habentes idem obiectum primarium, & adæquatum, adhuc eſſent ſaltem ex natura rei formaliter diſtinctæ ex diuerſo modo tendendi in illud, nã in-

Digitized by Google

intellectus tenderet in illud apprehendendo; voluntas verò appetendo.

28 Ad ſecundam, optimè reſpondet idem Scotus deducẽdo prædictam rationem ad oppoſitum; nam cum in potentijs ſubordinatis in eodem genere, vt ſunt ſenſitiua, & intellectiua, obiectum proprium, & proportionatum potentiæ ſuperiori, qualis eſt intellectus, debeat eſſe commune obiecto proportionato potentiæ inferiori, potius ex iſta ratione ſequitur, quòd obiectum proprium, & proportionatum noſtro intellectui debeat eſſe ens in cõmuni; nã ſolũ ens in cõmuni eſt cõmune ad ſenſibile, & intelligibile. Vndè iſta abſtractio, quæ videtur eſſe non appropriatio, revera eſt appropriatio, & determinatio obiecti reſpectu potentiæ ſuperioris, qualis eſt intellectiua. In forma ergo reſpondet ad ſecundam rationem, communitatem entis ad ſenſibile, & inſenſibile eſſe rationem appropriandi ipſum potentiæ ſuperiori, ſcilicet, intellectui, non verò rationem veri.

29 Ad tertiam reſpondet Scotus, deducendo etiam illam ad oppoſitũ; nam ſi obiectum nõ eſt proprium alicuius potẽtiæ, niſi in quantum eſt proprium motiuum illius, vt aſſumitur in prædicta ratione, cum nullus reſpectus ſit proprium motiuũ potentiæ, ſed aliquid abſolutũ, ad quod ſequitur reſpectus, quod infertur, eſt, quòd ſi *verũ* conſiſtit in habitudine, ſeu reſpectu ad intellectum, vt ratio etiam aſſumit, verum non poſſe eſſe proprium motiuum intellectus; & conſequenter, neque proprium obiectum eius, ſed potius ens, quod eſt abſolutum, ad quod ſequitur. In forma ergo reſpondet, quòd etiãſi nihil moueat potentiam ſine habitudine ad illam, hoc non eſſe, quia prædicta habitudo ſit principium mouendi potentiam; ſed quia neceſſariò ſequitur ad illud abſolutum, quod eſt principium mouendi, vt viſibile ad colorem, audibile ad ſonum, &c. & in præſenti intelligibile ad ens.

QVÆSTIO III.

Quæ obiecta eſt inadæquatis cognoſcere poſſit intellectus noſter pro hoc ſtatu, & quomodo illa cognoſcat?

1 OBiecta inadæquata alicuius potentiæ appellãtur (vt diſp. 2 huius libri quæſt. 3. lect. 1. nu. 2. annotaui) omnia illa obiecta, quæ etiamſi inter ſe comparata diuerſa in ſpecie ſint; tamen ratione obiecti adæquati, quod includũt, poſſunt per ſe terminare diuerſos actus in ſpecie illius potentiæ, cuius dicuntur obiecta inadæquata. Et quia plura ſunt obiecta inadæquata intellectus no-

noſtri, de quibus dubitari poteſt, an cognoſcantur ab intellectu noſtro pro hoc ſtatu, in quo noſtra cognitio pendet à ſenſibus, & dato, quòd cognoſcantur, iterum dubitari poteſt, quomodo cognoſcantur? meritò nunc indagamus, quæ ſint obiecta ex inadæquatis intellectus noſtri, quæ pro hoc ſtatu ab ipſo cognoſci poſſunt, & quomodo pro hoc ſtatu illa cognoſcat? quod per ſingula obiecta inadæquata diſcurrēdo exactè declarabimus.

2 Et in primis, ſi ſermo ſit de quidditatibus rerum per ſe ſenſibilium, vt ſunt omnes quidditates accidentium materialiũ, conueniunt omnes per ſe, & directè poſſe cognoſci pro hoc ſtatu ab intellectu noſtro, id eſt, nō per alienas, ſed per proprias eorum ſpecies impreſſas: & ratio eſt quia quidditates rerum per ſe ſenſibilium per ſe, & directè, & per proprias earum ſpecies percipiuntur, tam à ſenſibus exterioribus, quàm à ſenſu interno; ergo etiamſi intellectus noſter pro hoc ſtatu in ſua cognitione pendeat à ſenſibus, nihil obſtabit ad hoc, vt prædictis quidditatibus, vt relucent in interiori ſenſu, miniſterio intellectus agentis abſtrahantur, ſeu producantur in intellectu paſsibili ſpecies intelligibiles earum, ipſas per ſe, & directè virtualiter repræſentantes, & conſequenter; quòd per ipſas intellectus poſsibilis, ipſas per ſe, & directè intelligat.

3 Solùm eſſe ſolet difficultas in explicando, an per eandem numero ſpeciem impreſſam, per quam cognoſcitur quidditas ſenſibilis ſpeciei infimæ, puta albedinis, cognoſcantur etiam quidditates ſuperiores, quæ in ipſa albedine quidditatiuè includuntur, puta coloris, qualitatis, &c.? & reſpondetur, abſque dubio per eandem numero ſpeciem cognoſci; nam ſicut in quidditate ſpeciei infimæ, puta albedinis, prædicata quidditatiua, tam ſuperiora, quàm inferiora, non obſtante, quòd adinuicem comparata formaliter diſtinguantur, ſunt idem realiter, & conſequenter numero; ita in ſpecie impreſſa quidditatis albedinis, formalitates, quæ correſpondent prædicatis quidditatiuis illius, tam ſuperioribus, quàm inferioribus, non obſtante, quòd adinuicem comparatæ formaliter diſtinguãtur, in prædicta ſpecie realiter identificari debent; & cōſequenter eſſe eadem numero; nam ſpecies impræſſa cum obiecto, quod virtualiter repræſentat, in omnibus proportionari debet.

4 Primùm, quod vertitur in dubium, eſt, an intellectus noſter pro hoc ſtatu cognoſcat quidditates rerum ſenſibiliũ, vt determinatæ, & contractæ ſunt ad eſſe ſingulariũ; & cōſequen-

quenter dicendum ſit, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu cognoſcere quidditates rerum ſenſibilium ſingulares, in quãtum ſingulares ſunt, proprio, & diſtincto conceptu, & inſuper dato, quòd ſic cognoſcantur, quomodo cognoſcantur?

5 Circa primum, ſunt, qui exiſtiment, intellectum noſtrũ pro hoc ſtatu non cognoſcere quidditates rerum ſenſibilium ſingulares, in quantum ſingulares ſunt, proprio, & diſtincto conceptu; pro hac ſentẽtia citat Suarez 4. libro de anima c. 3. Philoponum, & Alexandrũ 3. *de anima cap.* 8. Themiſtium *cap.* 20. Auerroem *commento* 9. Mirandulanum *lib.* 23. *de euerſione ſingularis certaminis ſect.* 4. Aureolum *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 4. *art.* 1. Capreolum *ibidem quæſt.* 2. Caietanum 1. *p. q.* 86. *art.* 1. Ægidium, *quodlibeto* 1. *quæſt.* 9. Imò Scotus noſter citat pro ea D. Thomam 1. *part. quæſt.* 86. *art.* 1. *ad* 3.

6 Probari poteſt hæc ſentẽtia primò ex Ariſtotele, qui nõ ſolùm 2. de anima, cap. 5 ſed etiam 1. poſteriorum cap. 20. & 5. Metaph. cap. 6 conſtituit differẽtiam inter intellectum, & ſenſum, quòd ſenſus ſit ſingularium, intellectus vniuerſalium. Secundò, & eſt ratio D. Thomæ, materia eſt principiũ indiuiduationis, ſeu ſingularitatis; ſed intellectus omnia, quæ cognoſcit, cognoſcit abſtracta à materia, & à conditionibus materialibus; ergo intellectus noſter nullum corũ, quæ cognoſcit, poterit eſſe ſingulare, ſed potiùs vniuerſale. Tertiò, nulla datur ſpecies impreſſa repræſentatiua ſingularitatis: ergo intellectus noſter non poteſt cognoſcere ſingulare, in quantum ſingulare eſt: patet conſequentia, quia intellectus noſter nõ aliter, quàm per ſpecies cognoſcit.

7 Sed vera ſententia docet, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu quidditates rerum ſenſibilium, ſingulares, in quantum ſingulares ſunt, proprio, & diſtincto conceptu illas percipere: & dico notanter, *proprio, & diſtincto conceptu*; nã de hoc conceptu procedit difficultas; nã cognoſci conceptu confuſo, aut aliquo alio modo, neque auctores citati pro prima ſententia, neque vllus alius negauit: ita Scotus non ſolùm *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 3. ſed etiam *in* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 4 & *quæſt.* 22 *de anima num.* 4. quem omnes diſcipuli ſequuntur; & ex alijs Gregorius *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *artic.* 1. Ricardus *in* 2 *diſt.* 24 *quæſtio.* 4. *circa* 3. *principale*, Durãdus *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 1. Iandunus 3. *de anima, q* 11. Fonſeca *q.* 3. Conimbricenſes *cap.* 8. *quæſt.* 5. Suarez *lib.* 4. *de anima cap.* 3. Toletus 3. *de anima quæſt.* 12 & inter Scotiſtas videri poſſunt Antonius Andreas 7 *Metaph. quæſt.* 13. & Antonius Trombeta *ibidem q.* 7. qui fusè hãc difficultatẽ attingunt.

8 Hanc

Digitized by Google

8 Hanc ſententiam probat Scotus manifeſtis inſtātijs; prima, ſicut cōcluſiones cognoſcimus ſyllogiſmo; ita principia inductione, vt docet Ariſtoteles 2. *priorum cap.* 29. & 1. *topicorum cap.* 10. ſed inductio eſt proceſſus à ſingularibus, proprio, & diſtincto conceptu cognitis ad vniuerſalia; ergo intellectus noſter pro hoc ſtatu, proprio, & diſtincto conceptu cognoſcit ſingularia.

9 Secunda; intellectus noſter diſcernit ſingulare ab vniuerſali, Petrum, ſcilicet, ab homine; ergo vtrumque cognoſcit proprio, & diſtincto conceptu. Hac enim ratione probauit Ariſtoteles in hoc 3. de anima, dari ſenſum internum communem, id eſt, cognoſcentē omnia obiecta ſenſuum externorum; quia, ſcilicet, datur ſenſus diſtinguens inter prædicta obiecta; quod præſtare nō poſſet abſque prævia ipſorum propria, & diſtincta perceptione.

10 Tertia; ignota non poſſumus diligere, *quia nihil volitum, quin præcognitum*; ſed diligimus ſingulare, iuxta illud 1. canonicæ Ioannis, *qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deū, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* ergo ſingulare cognoſcitur ab intellectu noſtro. Nec valet, ſi dicas (inquit Scotus) quòd ad dilectionem ſingularis ſufficit cognitio vniuerſalis; nam ſequeretur, quòd diligeremus ſingulare, quod numquam fuit cognitum à ſenſu.

11 Ratio à priori deſumitur ab Scoto ex vniuerſalitate, & ſuperioritate potentiæ intellectiuæ; eſt enim ſuperior, & omnia potens attingere, quæ attinguūtur à ſenſibus exterioribus; imò dirigens illos, errores illorum corrigendo; ſed ſenſus ſingularia percipiunt propriè, & diſtinctè; ergo meliùs, & perfectiùs poterit intellectus, id præſtare.

12 Ad auctoritates Ariſtotelis in contrarium adductas reſpōdetur, quòd quando Ariſtoteles docet, ſenſum eſſe ſingularium; intellectum verò vniuerſalium, ſolùm intendere, ſenſum tantùm ſingularia percipere, intellectum verò non tātùm, ſed vltra ſingularia, etiam ad vniuerſalia ſe extendere.

13 Ad primam rationem, quæ erat D. Thomæ, reſpōdet Scotus, in multis deficere; nam in primis deficit in maiori, quam aſſumit, ſcilicet, materiam eſſe principium indiuiduationis; nam principiū indiuiduationis non deſumi à materia, ſed potiùs à tota intrinſeca entitate rei, latè oſtendimus cū Scoto 1. *Phyſicorum, diſp.* 6. *q.* 1. *tribus ſectionibus*. Deficit etiam in minori, nam cum in ea dicitur, intellectum omnia, quæ cognoſcit, cognoſcere abſtracta à materia, & à cōditionibus materialibus, æquiuocum eſt; nā ſi per hoc intelligatur, ſpecies impreſſas, per quas intelligit in-

intellectus, debere eſſe in ſua entitate ſpirituales, & nō materiales, verum eſt; ſed non ad rē; ſiquidem ſpecies impreſſæ, per quas intellectus noſter intelligit res materiales, in ſua entitate ſpirituales ſunt, non obſtante quòd obiectum, quod virtualiter repræſentant, quid materiale ſit. Si verò intelligatur, obiectum noſtri intellectus nō eſſe aliquid conſtans ex materia, & forma, etiam in ſententia D. Thomæ, quæ ponit, pro hoc ſtatu obiectum noſtri intellectus eſſe quidditatem rei materialis, falſum eſt. Si demū (& magis ad rem, & iuxta mētem D. Thomæ) nomine materiæ non intelligatur materia prima, & quæ eſt vna ex partibus eſſentialibus, ex quibus omne ens naturale coaleſcit, ſed potius intelligantur principia indiuiduationis, quæ in phraſi Ariſtotelica materia appellari ſolent, eo quòd non ſint principia diſtinguendi formaliter, ſeu eſſentialiter, ſed materialiter, & numericè; dicere intellectum omnia, quæ cognoſcit, cognoſcere abſtracta à materia, id eſt, à differentijs indiuidualibus, ſeu ſingularibus, petitio principij eſt; hoc enim eſt, quod negamus, & quod ſit falſum, optimè probat Scotus, ex eo quòd abſtractio naturæ vniuerſalis à particularibus fit ab intellectu poſſibili, non autem ab agente, cuius tantum eſt abſtrahere ſpeciem intelligibilē à phantaſmate; ergo ſi intellectus poſſibilis eſt, qui per ſuam cognitionem abſtrahit naturā vniuerſalem à naturis particularibus, negari non poteſt, intellectum poſſibilē cognoſcere, proprio, & diſtincto conceptu naturas particulares, in quantum particulares ſunt; quia impoſsibile eſt, per cognitionem abſtrahere vniuerſalem naturam à particularibus, quin naturæ particulares, in quantum particulares, & conſequenter proprio, & diſtincto conceptu, cognoſcantur; aliter enim intellectus abſtraheret ignorando, à quo abſtraheret, quod in dictis includit contradictionem.

14 Ad ſecundam rationem, quæ tertio loco adducebatur, conceſſo antecedenti, negamus conſequētiam, & ad probationem dicimus, non rectè inferri, ex eo quòd non dentur ſpecies impreſſæ repræſentatiuæ ſingularitatum, intellectum noſtrum non cognoſcere proprio, & diſtincto conceptu res materiales, ſingulares; nam etiamſi ad cognoſcendum indigeat ſpeciebus; tamen a cognoſcendum ſingularia materialia, proprio, & diſtincto conceptu, licet non per ſe, & directè, ſed per accidens, & reflexè, ſufficiunt ſpecies repræſentatiuæ quidditatum, accidētium, quæ ad ſingularitatem, ſeu principium indiuiduationis conſequuntur, vt ſunt ſeptem

Digitized by Google

tem illa, quæ enumerauit Porphyrius, *forma, figura, locus, &c.* quibus ſingulares naturæ à parte rei ſunt concretæ, & ex mẽte Scoti docuimus lib. 1. Phyſic. diſp. 1. q. 5. ſect. 2. & ſtatim iterum expendemus.

15 Circa ſecundum, ſcilicet, quomodo intellectus noſter pro hoc ſtatu, proprio, & diſtincto conceptu cognoſcat quidditates rerũ ſenſibiliũ ſingulares, in quantũ ſingulares ſunt? maior eſt difficultas. Sunt qui exiſtimẽt, intellectũ noſtrũ pro hoc ſtatu cognoſcere quidditates rerũ ſenſibiliũ, ſingulares proprio, & diſtincto conceptu, per ſe, & directè, id eſt, non per accidẽs, & per alienas ſpecies, ſed per ſpecies impreſſas ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis, quibus ad eſſe huius ſunt contractæ, per ſe, & directè repræſentantes; ita Suarez libro 4. de anima cap. 3. concluſione 2. num. 5. Auerſa tomo 2 quæſt. 58. ſectione 4. qui pro eadem ſententia citat Ricardum in 2. diſt. 24. quæſt. 4. Durandum diſt. 3. quæſtio. 7. Gregoriũ in 1. diſt. 3. quæſt. 1. & alios; imò pro ipſa citat Scotum in 4. diſt. 45. quæſt. 3. immeritò ſanè; licet enim ibi Scotus affirmet, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu, proprio, & diſtincto conceptu cognoſcere ſingularia; tamen quòd hoc præſtet per ſe, & directè, id eſt, non per accidens, & per alienas ſpecies, nimirũ, quidditatum accidentium, quæ principium indiuiduationis conſequuntur, & quibus à parte rei ſunt cõcreta; ſed potiùs per ſpecies proprias, ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis, quibus quidditates rerum ſenſibilium ad eſſe huius ſunt contractæ, per ſe, & directè repræſentãtes, vt auctores iſti ſuſtinent, non ſolùm non affirmat Scotus, ſed pro viribus impugnat, vt ex dicendis conſtabit.

16 Sed quidquid ſit de iſta falſa allegatione Scoti; probant auctores iſti ſuam ſententiam primò; ſenſus percipiunt ſua obiecta ſingularia, in quantum ſingularia ſunt, proprio, & diſtincto conceptu per ſe, & directè, id eſt, per ſpeciem impreſſam repræſentantẽ virtualiter, non ſolùm quidditatem ſui obiecti, ſed etiam ſingularitatem ſeu principiũ indiuiduationis, per quod prædicta quidditas contracta eſt ad eſſe huius, ſeu ad eſſe ſingularis; ergo idem dicendum erit de intellectu noſtro in ſentẽtia, quæ affirmat, intellectum noſtrũ proprio, & diſtincto conceptu cognoſcere ſingularia, in quantum ſingularia ſunt.

17 Secundò; ſpecies impreſſa ſolùm virtualiter repræſentans quidditatem rei ſenſibilis, ſeu vt alij loquuntur, & in idẽ incidit, naturam vniuerſalem, non eſt ſufficiens comprincipiũ ad hoc, vt intellectus determinatè cognoſcat aliquod ſin-

gulare ex contentis ſub prædicta quidditate, ſeu natura vniuerſali; quia intellectus noſter nō valet de re cognita ampliùs in actu ſecundo, quàm datum ſit ei in actu primo, ſeu per ſpeciem; ergo vel negandum eſt cum Caietano, & alijs, pro hoc ſtatu intellectum noſtrum cognoſcere proprio, & diſtincto conceptu ſingularia; vel ſi oppoſitum ſuſtinere volumus, vt de facto cum Scoto, & alijs ſuſtinemus, fatendum neceſſarium erit, intellectum noſtrū pro hoc ſtatu cognoſcere ſingularia quidditatis ſenſibilis per ſe, & directè, id eſt, per ſpecies impreſſas, ipſas ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis, quibus ſunt contractæ ad eſſe huius, ſeu ad eſſe ſingularium repræſentantes.

18 His non obſtantibus, tenendum eſt, conceptum propriū, & determinatum, ſeu diſtinctū, quo pro hoc ſtatu cognoſcimus ſingularia quidditatū rerum ſenſibilium, in quantum ſingularia ſunt, non eſſe per ſe, & directum, ſed potiùs per accidens, & reflexum, vt docuit Ariſtoteles cap. 4. huius libri, id eſt, non haberi per ſpecies impreſſas, ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis, quibus ſunt contractæ ad eſſe huius, ſeu ad eſſe ſingularis, virtualiter repræſentantes, ſed per ſpecies virtualiter repræſentatiuas, tam quidditatis ſingularis, quod cognoſcitur, quàm accidentium, quæ principium indiuiduationis (quod nos latet) conſequuntur, & cū quibus ſunt concreta, quæ accidentia ad ſeptem capita reduci ſolent, quæ his carminibus continentur, *forma, figura, locus, tempus, cum nomine, ſanguis, patria ſunt ſeptem, quæ non habet vnus, & alter*. Hæc eſt ſententia Scoti noſtri pluribus in locis, *in 2. diſt.* 11. *ſoluendo fundamentum rationum Henrici, & in 4. diſt.* 45. *quæſt.* 3. §. *Ad 2. principale*, & magis ex profeſſo *in 1. diſt. 3. q.* 6 §. *Ad 1. principale, & in 3. diſt.* 24. *quæſt.* 3. *litera E. & in 2. diſt.* 3. *quæſt.* 1. *litera C. & 7. Metaph. quæſt.* 15. *& in theorematibus, theoremate* 3. imò ex hoc principio oſtendimus libro 1. Phyſicorum, diſput. 1. quæſt. 5. ſectione 2. illud Scoticum dictum, *primum cognitum pro hoc ſtatu via generationis in cognitione actuali confuſa eſt ſpecies ſpecialiſsima illius ſingularis, quod fortiùs, & efficaciùs mouet ſenſum*, eſſe non ſolùm intelligendum facta comparatione inter naturas, quæ denominantur vniuerſales; ſed etiā facta comparatione inter naturas vniuerſales, & ſingulares. Recollantur ibi dicta.

19 Fundamentum noſtrum, & Scoti eſt, quia cognitio ſenſitiua, qua proprio, & diſtincto conceptu percipimus quidditates ſenſibiles ſingulares, in quantum ſingulares ſunt, non eſt per ſe, & directa, id eſt, non fit per ſpecies impreſſas, ſingula-

Digitized by Google

laritates, ſeu principia indiuiduationis, quibus ad eſſe huius, ſeu ad eſſe ſingularium ſunt contractæ, virtualiter repræſentantes; ſed potiùs eſt per accidens, & indirecta, id eſt, facta per ſpecies impreſſas, tam quidditates eorũ, quàm quidditates accidentium, quæ principia indiuiduationum earum conſequuntur, & quibus à parte rei ſunt concreta, virtualiter repræſentãtes: ergo eodem modo philoſophandum erit de cognitione intellectiua, qua intellectus noſter pro hoc ſtatu proprio, & diſtincto conceptu percipit quidditates ſenſibiles ſingulares, in quantum ſingulares ſunt; ſiquidem pro hoc ſtatu (vt aduerſarij nobis obijciebãt) omnis noſtra cognitio à ſenſibus dependet. Antecedens noſtri diſcurſus, in quo conſiſtit tota difficultas, duabus rationibus ſatis efficacibus probat Scotus, vna à poſteriori, & altera à priori.

20 Ratio à poſteriori talis eſt; cognoſcens aliquod obiectum, in quantum ſingulare per ſe, & directè, id eſt, per ſpeciem impreſſam, tam quidditatem eius, quàm eius indiuiduationem, ſeu ſingularitatem repræſentantem, poteſt, ſecluſo quocumque alio extrinſeco, ipſum ab alio ſingulari numero diſtinguere; ſed ſic eſt, quòd ſublata diſtinctione loci, ſitus, magnitudinis, paruitatis, cæterorumque accidentium, quæ principium indiuiduationis conſequuntur, & permanentibus in duobus indiuiduis ſenſibilibus eiuſdem ſpeciei, ipſorum ſingularitatibus, ſeu principijs indiuiduationis, non poteſt neque ſenſus, neque intellectus illa, vt diſtincta numero cognoſcere: ergo ſignum euidens eſt, quòd neque ſenſus, neque intellectus pro hoc ſtatu cognoſcunt per ſe, & directè, ſeu, quod idem eſt, per ſpeciem impreſſam ipſam ſingularitatem, virtualiter repræſentantem ipſas quidditates ſenſibiles ſingulares, quas in quantum ſingulares proprio, & diſtincto conceptu percipiunt.

21 Minor patet experientia duorum ouorum, omnino in quantitate, figura, & qualitate ſimilium, quæ etiamſi numero diſtincta ſint per proprias ſingularitates, & principia indiuiduationis, ſi tamen aliquis videns vnum in aliquo loco, & diſcedente ab illo, interim, ipſo inſcio, aliud loco prioris ſubſtituatur, poſtea rediens, nullo pacto poteſt cognoſcere, illud ouum eſſe numero diſtinctum à priori. Vndè meritò Porphyrius cap. *de ſpecie*, volens naturam indiuidui materialiter ſumpti (id eſt, ſumpto pro re, quæ denominatur indiuidua, quæ eſt de cuius cognitione nunc agi-

Digitized by Google

agimus) declarare, illam declarauit per accidentia, quæ ad principiũ indiuiduationis intrinſecum conſequuntur, dicens, *indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum non poteſt in alio reperiri*, innuens manifeſtè, nos non poſſe pro hoc ſtatu naturam indiuiduam, in quantum indiuiduam, per ſe, directè, & per ſpeciem, quæ ſit repræſentatiua gradus, ſeu principij indiuiduationis, cognoſcere; ſed per accidens, & indirectè, nimirum, per ſpecies, quæ quidditates illorum accidentium, quæ ad ſingularitatem, ſeu principium indiuiduationis (quod nos latet) conſequuntur.

22 Ratio à priori, & qua vtitur Scotus locis citatis, & ſimiliter quæſtione 22. de anima numero 6.) eſt, quia etiamſi obiectum agens, ſeu emittens ſpeciem in ſenſum, & mediãte ſenſu in intellectum, ſit quid ſingulare; ſed non agit, ſeu emittit ſpeciem iſtam, in quantum ſingulare, ſed in quantum eſt quædam natura ſpecifica; ergo ſpecies ab eo producta, tam in ſenſu, quàm in intellectu, ſolũ erit virtualiter repræſentatiua naturæ ſpecificæ obiecti, non verò illius ſingularitatis, ſeu principij indiuiduationis: conſequentia eſt neceſſaria, nã effectus ſolùm poteſt aſsimilari ſuo efficienti ſecundum illam rationem, ſecundum quam eſt principiũ agendi; nam idem eſt principium agendi, & aſsimilandi; quia agens intendit aſsimilare patiẽs ſibi, & hoc ſpecialiter eſt verum in cognitione, quæ fit per aſsimilationem. Antecedens oſtendi poteſt inductione facta per omnia agentia naturalia, quæ, etſi ad agendum neceſſariò requirant, quòd ſingularia ſint (nam requiritur, quòd exiſtant à parte rei, & nihil exiſtere poteſt à parte rei, quod ſingulare non ſit) tamen tota ratio agendi, & aſſimilandi ſibi effectum, eſt in illis ipſorum natura ſpecifica, non verò ſingularitas; aliàs producerent effectus ſibi ſimiles, non ſolùm in natura ſpecifica, ſed etiam in ſingularitate; quod manifeſtè conſtat eſſe falſum, cum potiùs in ſingularitate, ſeu principio indiuiduationis ſint omnino diſsimilia.

23 Ex dictis colliges, quã falſũ ſit id, quod auctores oppoſitæ ſentẽtiæ in ſua prima probatione aſſumebãt, ſcilicet, ſenſus percipere ſua obiecta ſingularia, in quãtũ ſingularia ſunt, per ſe, & directè, id eſt, per ſpeciem impreſſam repræſentantẽ virtualiter non ſolùm quidditatem ſui obiecti, ſed etiam ſingularitatem, ſeu principiũ indiuiduationis, per quod prædicta quidditas contracta eſt ad eſſe huius, ſeu ad eſſe ſingularis: oppoſitum enim proba-

Digitized by Google

batum eſt, tam à poſteriori, quã à priori duabus rationibus Scoti tam de ſenſibus, quàm de intellectu.

24 Similiter colliges, ſecundam probationem in contrarium adductã non eſſe ad rem. Nos enim cum Scoto non ſuſtinemus, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu cognoſcere proprio, & determinato, ſeu diſtincto conceptu quidditates rerũ ſenſibilium ſingulares, in quãtum ſingulares ſunt, ſolùm, & præcisè per ſpeciẽ impreſſam illarum quidditatum ſenſibilium, quarum ſunt ſingularia, ſeu indiuidua; nam per hanc ſolam, & præciſam ſpeciem, etſi cognoſcamus, non ſolùm proprio, & diſtincto conceptu, ſed etiã per ſe, & directè quidditatem rei ſenſibilis, ſed nõ cognoſcimus per eam præcisè sũptam aliquod indiuiduũ determinatũ, ſeu proprio, & diſtincto conceptu illorum, in quibus prædicta quidditas exiſtit; ſolũ enim per ipſam cognoſcimus indeterminatè, & vagè illam quidditatẽ in aliquo indiuiduo exiſtere, quia eſt à parte rei, & nulla quidditas eſt à parte rei, niſi in aliquo indiuiduo exiſtat: & quoad hoc non recedimus à ſententia Caietani, ſeu, vt propriùs loquar, Caietanus nõ receſsit à doctrina Scoti, qui expreſsè tradidit hanc doctrinam quæſt. 22. de anima citata numer. 8. & 9 ſed quod ſuſtinemus cum Scoto, eſt, intellectum noſtrum, per collectionem, tam ſpeciei impreſſæ quidditatis ſenſibilis ſingularis, quàm ſpecierum quidditatum aliorum accidentiũ, quæ principiũ indiuiduationis cõſequuntur, cognoſcere nõ vagè, ſed determinatè, & proprio, & diſtincto conceptu ſingularia ſenſibilia, licet non per ſe, & directè, ſaltẽ per accidẽs, ſeu reflexè, & per hoc diſtinguimur, tam à Caietano, quàm ab omnibus alijs, qui ſuſtinebant, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu nullo modo cognoſcere ſingularia, in quantum ſingularia ſunt, determinatè, ſeu proprio, & diſtincto conceptu. Et quia ratio ſecunda in contrarium adducta, non ſolùm non impugnat, ſed neque attingit ſententiam noſtram, & Scoti, ideò meritò reſponſum eſt, non eſſe ad rem.

25 Secundùm, quod vertitur in dubium eſt, an intellectus noſter pro hoc ſtatu cognoſcat conceptu proprio, & diſtincto ſubſtantias materiales, & quomodo illas intelligat? Cui dubio reſpondẽdum eſt, cognoſcere ſubſtãtias materiales tam totales, quàm partiales cõceptu proprio, & diſtincto; ſed nõ per ſe, & directè, id eſt, per proprias earum ſpecies, ſed per accidens, & reflexè, id eſt, per ſpecies ſuorum accidentium, ſeu effectuum.

26 Priorem partem huius aſſerti conuincit experientia, qua

qua experimur, de ſubſtantijs tam completis, vt ſunt omnia entia naturalia, quàm in completis, vt ſunt materia, & forma, nos cogitare, diſcurrere, & philoſophari diſtinguēdo vnā ab alijs, quod fieri non poſſet abſque proprio, & diſtincto conceptu earum, imò per diſcurſum nos deuenire in cognitionem, nō ſolùm, *an ſint?* ſed etiam in cognitionem *quid ſint?* vt quod homo ſit animal rationale, quòd materia ſit pura potentia ſubiectiua, quòd forma ſit actus informans materiam, &c.

27 Poſterior verò pars oſtēditur, quia cum pro hoc ſtatu cognitio noſtra dependeat à ſenſibus, nō poterit intellectus cognoſcere, niſi per ſpecies rerum ſenſibilium; conſtat autē experientia, ſubſtantias nō eſſe per ſe ſenſibiles, etiamſi materiales ſint; ſed hoc ſolùm competere accidentibus: ſemel autem receptis in intellectu ſpeciebus intelligilibus obiectorum ſenſibilium, ſcilicet, accidentium, intellectus, cum potentia diſcurſiua ſit, medijs illis diſcurrit, & diſcurrendo attingit proprio, & diſtincto conceptu ipſas ſubſtantias, quę à ſenſibus non attingebantur, vt experientia manifeſtat.

28 Addit ad hæc Suarez lib. 4. de anima, cap. 4. num. 4. etſi ab initio intellectus noſter ad cognoſcendam ſubſtantiā materialem, vtatur ſpeciebus impreſſis accidentiū; tamen, cum diſcurrēdo pervenit ad cognitionē ſubſtantiæ, elicere aliam ſpeciem per ſe repræſentatiuā ſubſtantiæ, per quā ipſam ſubſtantiam cognoſcit; quod probare nititur à priori, & à poſteriori: à priori, quia intellectus eſt capax talis ſpeciei, & cū pro tunc ipſam non habeat, acquiret ipſam per actū ipſum cognitionis, quo illam cognoſcit. A poſteriori, quia poſtea facilius eam ſubſtantiā cognoſcimus, quod ſignum, inquit, eſt, fuiſſe in intellectu propriam ſpeciem ſubſtantiæ derelictam ex priori cognitione.

29 Sed hæc additio non placet; tum quia longè aliter cognoſcimus obiectū, quando illud attingimus per propriam ſpeciem, ac quando attingimus illud per ſpecies alienas; nam cum illud attingimus per ſpeciem propriam, illud cognoſcimus abſolutè, cum verò illud attingimus per ſpeciem alienam, illud cognoſcimus, non abſolutè, ſed per analogiam, ſeu ſimilitudinem ad aliud, ſed eodem modo, quo cognoſcimus ſubſtantiam in prima cognitione illius, cognoſcimus illam in ſecunda, tertia, &c. vt experientia conſtat: ergo per eandem ſpeciem, qua cognita eſt in prima cognitione, cognoſcitur etiam in ſecunda, tertia, &c. & non in prima per alienam, & in alijs ſubſequentibus per propriam.

Tum

Digitized by Google

Tum etiam, quia ſi per cognitionem, qua primò cognoſcimus ſubſtantiã materialem per alienas ſpecies, produceretur in noſtro intellectu ſpecies impreſſa propria ſubſtantiæ materialis, conſequenter idem eſſet dicendum de cognitione prima, qua per alienas ſpecies cognoſcimus ſubſtantias ſpirituales, Deum, ſcilicet, & Angelos, ſcilicet, per illam primam cognitionem produci in noſtro intellectu ſpeciem impreſſam propriam ſubſtantiæ ſpiritualis; quod falſum eſt, & contra manifeſtam experientiam. Sequela patet, nam nõ eſt maior ratio in vno euentu, quàm in alio. Et ratio à priori eſt, quia pro hoc ſtatu, in quo noſtra cognitio à ſenſibus dependet, producere ſpeciẽ impræſſam ad intelligendũ requiſitam, nõ eſt opus intellectus poſsibilis, ſed intellectus agẽtis, qui ſimul cum phantaſmatibus, vt duæ cauſæ partiales eſſẽtialiter ſubordinatæ ad illius productionẽ concurrunt, vt ex ſupradictis notum eſt. Munus autem intellectus poſsibilis ſolùm eſt medijs ſpeciebus intelligibilibus, quas in ſe recipit, quæ per ſe ſolum res ſenſibiles virtualiter repræſentant, non ſolùm intelligere, ſed etiam diſcurrere, & per diſcurſum ad cognitionem ſubſtantiarum pervenire, ſed non poſſe directè, & per proprias illarum ſpecies; ſed ſemper per accidens, & reflexè, per alienas, ſcilicet, ſpecies, nimirum, per ſpecies, res ſenſibiles virtualiter repræſentantes, quas ab initio recipit; quod experientia ſatis notum eſt intelligentibus.

30 Neque rationes, quas adducit Suarez intentum eius cõuincunt. Ad primam dicimus, etſi intellectus noſter ex ſe capax ſit recipiendi ſpecies per ſe, & directè repræſentatiuas ſubſtantiæ materialis; tamen pro hoc ſtatu, in quo omnis noſtra cognitio dependet à ſenſibus, illas habere nõ poſſe; quia omnes ſpecies, per quas intelligit, debent exhauriri à phantaſmatibus miniſterio intellectus agentis, quæ eo ipſo non poterunt eſſe per ſe, & directè repræſentatiuæ ſubſtãtiæ; quia ſubſtantiæ, etiam materiales non ſunt per ſe ſenſibiles. Neque verum reputamus, intellectum poſsibilem poſſe producere ſpeciem aliquam impreſſam; quia hoc ſolùm eſt munus intellectus agentis, & obiecti relucentis in phantaſia, vt modò ſupradictũ eſt. Ad ſecũdam reſpondemus, ex eo quod poſt primam cognitionem ſubſtãtiæ per actus repetitos experimur maiorem facilitatem in illius cognitione, non eſſe ſignum acquiſitionis nouæ, & diſtinctæ ſpeciei, quæ per ſe, & directè repræſentet ſubſtantiã, cum eodem modo illam ſemper cognoſcamus; ſed eſſe ſignum intenſionis habitus, qui

per repetitionem cognitionũ prædictæ ſubſtantiæ generatur.

31 Tertium, quod vertitur in dubium, eſt, an pro hoc ſtatu intellectus noſter cognoſcat proprio, & diſtincto conceptu ſubſtantias ſpirituales, vt ſunt Deus, Angeli, & anima noſtra rationalis, & quomodo illas cognoſcat? Et omiſsis aliquibus ſententijs, tenendum eſt, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu, etſi propter earum perfectionem illas leuiter, & difficulter attingere poſsit; nihilominus illas poſſe cognoſcere proprio, & diſtincto conceptu, ſed non per ſe, & directè, id eſt, per proprias earum ſpecies; ſed per accidens, & reflexè, id eſt, per ſpecies impreſſas rerum ſenſibilium; ita cōmuniter auctores, Scotus in 1. diſt 3. quæſt. 2. & in alijs pluribus locis; D. Thom. libro 3. contra gentes, cap. 45. quos omnes diſcipuli ſequuntur, eſtque expreſſa Ariſtotelis 1. libro de partibus animalium cap. 5. vbi non longè à principio ponit hæc verba, *Res namque illas ſuperiores* (ſubſtantias, ſcilicet, ſpirituales) *tametſi leuiter attingere poſsimus; tamen ob eius cognoſcendi generis excellentiam ampliùs oblectamur, quàm cum hæc nobis coniuncta omnia tenemus*; quibus conſonant verba illa Pauli in Epiſtola ad Romanos cap. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*

32 Et in primis dari poſſe pro hoc ſtatu cognitionem, qua, etſi leuiter, & difficulter, nihilominus proprio, & diſtincto conceptu, tam naturam, quàm proprietates ſubſtantiarum ſpiritualium, vt ſunt Deus, Angeli, & anima rationalis, attingere poſsimus, probant manifeſtè tot volumina, quæ tàm à Theologis, quā à Philoſophis ſcripta ſunt, non alio fine, niſi vt naturas, & proprietates tam Dei, quàm Angelorum, & animarum noſtrarum rationalium proprio, & diſtincto conceptu agnoſcamus, quæ vtique ſuperflua fuiſſent, ſi eſſet impoſsibile, nos poſſe pro hoc ſtatu in aliqualem cognitionem naturarum, & proprietatum ſubſtātiarum ſpiritualium propriam, & diſtinctam pervenire.

34 Deinde hanc cognitionem propriam, & diſtinctam, quam de naturis, & proprietatibus ſubſtantiarum ſpiritualium pro hoc ſtatu habere poſſumus, non eſſe per ſe, & directam, id eſt, per proprias earum ſpecies; ſed per accidens, & reflexam, id eſt, per ſpecies rerum ſenſibilium, præter rationem à priori, qua idem numer. 27 oſtendimus de ſubſtantijs materialibus, quæ potiori ratione idem demonſtrat de ſubſtantijs ſpiritualibus, probari poteſt à poſteriori, ſeu ab in-

inconuenienti, quod ex oppoſito ſequeretur, nimirum, quòd pro hoc ſtatu poſſemus ſubſtātias ſpirituales, vt ſunt Deus, Angeli, & anima rationalis, cognoſcere abſolutè, & vt in ſe ſunt, & non per analogiam, ſeu ſimilitudinem ad res ſenſibiles, per quarum ſpecies cognoſcuntur; quod quàm falſum ſit, oſtendit experientia, qua experimur, numquam nos poſſe pro hoc ſtatu cognoſcere, neque Deum, neque Angelos, neque animam rationalē abſolutè, & vt in ſe ſunt; ſed ſemper iſta cognoſcimus analogicè, ſeu per ſimilitudinem rerum ſenſibilium, per quarum ſpecies illa cognoſcimus. Sequela patet, nam cum ſpecies impreſſa virtualiter repræſentet obiectum, cuius eſt ſpecies impreſſa, abſolutè, & vt eſt in ſe; neceſſariò infertur, vt id, quod cognoſcimus per propriam ſpeciem impreſſam, illud cognoſcamus abſolutè, & vt eſt in ſe.

34 Sed circa modum, quo intellectus noſter pro hoc ſtatu perueniat per ſpecies rerum ſenſibilium ad cognitionem propriam, & diſtinctam Dei, aliqua diſcutit Scotus in 1. diſtinct. 3. quæſt. 2. quæ hic annectere non grauabor, quia ex eis cum proportione debita, quomodo etiam perueniat ad cognitionem propriā, & diſtinctam aliarum ſubſtantiarum ſpiritualium creatarum, vt ſunt Angeli, & anima rationalis, eorumque accidentia ſpiritualia, non erit difficilè intelligere.

35 Primò reijcit ſententiam, quæ affirmat, nos pro hoc ſtatu ſolùm poſſe peruenire in cognitionem Dei per negationes, quibus remouemus à Deo imperfectiones creaturarum, vt ſi dicamus, Deus non eſt quid materiale, non eſt quid finitum, &c. oſtendens, nos poſſe peruenire pro hoc ſtatu in cognitionē Dei, etiam per affirmationes attribuendo ei aliquid poſitiuum, vt ſi dicamus, Deus eſt quid ſpirituale, quid ſimpliciter infinitū, &c. quod probat; tum, quia negationes, quæ neceſſariò conſequuntur ad aliquod poſitiuum, vt ſunt negationes repugnantiæ ex Ariſtotele 2. perihermeniarum textu 2. & 4. Metaphiſ. textu 16. non cognoſcuntur, niſi per affirmationem illius poſitiui, ad quod neceſſariò ſequuntur. De homine enim non negamus eſſe irrationalem, niſi quia de ipſo affirmamus, eſſe intrinſecè rationalem. Tum etiam, quia negatio, aut percipitur præcisè, aut dicta de aliquo, vt cùm dicitur, Deus eſt *non lapis*; ſi præcisè concipiatur, per hoc non magis intelligitur Deus, quàm chimæra, quia pura negatio, vt eſt *non lapis* æquè dicitur de chi-

chimæra, ac de Deo. Si concipitur, vt dicta de aliquo, ſcilicet, vt dicta de Deo, tunc inquiro de illo ſubſtracto, de quo dicitur, ſcilicet, de Deo, an ſit cõceptus affirmatiuus, an negatiuus: ſi affirmatiuus, habeo intẽtum, ſcilicet, Deum non cognoſci proprio, & determinato conceptu per puram negationem, ſed etiam per aliquod poſitiuum ei attributum: ſi negatiuus, ſequitur idẽ, quod priùs, ſcilicet, per illam negationem, non poſſe cognoſci Deum magis, quã chimærã; & cõſequenter, quòd quantũcumque procedatur in negationibus, non cognoſcatur Deus magis, quã chimæra, niſi fiat ſtatus in cognitione alicuius poſitiui.

36 Secundò ſtatuit cõtra Hẽricum, nos pro hoc ſtatu poſſe peruenire, non ſolùm ad cognitionem poſitiuam attributorum Dei; ſed etiam ad cognitionem poſitiuam alicuius prædicati quidditatiui, & quod in quid de ipſo Deo prædicetur; & probat, quia ſecundum Hẽricum intellectus viatoris cognoſcens de Deo eſſe ſapientem cognoſcit ſapiẽtiam, quæ eſt attributum Dei, in actu ſecundo perficientem naturam: ergo intelligendo ſapientem, oportet, præintelligere aliquid, quaſi ſubiectum, in quo intelligo illud attributum in eſſe, & conceptus iſtius, quaſi ſubiecti neceſſariò erit quidditatiuus, quia in nullo alio poteſt eſſe ſtatus.

37 Tertiò docet, ſolũ ens eſſe prædicatũ quidditatiuũ, quod de Deo poſſumus cognoſcere pro hoc ſtatu, & probat; quia cum cognitio noſtra pro hoc ſtatu pendeat à ſenſibus, & ſolũ cognoſcamus per ſpecies abſtractas ab obiectis per ſe ſenſibilibus, vt ſunt ſola accidentia, & inſuper prædicata quidditatiua non contineantur, neque quoad eſſe, neque quoad cognoſci in virtute alterius prioris, cum ipſa ſit primum, quod vnicuique rei conuenit, ſolùm peruenire poterimus pro hoc ſtatu in cognitionem prædicatorum quidditatiuorum Dei, quæ vniuocè, & quidditatiuè conueniunt tã Deo, quã accidentibus; & quia in ſententia Scoti ex prædicatis quidditatiuis Dei ſolũ ens vniuocè, & in *quid* de Deo, & de accidentibus prædicatur, hinc optimè infert Scotus, ſolũ ens eſſe prædicatũ quidditatiuũ, quod de Deo pro hoc ſtatu poſſumus cognoſcere. Verũ eſt, hanc rationẽ Scoti ſupponere, ens vniuocè, & in *quid* prædicari de Deo, & creaturis etiã accidentalibus, quod communiter non admittitur; ſed ideò Scotus, non tã id ſupponit, quàm probat rationibus efficacibus, & ſoluẽdo, quæ adducuntur in contrariũ; quæ omnia ex profeſſo expendimus in Logica cap. 1. Categoriarum, diſp. 2. tribus quæſtionibus; recolantur ibi dicta.

38 Quar-

Digitized by Google

38 Quartò affirmat, poſſe nos pro hoc ſtatu deuenire in cognitionem multorũ conceptuũ obiectiuorũ, qui etiãſi non ſint de quidditate Dei; ſunt tamen proprij Deo, & non conueniẽtes creaturis, & huiuſmodi eſſe conceptus omniũ perfectionũ ſimpliciter in ſummo; & ſubdit, inter iſtos conceptus perfectiorem, & ſimpliciorẽ, nobis poſsibilẽ pro hoc ſtatu eſſe cõceptum entis ſimpliciter infiniti; quia hic eſt ſimplicior, quã conceptus entis boni, vel entis veri, & aliorum ſimilium; quia infinitũ non eſt quaſi attributũ, vel paſsio entis, ſiue eius, de quo dicitur, ſed dicit modum intrinſecum illius entitatis: itaque cum dico *ens infinitum*, non habeo cõceptum quaſi per accidens ex ſubiecto, & paſsione; ſed conceptum per ſe ſubiecti in certo gradu perfectionis, ſcilicet, infinitatis; ſicut albedo intenſa non dicit conceptum per accidens, ſicut dicit albedo viſibilis; nam intenſio non eſt paſsio, ſeu attributum albedinis, ſed modus intrinſecus illius; & per hoc patet, inquit Scotus, cõceptũ *entis infiniti* eſſe magis ſimplicem, quàm alios cõceptus attributales, quos cognoſcimus de Deo, vt ſunt conceptus entis boni, entis veri, &c.

39 Rurſus conceptum obiectiuum *entis infiniti* eſſe perfectiorem, ſeu intimiorem omnibus alijs attributalibus, quos cognoſcimus de Deo, probat Scotus primò, quia iſte conceptus virtualiter cõtinet alios attributales; nam ſicut ens virtualiter continet, ſeu includit in ſe bonum, verũ, &c. ita ens infinitum virtualiter includit bonum infinitum, verum infinitum, &c. Secundò probat, quia demonſtratione *quia*, id eſt, ex effectibus creatis vltimum, quod concludimus de Deo, eſt, eſſe infinitum (ſicuti è contra in demõſtratione *propter quid*, id, quod primò aſſumimus, eſt eſſe infinitum) & manifeſtum eſt, illa eſſe perfectiora, ſeu intimiora, quæ vltimò cognoſcuntur à nobis demonſtratione *quia*, & ex creaturis de Deo; quia propter eorum remotionem à creaturis difficillimum à creaturis illa cognoſcere poſſumus.

40 Demum oſtendit Scotus, quo pacto per diſcurſum metaphyſicum ex creaturis in cognitionem perfectionum attributaliũ Dei deueniamus, quodam diſcurſu, qui etiam probat præter ens dari etiam alios conceptus communes vniuocos Deo, & creaturis; diſcurſus talis eſt, omnis inquiſitio metaphyſica de Deo ſic procedit, conſiderando, ſcilicet, rationem aliquam formalem ex contentis in aliquo effectu creato, quæ ex ſe nullã imperfectionem, aut limitationẽ includat, & reſeruando illam rationem formalem, & auferendo

do ab ea omnes imperfectiones, quas habet in creaturis, attribuendo illammet Deo in ſummo perfectionis gradu; exemplũ ſit in ratione formali, vel ſapientiæ, vel intellectus, vel voluntatis: conſideratur enim à Metaphyſico aliqua ex his formalitatibus, quæ reperiuntur in homine, præcisè ſecundum ſe, ex eo quòd præcisè, & ſecundum ſe conſiderata nullam imperfectionẽ, aut limitationem includit, reſeruã do eam excludit ab ea omnes imperfectiones, ſeu limitationes, quæ ipſam concomitãtur in creaturis, & ipſammet attribuit Deo in ſummo gradu perfectionis. Ecce, quàm clarè nos doceat Scotus modũ, quo pro hoc ſtatu diſcurrendo metaphiſicè, ex cognitione eorũ, quæ ſunt in creaturis, deuenimus in cognitionem propriã, & diſtinctam attributorũ Dei. Ex quo etiam optimè conuincit Scotus, Metaphyſicum ſic diſcurrentem habere conceptum rationis formalis, tam ſapientiæ, quàm intellectus, vel voluntatis vniuocum (in quarto, & imperfecto vniuocationis gradu) tã Deo, quàm creaturis; ſiquidem eandem rationem formalem, vel ſapientiæ, vel intellectus, vel voluntatis, quam concipit in homine, ipſammet abſtractam, & præciſam ab imperfectionibus, quas habet in creaturis, attribuit Deo in ſummo gradu perfectionis,

QVÆSTIO IV.

An in parte intellectiua ſit memoria, & an hæc diſtinguatur realiter ab intellectu poſsibili?

1 EGimus diſp. 2. huius libri, quæſt. 3. ſect. 2. à nu. 29. de memoria ſenſitiua; ãgẽdum eſt modò de memoria intellectiua. Sed quia memoria intellectiua, tam apud Scotũ, quàm apud alios Theologos latinos dupliciter ſolet accipi; primò latè, ſcilicet, pro potentia animæ, quæ non ſolùm eſt receptiua ſpecierum qualiumcumque rerum intelligibiliũ; ſed etiam eſt conſeruatiua ipſarum. Secũdò ſtrictè, ſcilicet, pro potentia rememoratiua actuum noſtrorum prȩteritorũ, in quantum præteritorũ. Suppono, in prȩſenti quæſtione nõ eſſe ſermonem de memoria latè, & in priori ſenſu ſumpta, quia de hac memoria ita certũ eſt dari in parte intellectiua, ac certum eſt dari intellectum paſſibilem, non ſolùm receptiuum ſpecierum intelligibilium, quæ ad intellectionẽ requiruntur, ſed etiam conſeruatiuum earum, poſt tranſactam actualem intellectionem, & de hac memoria latè ſumpta loquitur Scotus in 1. diſtinct. 3. poſt quæſtionem 6. dum contra opinionem, quæ attribui ſolet Auicenæ 6. naturalium, parte 5. capit. 6. vel 7. ſci-

ſcilicet, nullam ſpeciem manere in parte intellectiua poſt actum intelligendi, & conſequenter non dari memoriam intellectiuam, adhuc latè, & in priori ſenſu ſumpta, multis rationibus oppoſitum conuincit. Sed ſermo eſt de memoria ſtrictè, & in poſteriori ſenſu ſumpta, de qua memoria latè diſputat Scotus 4. ſententiarum, diſtinct. 45. quæſt. 3. vbi actum eius, qui dicitur recordatio ſic deſcribit, *recordatio eſt cognitio alicuius actus præteriti, in quantum præteriti*, quam deſcriptionem diſput. 2. citata loquendo de memoria ſenſitiua num. 30. ex doctrina ipſius Scoti latè expendimus. Recolantur ibi dicta.

2 Loquendo ergo de memoria ſtrictè ſumpta circa primum, quod quærit præſens quæſtio, aliquorum ſententia eſt, in parte intellectiua nō dari memoriam propriè, & ſtrictè ſumptam; ſed vt ſic ſolùm dari in potentia ſenſitiua; ita docet D. Thom. 1. parte articul. 6. his verbis, *Si verò de ratione memoriæ ſit, quòd eius obiectum ſit præteritum, vt præteritum, memoria in parte intellectiua non erit, ſed ſenſitiua tantùm, quæ eſt apprehenſio particularium*; idem docet in ſolutione ad 2. & de veritate quæſt. 10. artic. 2. & 2. contra gentes cap. 74. & ibi Ferrarienſis, alijque Thomiſtæ communiter, & Albertus in ſumma de homine, tractatu de memoria.

3 Probari ſolet primò auctoritate Ariſtotelis, qui libro de memoria, & reminiſcentia, cap. 1. videtur ſoli ſenſui attribuere memoriam propriè, & ſtrictè ſumptam primo, & per ſe; intellectui verò ſolùm per accidens; verba Ariſtotelis ſunt, *Manifeſtum eſt, quòd primum ſenſitiui horum cognitio eſt; memoria autem ea, quæ eſt intelligibilium, non ſine phantaſmate eſt; quare intellectus ſecundum accidens vtique erit, per ſe autem primi ſenſitiui.* Item eodem loco docet, quoſdam eſſe benè rememoratiuos, quoſdam malè propter diuerſitatem organorum; ergo ſentit, memoriam ſolùm eſſe in parte ſenſitiua, quia ſola ſenſitiua eſt organica.

4 Secundò, & eſt fundamentum D. Thomæ; ad memoriam ſtrictè ſumptam non ſufficit, quòd ſit potentia conſeruatiua ſpecierum; neque etiam ſufficit, quòd cognoſcat actum præteritum; ſed etiam eſt requiſitum, & omninò neceſſarium, quòd cognoſcat actum præteritum, in quantum præteritum; ſed potentia intellectiua, etiamſi ſit conſeruatiua ſpecierum intelligibilium, & ſimiliter etiamſi cognoſcat actum ſuum præteritum; non tamen cognoſcit illum, in quantum præteritum; ergo in parte intellectiua non datur memoria ſtrictè ſump-

Digitized by Google

ſumpta. Vltimam partem minoris propoſitionis, in qua eſt tota difficultas, probat, quia præteritum, in quantum præteritum, cum nō abſtrahat, ſed potiùs includat determinatam temporis differentiam, erit vtique ſingulare; ſed intellectus non percipit ſingularia, vt ſingularia ſunt; ſed ſolùm vniuerſalia abſtrahentia à conditionibus, & circunſtantijs particularibus: ergo vera eſt illa pars minoris propoſitionis, ſcilicet, potentiam intellectiuam, etiamſi cognoſcat actum ſuum præteritum; non tamen cognoſcere illum in quātum præteritum.

5 Sed nobis tenendum eſt cū Scoto noſtro (qui falſo citatur à Rubio pro oppoſita ſententia) in 4. diſt. 45. quæſtio. 3. in parte intellectiua dari memoriam propriè, & ſtrictè ſumptam. Scotum ſequūtur omnes eius diſcipuli, & inter ipſos Filippus Faber theoremate 80. & ex alijs Suarez libro 4. de anima cap. 10. concluſione 3. Auerſa 2. tomo quæſt. 58. ſect. 1. Rubius tractatu de intellectu poſsibili quæſt. 5. dubio 2. num. 232. & plures alij. Et ſuppoſita doctrina, quam quæſtio. præcedenti num. 7. cum Scoto, & pluribus alijs ſtatuimus, ſcilicet, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu cognoſcere quidditates rerum ſenſibiliū ſingulares, in quantum ſingulares, proprio, & diſtincto conceptu, licet non per proprias ſpecies, ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis intrinſeca, quibus ſunt contractæ, virtualiter repræſentantes (hoc enim pacto, neque à ſenſibus percipiuntur, vt ibidem per rationes Scoti manifeſtè oſtēdimus) ſaltē per collectionē ſpecierum, tam earū quidditates, quàm quidditates accidentiū, quæ principium indiuiduationis intrinſecum conſequuntur, & quibus ſunt concretæ, virtualiter repræſentantium, exiſtimo nullam poſſe habere difficultatem, vt multis vijs eam comprobat Scotus loco citato.

6 Primò ex Ariſtotele, qui libro de memoria, & reminiſcētia ſupra citato quædam dicit, ex quibus cōcluditur, dari memoriam ſtrictè ſumptam in parte intellectiua. Dicit enim, quòd intellectus, quorundam intelligibilium, quæ aliquando didicit, & fuit ſpeculatus, habet memoriā, vt quòd triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Neque obſtat, quòd ſubdit Scotus, quòd ibidem dicit Ariſtoteles, hanc memoriam intelligibiliū non eſſe ſine phantaſmate; nam per hoc non negat, dari memoriā intellectiuam; ſed ſolū intēdit, pro hoc ſtatu actum memoriæ intellectiuæ ſemper cōcomitari actum memoriæ ſenſitiuæ: & quòd hoc intendat Ariſt. patet; nā ibidem etiam affirmat, nos non

Digitized by Google

non intelligere ſine phantaſmate, & tamen per hoc nõ negat, dari intellectionem, ſed ſolum intendit intellectionem noſtram pro hoc ſtatu ſemper concomitari actum phantaſiæ circa idem obiectum.

7 Item ibidem docet, reminiſcentiam, quæ abſque dubio eſt memoria ſtrictè ſumpta, ſolùm eſſe in hominibus, & non in brutis, eo quòd reminiſcens diſcurrit ex quibuſdam notis ad illud, quod aliquando didicit cuius vult recuperare recordationem: ergo ſentit Ariſtoteles, in parte intellectiua dari memoriam ſtrictè ſumptam, multò perfectiorem, ac datur in parte ſenſitiua.

8 Secũdò probat rationibus; prima, in potentijs cognoſcitiuis ſubordinatis, quidquid attingitur à potentia inferiori, attingitur etiam, & perfectiori modo, à potentia ſuperiori; ſed ſenſus internus, & intellectus ſunt potentiæ cognoſcitiuæ ſubordinatæ; ergo quod attingitur à ſenſu interno, qui eſt potentia inferior, attingitur etiã, & perfectiori modo ab intellectu, qui eſt potentia ſuperior: ſed ſenſus interior (ipſis aduerſarijs conſentientibus) attingit obiectum cum omnibus ad actum memoriæ ſtrictè ſumptæ requiſitis; ergo idem, & perfectiori modo concedendum erit intellectui. Et confirmatur, quia nihil deficit intellectui ex his, quæ ad rationem memoriæ ſtrictè ſumptæ requiruntur; nam eſt potentia, nõ ſolùm receptiua; ſed etiam cõſeruatiuã ſpecierum intelligibilium, & inſuper cognoſcit actum ſuum præteritum, in quantum præteritum, vt experientia teſtatur.

9 Secunda ratio, qua idẽ probat Scotus, talis eſt; intellectus poteſt recordari aliquorũ obiectorũ proximorum, quorum non poteſt potẽtia ſenſitiua recordari, vt ſunt omnes intellectiones, & volitiones prçteritç, quæ nõ cadũt ſub obiecto adæquato alicuius ſenſus; ergo neceſſariò fatendũ eſt, dari memoriã ſtrictè ſumptã in parte intellectiua: antecedens patet, quia aliàs non poſſet homo pœnitere de malis volitionibus, neque præteritam intellectionẽ, vt præteritam conferre ad futuram, & per conſequens, neque ex eo, quòd iſta ſpeculatus eſt, ordinare ſe ad ſpeculandum alia ſequentia, quæ omnia ſunt abſurda.

10 Tertia ratio; anima ſeparata perfectè recordatur ſingularium præteritorum, & quæ cognouit pro hoc ſtatu coniũctionis ad corpus. Et ſic diues ille Lucæ 16. recogitabat ſuos fratres, & dicebat ad Abrahã, *Rogo te, vt mittas eum in domum patris mei; habui enim quinque fratres*; imò Abraham illi dixit, *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarum mala.* Nec negari poteſt, quòd animæ ſepara-

ratæ recognoſcunt, & recordantur opera, quæ fecerunt in corpore cum ſuis circunſtantijs loci, & temporis; ſed anima ſeparata non habet memoriam ſenſitiuam, quia hæc affixa eſt organo corporeo; ergo datur in parte intellectiua memoria propriè, & ſtrictè ſumpta.

11 Ad primam auctoritatem Ariſtotelis ex duabus, quæ adducebantur in cōtrarium, reſpondetur, Ariſtotelem in prædictis verbis non negare, dari veram memoriam in parte intellectiua; aliàs ſibi eſſet contrarius, cum in eodem libro illam admittat, vt ex dictis numero 6. & 7. manifeſtè conſtat; ſed quia noſtra cognitio pendet à ſenſibus, ita vt nihil ſit in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu; ideo ad ſignificandam iſtam dependentiam dixit Ariſtoteles, memoriam primò, & per ſe competere ſenſui; intellectui verò non primò, ſed per accidens, id eſt, dependenter à ſenſibus, ſeu à memoria ſenſitiua: & propter iſtam dependentiam, quam habet pro hoc ſtatu memoria intellectiua à memoria ſenſitiua, attribuit in ſecunda auctoritate adducta in contrarium diuerſitati organorum, quòd aliqui ſint benè, aliqui verò male rememoratiui.

12 Ad fundamētum D. Thomæ, conceſſa maiori, negamus minorem, quo ad illam vltimam partem, ſcilicet, potentiam intellectiuam nō cognoſcere actum ſuum præteritum, in quantum præteritum; nam ſi id conceditur ſenſui interiori, cur denegandum erit potentiæ intellectiuæ? Et ad probationem eius dicimus, falſum eſſe, intellectum non cognoſcere ſingularia, in quātum ſingularia; oppoſitum enim oſtendimus quæſtion. præcedenti, numer. 7. & ſequentibus. Recolantur ibi dicta.

13 Circa ſecundum quod quærit quæſtio, an, ſcilicet, memoria intellectiua ſit potentia realiter diſtincta à potentia intellectiua? In ſententia noſtra, & Scoti, quæ tenet, potentias animæ non organicas, vt ſunt intellectus, & voluntas, neque inter ſe, neque ab anima realiter diſtingui, ſed ſolùm formaliter, multò potiori ratione dicendum erit, potentiam intellectiuam non diſtingui realiter à memoria intellectiua: imò addo, neque etiam eſſe potentias formaliter diſtinctas, ſicut ſunt intellectus, & voluntas; nam non ſolùm habent idem obiectum adæquatum, ſcilicet, ens, in quantum ens, in tota ſua latitudine ſumptum; ſed etiam eodem modo reſpiciunt, & attingunt illud, nimirum, attrahendo illud ad ſe, non quidem realiter, ſed intentionaliter, reci-

ci-

Digitized by Google

cipiendo, inquam, ſpeciem, ſeu ſimilitudinem illius, tam impreſſam, quàm expreſſam; in quo ſenſu dixit Ariſtoteles, intelligētem fieri omnia, quæ intelligit; quæ rationes non conueniunt voluntati, ſi ad intellectum comparetur, cum eius obiectum adæquatum non ſit ens, in quantum ens, ſed in quantum bonum; bonitas autem tranſcendentalis, etſi identificetur cum ente; non tamen eſt idem formaliter cum illo, ſed potiùs formaliter diſtincta; ſicut & ſunt propriæ paſsiones ab eſſentia, cuius ſunt paſsiones propriæ; & inſuper modus reſpiciendi, ſeu attingendi ſuum obiectum non ſit attrahendo ad ſe obiectum intentionaliter, ſed potiùs oppoſitus; volūtas enim attrahitur ab obiecto, & fertur in illud. Et propter hæc memoria intellectiua non eſt potentia, adhuc formaliter diſtincta ab intellectu, ſecus verò voluntas.

14 Solùm ergo circa propoſitam difficultatem eſſe poterit controuerſia inter Thomiſtas, qui potentias animæ non organicas, vt ſunt intellectus, & voluntas, defendunt eſſe accidentia ad prædicamentum qualitatis ſpectantia, tam ab anima, quàm inter ſe realiter diſtinctas; ſed adhuc inter iſtos non eſt controuerſia; nam cōueniunt omnes, memoriam intellectiuam non eſſe potentiam realiter, imò neque formaliter ab intellectu diſtinctam. Et meritò, adhuc ſtando in iſtorum principijs; nam pluralitas potentiarum (vt ſæpè tactum eſt) non eſt admittenda, niſi vrgenti ratione comprobetur; in præſenti autem non eſt vrgens ratio, quæ probet, memoriam eſſe potentiam realiter, aut formaliter ab intellectu poſsibili diſtinctam; ſed potiùs ſunt plures, quæ oppoſitum conuincant.

15 Nam in primis, quòd memoria ſit conſeruatiua ſpecierum intentionalium, tantum abeſt, vt probet, eſſe potentiam realiter diſtinctam ab intellectu poſsibili, qui eſt potentia receptiua prædictarum ſpecierū, quòd potiùs probat oppoſitū; nam potētia receptiua ſpecierum intentionalium, & potentia conſeruatiua earum neceſſariò debet eſſe eadem numero potentia, aliàs accidens migraret à ſubiecto in ſubiectū. Item quòd actus memoriæ ſit cognitio tantū actus præteriti, in quantū præteriti, etſi benè arguat, hunc actū eſſe diſtinctū ab actu, quo intellectus poſſibilis cognoſcit præſentia, aut futura; non tamen arguit potentias diſtinctas realiter, aut formaliter à quibus proueniāt; nam ſunt actus inadæquati potentiæ intellectiuæ, cum vterque ſit intellectio, & potentiæ, etiamſi diſtinguantur, tam realiter, quàm formaliter per actus; ſed non per actus inadæ-

Digitized by Google

quatos, ſed per actus adæquatos; quibus adde id, quod num. 13. dicebamus, ſcilicet, intellectum poſsibilem, & memoriam intellectiuam habere idem obiectum adæquatum, nimirum, ens, in quantum ens, & ſimiliter eumdem modum reſpiciēdi, ſeu attingendi illud, videlicet, illud ad ſe attrahendo; ergo ſine fundamento diſtinguerentur potentiæ iſtæ, vel realiter, vel formaliter.

16 Sed contra prædicta aliqua ſolent obijci; primū, quòd D. Auguſtinus libro 10. de Trinitate cap. 11. tria diſtinguit in anima, ſcilicet, memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & de intelligentia docet, oriri ex memoria; quod eſſe nō poſſet, ſi intelligentia, id eſt, intellectus, non eſſet potentia realiter à memoria diſtincta. Secundū, quòd homo dicitur conditus ad imaginem, & ſimilitudinē ſanctiſsimæ Trinitatis, non alia ratione, niſi quia ſicuti in Deo eſt vna eſſentia in tribus diuinis perſonis; ita in anima hominis, vna cum ſit, habet tres potētias realiter inter ſe diſtinctas, ſcilicet, memoriam, intellectum, & volūtatem. Quibus accedit cōmunis modus loquēdi, qui admittit potētias animæ eſſe tres, qui ſine diſtinctione realiter inter ipſas ſalvari non poteſt.

17 Sed ad primum reſpondemus, Auguſtinum nomine memoriæ intelligere intellectum fœcundatum ſpeciebus intelligibilibus, qui, in quantum illas conſervat, dici ſolet (vt num. 1. diximus) licet latè, à Theologis memoria fœcunda: per intelligentiam autem non intellexiſſe intellectum, vt argumētum aſſumit; hic enim planum eſt non oriri ex memoria fœcunda; ſed intelligere actualem intellectionem; hæc enim eſt, quæ ex memoria fœcunda, id eſt, ex intellectu fœcundato ſpeciebus intelligibilibus procedit, & originatur.

18 Ad ſecundum, hominē dici conditum ad imaginem, & ſimilitudinem ſanctiſsimæ Trinitatis, non quia in noſtra anima ſint tres potētiæ realiter diſtinctæ; ſicuti in eſſentia diuina ſunt tres Perſonæ diſtinctæ realiter; ſed quia in ſanctiſsima Trinitate, ſicut datur in Patre, qui eſt prima perſona Trinitatis, diuinus intellectus fœcundatus diuina eſſentia, qui, vt ſic dicitur à Theologis (licet latè) memoria fœcunda Patris, ex qua per actum notionalē prædicti intellectus, qui dicitur dictio, procedit intellectio notionalis, & per ſe perſonaliter ſubſiſtens, quæ dicitur Verbū, eſtque ſecunda Perſona Trinitatis, appellaturque Filius: & inſuper Pater, & Filius per actum notionalem volūtatis, ſed vtrique communem, qui dicitur ſpiratio actiua, ſpirant diuinā dilectionem notionalē, & per ſe perſonaliter ſubſiſtentē, quæ dicitur Spiritus Sanctus, eſtque ter-

Digitized by Google

tertia Perſona Trinitatis, de quibus latiùs in materia de Trinitate egimus: ſic in anima noſtra datur cum debita proportione intellectus poſsibilis fœcundatus ſpeciebus intelligibilibus, qui, in quantum illas conſervat, dicitur (licet latè) memoria fœcunda, ex qua per actum intellectus, qui dicitur dictio, producitur intellectio, quæ etiam dicitur verbum (vt ex dicendis diſputatione ſequenti cõſtabit) & inſuper anima noſtra per actum voluntatis, qui dicitur ſpiratio, producit dilectionem, per quam formaliter diligimus ea, quæ per intellectum nobis repræſentãtur. Verum eſt, inter hæc eſſe latum diſcrimen; nam Pater ęternus, etſi per dictionem producat intellectionem notionalem, quæ dicitur Verbum; non tamen intelligit per eam, ſed per intellectionem improductam eſſentialem, & communẽ omnibus tribus perſonis. Et ſimiliter etſi Pater, & Filius per ſpirationem ſpirent dilectionẽ notionalem, quæ dicitur Spiritus Sanctus; non tamen diligũt per illam, ſed per dilectionem improductam eſſentialem, & communẽ tribus diuinis Perſonis. At anima noſtra formaliter intelligit per intellectionem productam per dictionẽ, quæ dicitur verbum; & formaliter diligit per dilectionẽ productam per ſpirationẽ; & ideò ſi anima noſtra dicatur imago ſanctiſsimæ Trinitatis, ſed non propriè, ſed adumbratè.

19 Ad vltimũ dicimus, quòd cum nos pro hoc ſtatu non deueniamus in cognitionem potentiarum animæ, niſi per operationes earum, & inſuper operationes memoriæ, intellectus, & voluntatis realiter diſtinctæ ſint; ideò communis modus loquendi affirmat, eſſe tres potentias animæ, non quia prædictæ potentiæ realiter diſtinctæ ſint, ſed quia operationes earum, quas experimur, realiter diſtinguuntur.

DISPVTATIO QVINTA.

De intellectione.

NOmine intellectionis intelligunt omnes formam illam, à qua intellectus noſter actu, formaliter, & vitaliter intelligẽs denominatur, de qua quatuor examinari oportet, primum, *in quo formaliter conſiſtat?* Secundum, *an intellectio ſit verbum mentis?* Tertium, *vtrùm potentia Dei abſoluta poſsit produci à Deo in noſtro intellectu ſine concurſu effectiuo illius?* Quartum, *in quo differant cognitio intuitiua, & abſtractiua?*

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA.

In quo formaliter conſiſtat intellectio noſtra?

1 QVod inquirit quæſtio præſens, idem inquiri poſſet de ſenſationibus, tam externorum, quàm interni ſenſus, & de actibus appetitus, tam ſenſitiui, quàm intellectiui; quia de omnibus eadē eſt ratio. Quidquid ergo determinatum fuerit de intellectione, quæ, vt dixi, eſt forma, à qua actu, formaliter, & vitaliter intellectus noſter intelligens denominatur, idem cum proportione debita ſentiendum eſt de actibus ſenſitiuis, qui ſunt formæ, à quibus ſenſus actu, & formaliter, & vitaliter ſentientes denominantur; & ſimiliter de actibus appetitus, tam ſenſitiui, quā intellectiui, qui ſunt formæ, à quibus appetitus iſti actu formaliter, & vitaliter denominantur appetentes.

2 Ratio dubitandi eſt, quia ad intellectionem plura concurrunt, de quibus dubitari poteſt, in quonam ipſorum noſtra actualis intellectio formaliter cōſiſtat? Nam in primis ad productionem ſpecierum impreſſarum intelligibilium (quæ in veriori ſententia, & quam ſequimur, neceſſariæ ſunt ad omnem intellectionem, tam abſtractiuam, quàm intuitiuam) concurrunt, vt duæ cauſæ partiales diuerſæ rationis, eſſentialiter ſubordinatæ, tam intellectus agens, quàm obiectum relucens in phantaſia, quod ideò phantaſma nuncupatur, vt diſputatione 3. huius libri, quæſtione 3. numero 5. ſtatuimus, quas ſpecies impreſſas in ſe recipiens intellectus poſsibilis, quaſi in actu primo conſtituitur completè potēs producere intellectionem. Deindè ab intellectu poſsibili; & ab ſpeciebus intelligibilibus impreſsis, in ipſo reſidentibus, tanquam à duabus cauſis partialibus diuerſæ rationis, eſſentialiter ſubordinatis (vt latè oſtēdimus cum Scoto 2. libro huius operis diſp. 5. quæſt. 2. num. 10. & ſequentibus) producitur per veram actionē (ſumpta actione, ſiue pro reſpectu producētis ad productū, quæ eſt relatio intrinſecus adueniens, ſpectans ad tertium prædicamētū, ſiue pro reſpectu tranſmutantis ad trāſmutatum, quæ eſt relatio extrinſecus adueniens, conſtituens prædicamentū actionis, ſiue pro re acta in fieri, quæ eſt actio de qua loquitur Ariſtoteles 3. libro Phyſicorum, cum docet, actionē, & paſsionem eſſe idem realiter in motu,

motu, & ſolùm afferre formaliter, & non conſtituitur per ſe in aliquo ex decem prædicamentis, ſed reducitur ad prædicamentum ſui termini) ſpecies expreſſa, ſic dicta, quia intentionaliter expreſsè repræſentat obiectum, quod cognoſcitur, & eſt quoddam accidens ſpectans ad prædicamentum qualitatis, & ſolùm grammaticaliter dicitur actio, eò quòd eſt quædam qualitas operatiua, & conſequenter per ſuum effectũ formalem, quem tribuit intellectui, in quo recipitur, reddit illum actu, & formaliter operantem, ſeu intentionaliter tẽdentem, & reſpicientem obiectum, quod repęſentat.

3 His prælibatis; prima ſententia eſſe poteſt, quam attribuit Rubius *tractatu de actu intellectus poſsibilis, quæſt.* 1. multis auctoribus, nimirum, intellectionem formaliter conſiſtere in receptione ſpecierum intelligibilium impreſſarum in intellectu poſsibili Verum eſt, commentatorem Scoti in 1. diſt. 3. quæſt. 6. ſolùm attribuere hanc ſententiam Gotfredo *quodlibeto* 4. Ægidio *quodlibeto* 3. & Sueſſano *libro* 5. *de intellectu cap.* 9. fortaſsis, quia reliqui auctores, quos citat Rubius, non loquuntur de receptione ſpeciei impreſſæ, ſed de receptione ſpeciei expreſſæ; quod longè diuerſum eſt.

4 Sed cuiuſcumque ſit iſta ſententia, falſa omninò eſt. Nam ſi, vt ſupponimus, ſpecies impreſſa ſimul cum intellectu effectiuè concurrit ad intellectionem, nõ poterit intellectio formaliter conſiſtere in receptione ſpeciei impreſſæ, ſeu in ipſa ſpecie impreſſa, recepta in intellectu poſsibili; aliàs idem eſſet concauſa efficiens ſui ipſius; quod implicationem inuolvit.

5 Nec refert, quòd aliqui obiiciunt, ſcilicet, intellectũ formaliter intelligere, quando fit ſimilis obiecto; ſed fit ſimilis obiecto per receptionem ſpeciei impreſſæ; ergo intellectio formaliter cõſiſtit in receptione ſpeciei impreſſæ. Nam maior ſolũ eſt vera, & intelligẽda de ſimilitudine formali, & expreſſa; non verò de ſimilitudine virtuali, ſeu cauſatiua ſimilitudinis formalis, & expreſſæ, qualis eſt ſpecies impreſſa. Hęc enim (vt ſæpè dictum eſt) ſolùm dicitur ſimilitudo, ſeu expreſsio obiecti, in quantum ſimul cum intellectu producit ſpeciem impreſſam, quæ eſt ſimilitudo, ſeu expreſsio obiecti formalis, & expreſſa.

6 Secunda ſententia affirmat, intellectionẽ formaliter ſumptam non conſiſtere in ſpecie expreſſa, quæ producitur ab intellectu poſsibili informato ſpeciebus intelligibilibus impreſſis, & dicitur verbum mentis; ſed in productione, ſeu actione illa media, qua producitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum men-

Digitized by Google

mentis. Hæc eſt communis, & recepta ſententia inter Thomiſtas, quam attribuunt Diuo Thomæ varijs in locis, quæ infra referemus.

7. Sed quamuis omnes Thomiſtæ, cum D. Thoma in hoc aſſerto conueniant; valdè tamen differunt in explicando, ad quodnam prædicamentum ſpectet hæc productio, ſeu actio media, qua producitur ab intellectu poſsibili, informato ſpeciebus intelligibilibus impreſsis, ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis, in qua ipſi intellectionem formaliter conſtituunt.

8. Quidam ex eis affirmant ſpectare ad prædicamentum actionis; ita Conimbricenſes in hoc 3. libro cap. 8. quæſt. 3. attic. 3. Monteſinos 1. 2. diſput. 3, quæſt. 5. Fonſeca 5. Metaph. cap. 15. quæſt. 10. ſect. 2. Pater Ioannes Gonçales 1. p. quæſt. 12. art. 2. diſput. 25. ſect. 4. num. 49. & alij plures. Et quo ad hoc probari poteſt, quia actio iſta, per quam intellectus informatus ſpeciebus intelligibilibus impreſsis producit ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis, eſt verè, & propriè tranſmutatio, cum intellectus per ipſam, ex non intelligente tranſeat ad eſſe intelligẽtis; ſed habituto tranſmutantis ad trãſmutatum, quæ eſt, à qua intellectus denominatur formaliter tranſmutans (quæ in ſententia Scoti eſt relatio extrinſecùs adueniens) ſpectat ad prædicamentũ actionis; ſicuti & habitudo trãſmutati ad trãſmutans, ei oppoſita ſpectat ad prædicamentũ paſsionis; ergo actio, per quã intellectus poſsibilis producit ſpeciem expreſſam, ſeu verbũ mentis, quæ eſt, in qua ſecundũ Thomiſtas cõſiſtit formaliter intellectio, ad prædicamentũ actionis formaliter ſpectat. Neque obſtat, quòd hæc tranſmutatio, qua intellectus ex non intelligente tranſit ad eſſe intelligentis, non ſit à contrario in cõtrarium, & conſequenter, neque corruptiua, neque motus ſucceſsiuus, ſed à contradictorio in contradictoriũ, & conſequenter ſolũ perfectiua, & inſtantanea. Nam de ratione actionis, quæ eſt genus generaliſsimũ huius prædicamenti, ſolùm eſt habitudo, ſeu relatio tranſmutantis ad tranſmutatum: quòd autẽ hæc tranſmutatio fiat à contrario in contrariũ, & conſequenter ſit corruptiua, & ſucceſsiua, vel quòd fiat à contradictorio in contradictoriũ, & cõſequẽter, quod non ſit corruptiua, nec ſucceſsiua, ſed ſolũ perfectiua, & inſtantanea, ſolùm ſunt differentiæ ſpecierũ, ſeu generum ſubalternorum huius prædicamenti; aliàs actio, per quã diaphanum ex non lucido tranſmutatur in lucidum, nõ ſpectaret ad prædicamentum actionis; quod planè eſt falſum.

9. Alij verò per oppoſitũ affirmant,

mant, ſpectare ad prædicamē-tum qualitatis; & pro hac ſententia citant Patres Carmelitani D. Thomam opuſculo 47. cap. 7. & in 1. diſt. 8. quæſt. 4. & 1. part. quæſt. 18. art. 1. Caietanum 1. part. quæſt 79. art. 2. & quæſt. 34. art. 1. ad 2. Capreolum in 1. diſt. 35. quæſt. 1. artic. 3. & in 2. diſt. 1. quæſt. 2. Ferraram 2. contra gentes capite 9. & quàm plures alios; & eam vt Diui Thomæ defendit Ioānes à Sancto Thoma quæſtione 11. artic. 1. & etiam tuetur Auerſa quæſt. 75. de anima, ſect. 3. & quoad hoc diſcrimē, quod inter Thomiſtas verſatur, probari poteſt hæc ſententia, quia actio, ſumpta pro re acta in fieri, ad nullum prædicamentum per ſe ſpectat; ſed reductiuè collocatur in prædicamento ſui termini, vt Ariſtoteles 5. Phyſicorum docet, & recipitur ab omnibus; ſed terminus huius actionis eſt ſpecies expreſſa, ſiue verbum mētis, quod in omnium ſententia eſt qualitas: ergo prædicta actio, ſumpta pro re acta in fieri ad prædicamentum qualitatis, ſaltem reductiuè ſpectabit.

10 Sed adhuc inter iſtos vltimos Thomiſtas aliud diſcrimen reperio; nam aliqui ipſorum, inter quos ſunt Ioannes à Sancto Thoma, Auerſa, Caietanus, & Ferrara, illam qualitatem, in qua dicunt, formaliter conſiſtere intellectionem, diſtinguunt à qualitate, in qua formaliter conſiſtit ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis, tanquam duas qualitates realiter inter ſe diſtinctas; quod alij Thomiſtæ non admittunt, & meritò; quia duæ qualitates realiter diſtinctæ duas actiones realiter diſtinctas neceſſariò requirunt, ſumpta actione, pro re acta in fieri; quia actiones in hac acceptione ſumptæ, identificātur cum terminis earum, licet modaliter diſtinguantur: dari autem duas actiones realiter diſtinctas, vnam, per quam producatur intellectio, & aliā, per quam producatur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis, ipſis etiam aduerſarijs conſentientibus, falſum eſt.

11 Alij verò dicunt, qualitatem, in qua intellectio formaliter conſiſtit, non eſſe diſtinctam à qualitate, quæ dicitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis, ſicut duas res, ſeu duas qualitates; ſed eſſe eamdem rem, ſeu qualitatem, modaliter diſtinctam; quæ doctrina, quantum attinet ad diſtinctionem harum qualitatum, vera eſt, & communiter recepta; communiter enim receptum eſt id, quod ex profeſſo docuimus 3. libro Phyſicorum diſputat. 1. quæſtione 3: ſcilicet, motum ſumptum pro forma fluente, & ſimiliter actionem ſumptam pro re acta in fieri, etſi realiter diſtinguantur à ſuis terminis, ſed non tanquam duæ res; ſed tanquam

Digitized by Google

eadem res ſub diuerſis modis exiſtendi; eadem enim res, quæ dum eſt in fieri, ſeu in eſſe imperfecto, & viali, dicitur motus, ſeu actio; dum eſt in facto eſſe, & in eſſe perfecto, dicitur terminus motus, ſeu actionis, ſumpto motu pro forma fluente, & ſumpta actione pro fieri rei, ſeu forma facta in fieri, ſicut hic ſumitur ab his Thomiſtis. Sed quantum attinet ad præcipuam aſſertionem, ſcilicet, intellectionem formaliter conſiſtere in iſta actione, non minores difficultates involuit, quas infra, dum probemus ſentētiam Scoti, adducemus.

12 Sed quidquid ſit de his diuerſis Thomiſtarum placitis, id, in quo omnes conueniunt, ſcilicet, intellectionem non conſiſtere formaliter in ſpecie expreſſa, ſeu verbo mentis, ſed potiùs in productione, ſeu actione media, qua producitur; probare intendunt, licet non ex eodem, ſed ex diuerſis capitibus.

13 Conimbricenſes, & alij, qui, vt diximus, ſuſtinent, intellectionem formaliter non conſiſtere in aliqua qualitate; ſed formaliter ſpectare ad prædicamentum actionis, id probare nituntur ex Ariſtotele: nam in primis 10 Ethicorum capite 3. de operationibus immanentibus, & in quibus conſiſtit noſtra felicitas, vt ſunt operationes intellectus, & voluntatis, expreſſè affirmat, non eſſe qualitates; verba Ariſtotelis ſunt, *Neque enim virtutis, & felicitatis operationes qualitates ſunt*. Deinde 9. Metaphyſ. cap. 9. actionem verè, & propriè dictam diuidit in tranſeuntem, & immanētem, tanquam genus in ſpecies; ſed intellectio eſt actio immanens; ergo formaliter conſiſtit ſecūdum Ariſtotelem in aliqua actione verè, & propriè dicta, & non in aliqua qualitate.

14 Alij verò Thomiſtæ, qui etiamſi admittant, intellectionem non eſſe de prædicamento actionis, ſed de prædicamēto qualitatis; ſuſtinent tamen, non conſiſtere formaliter in qualitate, quæ eſt ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis, ſed in actione, ſumpta pro re acta in fieri, media qua producitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis; ex alio capite ſuam ſententiam deducunt, nimirum, quia illa actio, qua media producitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis, non ſolùm eſt *dictio*, ſed etiam formaliter eſt *intellectio*; nam, vt terminatur ad ſpeciem expreſſam, ſeu verbum, quod per ipſam producitur, dicitur dictio, & vt terminatur ad obiectum, quod repræſentatur per verbum, dicitur intellectio. Porro prædictam actionem eſſe formaliter intellectionem, probare conātur, tam auctoritatibus, quàm rationibus.

15 Au-

Digitized by Google

15 Auctoritates deſumptæ ſunt, tam ex Scriptura, quàm ex Diuo Auguſtino; ex Scriptura, quia in ea actio, per quam producitur verbum mentis ſæpè appellatur cogitatio, ſeu intellectio, Sapientiæ 2. *Dixerunt apud ſe cogitantes*. Matthæi 19. *Dixerunt intra ſe, hic blaſphemat*; quibus Chriſtus reſpondit, *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* ex Auguſtino, quia 5. de Trinitate dicit, *verbum eſſe viſionem de viſione*, id eſt; productum per viſionem, ſeu intellectionem; & libro 15. cap. 7. expreſsè ait, *verbum procedere ex cognitione*.

16 Rationes deſumunt à poſteriori, id eſt, ex inconuenientibus, quæ ſequerentur, ſi dictio, ſeu actio, per quam producitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum, non eſſet formaliter intellectio; nam in primis ſequeretur, verbum diuinum nõ poſſe appellari ſapientiam genitam, vt paſsim appellatur à ſanctis Patribus. Secundò ſequeretur, Patrem æternũ formaliter non intelligere, quod abſurdum eſt. Sequela patet, quia cum formaliter non intelligat per Verbum à ſe productum, ſi etiam formaliter nõ intelligeret per *dicere*, quo producit Verbum, nullo modo eſſet formaliter intelligẽs. Et denique tertiò ſequeretur, quòd ſaltem diuina potentia poſſet in creatis ſeparari dicere ab intelligere, ita vt aliquis diceret, & non intelligeret, quod capi non poteſt.

17 Sed noſtra, & Scotica ſententia tria docet; primum, productionem, qua intellectus noſter informatus ſpeciebus intelligibilibus impreſsis, producit ſpeciem expreſſam, eſſe verè, & propriè actionem, nõ ſolùm ſumpta actione pro re acta in fieri, qua ratione actio non collocatur per ſe in aliquo prædicamento, ſed reductiuè ponitur in prædicamento ſui termini; ſed etiam ſumpta actione pro reſpectu tranſmutantis ad tranſmutatum, qui eſt relatio extrinſecus adueniens, conſtituens prædicamentum actionis. Secundum eſt, intellectionem, quæ eſt forma, à qua formaliter, & actu intelligentes denominamur, non conſiſtere formaliter in ſupradictis actionibus; ſed ſolùm in illis conſiſtere cauſaliter, & tanquam in fieri intellectionis formalis. Tertium eſt, intellectionem, quæ eſt actus, à quo formaliter intelligentes denominamur, formaliter cõſiſtere in effectu formali, quem ſpecies intentionalis expreſſa tribuit intellectui poſſibili, in quo recipitur, quę ſpecies ideò denominatur expreſſa, quia eſt expreſſa ſimilitudo intentionalis obiecti, quod intelligitur, & eſt quoddam accidens ſpectans ad prædicamentum qualitatis, & ſolùm grammaticaliter dicitur actio,

co-

eo quòd eſt quædam qualitas operatiua, & conſequenter per ſuum effectum formalem, quē tribuit intellectui, in quo recipitur, reddit illum actu, & formaliter operantem, ſeu intentionaliter tendentem, & reſpicientem obiectum, quod repræſentat.

18 Hæc eſt genuina doctrina Scoti pluribus in locis; legatur in 1. diſt. 27. quæſt. 3. num. 19. vbi reſpondendo ad 3. argumentum ſic ait, *Ad tertium dico, quòd notitia proles eſt, verè genita; ſed productio illa non eſt actualis intellectio, quia (vt dictum eſt ſupra) actualis intellectio, non eſt actio de genere actionis, ſed eſt qualitas nata terminare talem actionem, quæ ſignificatur per hoc, quod eſt, dicere, vel in communi per hoc quod eſt, elicere; non igitur verbum eſt aliquid productum actione, quæ eſt intellectio; quia ipſa intellectio non eſt productiua alicuius; ſed ipſa eſt producta actione, quæ eſt de genere actionis, ſicut dictum eſt ſupra*; hæc Scotus; legatur etiam in eodē 1. diſt. 3. quæſt. 6. & 9. ad 3. & 4. & diſt. 10. quæſt. 5. & diſt. 11. quæſt. 2. & latiſsimè quodlibeto 13. & quodlibeto 15. quem omnes diſcipuli ſequuntur, Faber in 1. ſententiarum Scoti, diſput. 21. Rada 1. part. controu. 7. & ex alijs Rubius tractatu de actu intellectus poſſibilis quæſt. 3. Vazquez 1. 2. diſp. 9. cap. 4. & 1. part. diſput. 141. num. 17. qui plures alios citat; imò videtur eſſe D. Thomæ 1. part. quæſt. 34. art. 1. ad 3. vbi ponit hæc verba, *Intelligere importat ſolùm habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla actio originis importatur; ſed ſolùm informatio quædam in intellectu noſtro, prout intellectus noſter fit in actu per formam rei intellectæ.*

19 Probari poteſt hæc noſtra ſententia per ſingulas eius partes diſcurrendo, & in primis productionem, qua intellectus noſter informatus ſpeciebus intelligibilibus producit ſpeciem expreſſam eſſe verè, & propriè actionē, ſumpta actione pro re acta in fieri, & quæ ſpectat ad prædicamentum ſui termini, dubitari non poteſt, cum ſpecies expreſſa ſit verè, & propriè effectus intellectus, & omnis effectus dependeat à ſua cauſa efficiente in ſuo fieri; & conſequenter media actione, ſeu productione; quibus ſi addas id, quod dicebamus, & probauimus num. 8. ſcilicet, productionem iſtam non ſolū eſſe actionem; ſumpta actione pro fieri rei, ſeu pro re acta in fieri, ſed etiam eſſe mutationē; reperies huic productioni nihil deficere ad hoc, vt conſiderata ſub ratione mutationis, etiam verè, & propriè ſit actio de prædicamento actionis; quod, vt ſæpè dictum eſt, in relatione extrinſecus aduenientе transmutantis ad tranſmutatum formaliter conſiſtit; ſicut è contrario, prædicamētum paſſionis,

Digitized by Google

ſionis, ei correſpondens in relatione extrinſecus adueniente tranſmutati ad tranſmutans.

20 Deinde intellectionem, à qua formaliter intelligentes nominamur, non conſiſtere formaliter in aliqua ex ſupra dictis actionibus, probari poteſt contra Thomiſtas, qui, vt ſupra vidimus, oppoſitum affirmabant; nam non poteſt cõſiſtere in actione ſpectante ad prædicamentum actionis (vt Thomiſtæ num. 8. relati ſuſtinebant) quia cum actio iſta ſolùm formaliter conſiſtat in relatione tranſmutantis ad tranſmutatum, non poterit ab illa intellectus noſter formaliter denominari intelligens; ſed potiùs ſe ipſum tranſmutans ex non intelligente ad eſſe intelligentis ab illa denominari poterit.

21 Neque etiam conſiſtere poteſt in actione ſumpta pro fieri rei, ſeu, quod idem eſt, pro re acta in fieri, qua ratione actio non ſpectat ad prædicamentũ actionis; imò, vt ſæpè dictum eſt, per ſe ad nullum prædicamentum ſpectat, ſed reductiuè collocatur in prædicamento ſui termini, (qui eſt ſenſus, in quo Thomiſtæ num. 9. citati ſumebant actionem, cum in ea formaliter conſtituebant intellectionem; & ideo dicebant ſpectare ad prædicamentum qualitatis; quia eius terminus eſt qualitas, nimirum ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis) vt multis probari poteſt.

22 Primò, quia operationes immanentes, vt ſunt intellectio in intelligente, viſio in vidente, & vita in anima, ex Ariſtotel. 9. Metaph. textu 16. & 1. ethicorum cap. 9. non habẽt terminum productum; ſed actiones ſumptæ pro fieri rei habent terminum per ipſas productum, cum in fieri ipſius termini eſſentialiter conſiſtant; ergo ex mente Ariſtotelis intellectio, cæteræque operationes immanentes non poterunt in actione ſumpta pro fieri rei formaliter conſiſtere.

23 Secundò; intellectio formaliter ſumpta eſt vltimus actus intellectus, & natura ſua ſolùm ordinata ad illũ perficiẽdum; ſed actio ſumpta pro fieri rei non eſt vltimus actus intellectus noſtri, cum natura ſua ordinetur ad vlteriorem actũ, ſcilicet, ad terminum eius; neque natura ſua eſt perfectio intellectus, cum natura ſua potiùs ordinetur ad perficiendum terminum, qui per ipſam producitur: ergo intellectio noſtra formaliter conſiderata nõ poteſt cõſiſtere in actione, ſumpta actione pro fieri rei, ſeu pro re acta in fieri.

24 Tertiò, & eſt ratio à priori, quia per illam formam redditur intellectus noſter actu; & formaliter intelligens, per quã intellectus noſter fit ipſum intelligibile, non in eſſe rei, ſed in eſſe repræſentatiuo (vt ex do-

Digitized by Google

doctrina Ariſtotelis ſæpè inculcatum eſt) ſed ab actione, per quam intellectus noſter producit ſpeciem expreſſam obiecti, ſeu verbum mentis, nō habet intellectus noſter actu, & formaliter repræſentare obiectum, ſed ſolum cauſaliter; ergo in prædicta actione non poterit intellectio noſtra actu, & formaliter conſiſtere, ſed ſolùm cauſaliter.

25 Demum intellectionem, quæ eſt actus à quo formaliter intelligentes denominamur, formaliter conſiſtere in effectu formali, quem ſpecies intentionalis expreſſa tribuit intellectui poſſibili, in quo recipitur, quæ eſt vltima, & præcipua pars noſtræ ſententiæ. Probari poteſt ex eo, quòd huic effectui formali attribui poſſunt omnes, & ſingulæ conditiones, quæ ad rationem formalem intellctionis requiruntur, vt inductione demonſtro.

26 Nam in primis negari nō poteſt, quòd hic effectus formalis ſit actus vitalis intellectus poſſibilis, cum per ipſum intellectus poſſibilis vitaliter operetur circa obiectum, ipſum vitaliter intuendo: deinde non eſt productiuus alicuius termini, quæ eſt altera conditio in operationibus immanentibus, vt ſunt intelligere, videre, &c. ab Ariſtotele locis num. 22. citatis, per ſe, & neceſſario requiſita; & ideo, etſi aſsimilentur actionibus, reuera actiones nō ſunt cum de ratione actionis ſit, habere terminū per ipſam productum; ſed ſolum grammaticaliter, & verbaliter actiones appellantur. Et hinc etiam oriūtur aliæ duæ conditiones, quæ ad formalem intellectionem requirūtur, ſcilicet, quòd ſit actus vltimus intellectus, & natura ſua ſolum ad perficiendum intellectum ordinatus: & demum cum ſit actus intencionalis formaliter, & expreſsè repræſentans obiectum per ipſum, intellectus poſsibilis, in quo recipitur, fit ipſum intelligibile in eſſe repræſentatiuo, quæ eſt etiam conditio ab Ariſtotele ad rationem formalem intellectionis requiſita. Cum ergo nulla ſit conditio ad rationem formalem intellectionis noſtræ requiſita, quæ non reperiatur in effectu formali, quem ſpecies expreſſa tribuit intellectui poſsibili, in quo recipitur, dubitari non debet, quòd in prædicto effectu formali noſtra intellectio formaliter conſiſtat.

27 Ad primam auctoritatem Ariſtotelis ex duabus, quibus Conimbricenſes, & alij probare nitebantur, intellectionem formaliter non conſiſtere in aliqua qualitate, ſed in actione de prædicamento actionis, reſpondemus, dicto loco ſolum negaſſe Ariſtotelem operationes virtutis, & felicitatis eſſe qualitates permanentes, ſicuti ſunt habitus, non vero negaſſe

eſſe

Digitized by Google

eſſe qualitates tranſeuntes, ſicuti ſunt diſpoſitiones; imò potiùs id affirmaſſe conſtabit legentibus contextũ; ſolvit enim ibi argumentum Platonicorũ; qui ex eo probabant, delectationes non eſſe de genere bonorum, quia non erant qualitates permanentes, cui argumento reſpondet Ariſtoteles admittendo, operationes virtutis, & felicitatis non eſſe qualitates permanentes; ſed negãdo prædictas operationes non eſſe de genere bonorum, quia ad hoc ſufficit, quòd ſint qualitates trãſeuntes, quod conuenit operationibus virtutis, & felicitatis, vt ſunt operationes intellectus, & voluntatis.

28 Ad ſecundam auctoritatem ex 9. Metaph. vbi Ariſtoteles actionem verè, & propriè dictam diuidit in tranſeuntem, & immanentem, optimè reſpondet Scotus in 1. diſtinct. 3. quæſt. 6. §. *Ad tertium* ſub diſtinctione; actio enim immanens dupliciter ſumi poteſt; primò pro ipſa operatione, quæ eſt intelligere, velle, & videre, &c. Secundò pro actione productiua, ſeu elicitiua iſtarum operationum, quæ meritò immanens appellatur, cum tam ipſa, quàm eius terminus maneant, ſeu recipiantur in ipſo producente, ſeu eliciente, à diſtinctione tranſeuntis, quæ neque ipſa, neque eius terminus manent, ſeu recipiuntur in ipſo producente, ſed in externa materia, ſeu ſubiecto. Hac diſtinctione ſuppoſita, reſpõdet Scotus, quod ſi actio immanens primo modo ſumatur, dicta diuiſio non eſt vniuoci in vniuocata, nec generis in ſpecies; ſed æquiuoci, ſeu analogi in ſua æquiuoca, ſeu analogata; & rectè quidem, quia cum de ratione intrinſeca actionis verè, & propriè ſumptæ ſit habere terminum, per ipſam productum, & actio immanens primo modo ſumpta nullum habeat terminum per ipſam productum, in prædicta diuiſione, etſi nomen vtrique membro diuidenti ſit commune; tamen ratio ſubſtantiæ, nomine communi ſignificata, in membris diuidentibus non eſt eadem, ſed diuerſa. At ſi actio immanens ſumatur ſecundo modo, vt deſumpta fuit ab Ariſtotele in prædicta diuiſione, prædicta diuiſio non ſolùm eſt vniuoci in vniuocata, ſed etiam generis in ſpecies (inquit Scotus) tamen ex hoc non ſequitur, quòd intellectio formaliter ſumpta ſit actio, ſumpta actione verè, & propriè, ſed quòd productio, ſeu elicitio intellectionis, quæ dicitur *dictio* in actione verè, & propriè ſumpta conſiſtat, quod nos cum Scoto libentiſsimè fatemur.

29 Ad argumenta, quibus alij Thomiſtæ probare conabantur, dictionem, per quam producitur ſpecies expreſſa,

ſeu

Digitized by Google

ſeu verbum mentis (quæ etiam in ipſorum ſententia non eſt de prædicamento actionis, ſed reductiuè ponitur in prædicamento qualitatis) eſſe formaliter intellectionem, ſuo ordine reſpondemus.

30 Ad auctoritates ſcripturæ dicimus, in locis ſcripturæ adductis dictionem, quæ eſt actio, per quam producitur verbum mentis, appellari intellectionem, ſeu cognitionem, nō in ſenſu formali, ſed in ſenſu cauſali, eo, ſcilicet, quòd in nobis, de quibus ibi fit ſermo, dictio eſt actio, per quam producitur verbum, ſeu ſpecies expreſſa, in cuius effectu formali, vt dictum eſt, formaliter conſiſtit noſtra intellectio. Ad auctoritates Auguſtini reſpondemus, Verbum dici ab Auguſtino eſſe viſionem de viſione, nō quia per viſionem, ſeu intellectionem producatur; ſed quia procedit ex memoria fœcunda, quæ memoria fœcunda eſt viſio, ſeu intellectio in actu primo; & idem intelligit per cognitionem, cum in ſecundo loco ait, Verbum procedere ex cognitione.

31 Ad primum ex inconuenientibus, quæ adducta ſunt in contrarium, dicimus, falli, qui putant, Verbum diuinum appellari à Patribus ſapientiam genitam, eo quòd dictio, per quam procedit à Patre, ſit formaliter intellectio; aliàs intelligere ſolùm conueniret Patri, non ſecus, ac ſolùm illi competit dicere, ſeu generare Verbum; quod eſt abſurdum. Dicitur ergo à ſanctis Patribus Verbum diuinum ſapientia genita propter eaſdem rationes, ob quas ab eiſdem ſanctis Patribus appellatur Verbum Patris, nimirum, quia eſt expreſsio eorum, quæ ſunt in memoria fœcunda Patris, ab ipſo Patre genita, ſeu producta.

32 Ad ſecundum iterùm dicimus falli, qui exiſtimant, ex noſtra ſententia, quæ ſuſtinet Patrem æternum formaliter non intelligere per *dicere*, quo producit diuinum Verbum, neceſſariò inferri, Patrē æternum nullo modo formaliter intelligere; nam etiamſi Pater æternus formaliter non intelligat, neque per Verbum diuinum à ſe productum, neque per dictionem, per quam ipſum producit; intelligit tamen verè, & formaliter per intellectionem improductam, eſſentialem, & communem tribus diuinis Perſonis, qua eſſentia diuina in illo priori naturæ, in quo eſſentialia præcedunt notionalia, concipitur actu intelligens.

33 Ad tertium negamus ſequi, ex eo quòd dicere non ſit formaliter intelligere, poſſe Deum potentia ſua abſoluta ſeparare ſaltem in nobis dicere ab intelligere; cuius ratio eſt, quia vt ex dictis conſtat, dicere in creatis eſt via, & fieri intel-

tellectionis, & conſequenter modus illius; & inter Philoſophos receptum eſt, implicationem involuere, modum exiſtere poſſe ſine re, cuius eſt modus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm intellectio noſtra ſit verbum mentis?

1 VT explicemus, an intellectio noſtra ſit verbum mentis, priùs ſtatuendum erit, quid, & quotuplex ſit verbum in communi ſumptum?

2 Circa primum conueniũt omnes, verbum in communi ſumptum ſic optimè definiri, *Verbum eſt ſignum à dicente prolatum, manifeſtatiuum eius, quod eſt in mente*; in qua definitione præter rationem ſigni, quæ ponitur in ea loco generis, ponuntur loco differentiæ duæ conditiones, quæ ſimpliciter neceſſariæ ſunt ad rationem verbi; prima, quod ſit prolatum, ſiue productum, & non ab alio, quàm à dicente, id eſt, ab eo, qui propriam mentem manifeſtare intendit; nam verbum relatiuè dicitur ad loquutionẽ, & loqui ſolus ille dicitur, qui propriam mẽtem ſibi, vel alijs manifeſtat, ſecunda, quòd ſit manifeſtatiuum, non cuiuſcũque; ſed illius, quod eſt in mẽte, quod intelligẽdũ eſt de ſigno per ſe, & immediatè manifeſtatiuo, & per hoc excluduntur à ratione verbi ſcripturæ; quia per ſe, & immediatè non manifeſtant ea, quæ ſunt in mente; ſed ſunt ſigna verborum vocalium, quibus ea, quæ ſunt in mente, per ſe, & immediatè manifeſtantur. Et eadem eſt ratio de alijs ſignis ſimilibus, vt quando manu, aut alijs nutibus voces ſignificamus, & ijs medijs, quæ in mente latent.

3 Circa ſecundum (omiſſa quadam impropria, & valdè metaphorica acceptione verbi, ſecundum quam verbum appellari ſolet res ipſa, quæ verbo manifeſtatur, vt cum dicimus, hoc eſt verbum, quod mandauit Rex) D. Thomas 1. par. quæſt. 34. ar. 1. diuidit verbum in communi in tria mẽbra, ſcilicet, in verbum vocis, in verbum imaginationis, & in verbum mentis, quam diuiſionem deſumpſit ex D. Damaſceno 1. de fide ortodoxa, cap. 18. & ex Auguſtino lib de cognitione veræ vitæ cap. 14. & communiter ab Scholaſticis recipitur, & ſolum eſt dubium apud ipſos in explicando, quid ſint hæc verba, & qualiter in ipſis ratio verbi reperiatur?

4 Nam in primis de verbo vocis ſunt, qui dicant, vocem non eſſe verè, & propriè verbum, ſed metaphoricè; & fundamentum eſſe poteſt, quia de ratione verbi eſt eſſe ſignum, quod vocibus non competit

for-

formaliter, & intrinſecè, cum ſint ſigna ad placitum, ſed extrinſeca denominatione, nimirum, ex inſtitutione hominum, quæ nihil reale ponit in vocibus.

5 Sed tenendum eſt cum communi, & vera ſententia, verbum vocis eſſe verè, & propriè verbum, cum ſit verè, & propriè ſignum à dicente prolatum, manifeſtatiuum eius, quod eſt in mente proferentis ſeu dicentis. Neque obſtat, quòd voces ſignificant ad placitum, & conſequenter denominatione extrinſeca ad hoc, vt ſint verè, & propriè ſigna, & non ſolum impropriè, & per metaphoram (vt oppoſita ſententia contendebat) nam paries, qui videtur, dicitur viſus, non metaphoricè, ſed verè, & propriè, & nihilominus eſſe viſum eſt denominatio extrinſeca in pariete, ſicut eſſe ſignum in vocibus, quæ ad placitum ſignificant.

6 De verbo Imaginationis non nihil eſt difficultatis. Eſt autem aduertendum, in imaginatione duo nos poſſe conſiderare, de quibus dubitari poteſt, an ſint verbum? Primum eſt ſimilitudo expreſſa obiecti, quod per imaginationē cognoſcitur, quæ ſimilitudo, ſeu ſpecies expreſſa producitur à potentia imaginatiua informata ſpecie obiecti impreſſa, & in ipſa potentia imaginatiua recipitur, &, vt ex dictis quæſt. præcedenti conſtat, in effectu formali huius ſpeciei expreſſæ imaginatio actualis formaliter conſiſtit. Secundū eſt formatio verborum vocalium, quæ imaginatione fit; nā voces ore exprimere non poſſumus, niſi priùs illas imaginatione formemus.

7 Si de primo ſermo ſit, Vazquez in commento articuli primi, quæſt. 34. primæ partis ſancti Thomæ affirmat, ſpeciem expreſſam formatam, ſeu productam ab imaginatione eſſe verè, & propriè verbum. Quod ſi huic auctori obijcias, ſequi ex hoc, etiam eſſe verè, & propriè verbum ſpecies expreſſas, quas producunt, & in ſe recipiunt ſenſus externi ſuorum obiectorum, quando illa cognoſcunt, ſeu ſentiunt; imò & ſpecies expreſſas productas per imaginationem brutorū; quod nullus vnquam conceſſit; reſpondet nihilominus, & eius diſparitatē dicit eſſe, quia imaginatio hominis aliquid rationis participat, ratione cuius ſpecies expreſſa per ipſam producta poſsit appellari verbum, quod non participāt ſenſus externi, vel brutorum imaginationes.

8 Verum ego nō capio, quid eſſe poſſit hæc participatio rationis, quæ imaginationi hominis conceditur, præter directionem aliquam extrinſecā, qua actus imaginationis, imò & ſenſuum externorum à ratione

ne

ne dirigi, & ordinari poſſunt. Neque video, quid hæc ordinatio, vel quæcũque alia participatio rationis, quæcumque fingatur, præſtare poſsit ad hoc, quòd ſpecies expreſſa imaginationis dicatur verbum; ſiquidem de ratione verbi eſt, quòd ſit expreſsivum primò, & per ſe eius, quod eſt in mente; ſpecies autem hæc imaginationis, etſi ſit expreſsiua, & manifeſtatiua; ſed non primò, & per ſe eius, quod eſt in mente, ſed eius, quod eſt in imaginatione. Quare dicendum ſentio, ſpecies expreſſas productas per imaginationem, vel per quemcumque ex ſenſibus exterioribus, etſi in multis verbo ſimiles ſint; nihilominus non eſſe verè, & propriè verba; quia non exprimunt primò, & per ſe, neque manifeſtant ea, quæ ſunt in mente.

9 Si verò ſermo ſit de ſecundo, Lorca in diſputat. 6. de perſona Filij, quæſtione 1. membro 1. ſuſtinet, quòd ſicut ſcripturæ non dicuntur verè, & propriè verbum, etiamſi explicent, quæ ſunt in mente, non alia ratione, niſi quia hoc non præſtant primò, & per ſe, ſed medijs vocibus, quarum ſunt ſigna; ita etiam formationes verborum vocalium, quæ fiunt per imaginationem, non dici verè, & propriè verbum, eo quòd non explicant, ſeu manifeſtant ea, quæ ſunt in mente primò, & per ſe; ſed medio verbo vocali, cuius ſunt efformationes.

10 Sed huius auctoris ſententia, non ſolùm eſt cõtra Diuum Thomam, qui loco ſupra citato expreſsè docet, hæc tria verba ab ipſo enumerata eſſe verè, & propriè verba, & ſolùm eſſe metaphoricè verbum, rem per verbum ſignificatam; ſed etiam eſt cõtra Damaſcenum, & Auguſtinum, qui idem docuerunt, & ex quibus D. Thomas deſumpſit prædictam diuiſionem.

11 Dicendum eſt cum communi, & recepta ſentẽtia, Verbum imaginationis, ſumptum pro efformatione verborum vocalium facta ab imaginatione verè, & propriè eſſe verbum. Nam ſicut verba vocalia ſunt quædam exemplaria, quæ nobis primò, & per ſe manifeſtant ea, quæ ſunt in mente latentia; ita & verba imaginationis, nec re vera ſe habent, vt ſcripturæ, vt contendebãt Lorca, cuius ſignum eſt, quia ſcripturis non poſſumus nobis, vel alijs manifeſtare, quæ in mente latent, niſi ipſis mediantibus deueniamus in efformationem verborum vocalium, vel imaginationis, quę ſunt, quæ primò, & per ſe ea, quæ latent in mente, manifeſtãt; at verbis imaginationis, de quibus loquimur, poſſumus deuenire primò, & per ſe in cognitionẽ eorũ, quæ ſunt in mẽte; imò de facto ſæpè deuenimus, im-

Digitized by Google

immediatè, & antequàm efformemus verba vocis, aut aliquod aliud verbum.

12 De verbo mentis affirmant omnes Catholici, verè, & propriè eſſe verbum, quod adeò verum eſt, vt oppoſitum affirmàri non poſsit ſine temeritate, & nota erroris. Nam dicentes, verbum mentis non eſſe verè, & propriè verbum; cōſequenter tenentur affirmare, Filium Dei non eſſe verè, & propriè Verbum; quia in Deo non poſſumus collocare aliud Verbum, quàm Verbum mētis: dicere autem, quòd Filius Dei, non eſt verè, & propriè Verbum, non ſolùm eſt contra omnes Patres, & Scholaſticos, ſed etiam expreſsè cōtra Scripturam, quæ illum abſolutè verbum appellat, Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.*

13 Sunt autem tria in intellectu noſtro, de quibus dubitari poteſt, in quonam ipſorum conſiſtat verbum mentis? Primum eſt ſpecies impreſſa, quæ ſolùm virtualiter repræſentat obiectum, & per quam intellectus poſsibilis fœcundatur, & quaſi in actu primo conſtituitur potens elicere, ſeu producere intellectionem. Secūdum eſt habitus, qui per receptionem cognitionis eiuſdem obiecti comparatur. Tertium eſt ſpecies expreſſa obiecti, quæ per intellectum fœcundatum ſpecie impreſſa, producitur, & recipitur in eodem intellectu, in cuius effectu formali, in noſtra, & Scoti ſententia (vt ex dictis in quæſtione præcedenti conſtat) cōſiſtit formaliter actualis intellectio.

14 Et cum manifeſtum ſit, non poſſe verbum mentis cōſiſtere in ſpecie impreſſa, quia hæc non producitur à dicente, ſeu intelligente; ſed ab obiecto relucente in phantaſia miniſterio intellectus agentis, cuius munus non eſt intelligere, vel dicere; & inſuper non eſt manifeſtatiua eius, quod eſt in mente; ſed potiùs eſt id, per quod obiectum eſt in mente; & ſimiliter manifeſtum ſit, non poſſe verbum mentis conſiſtere in habitu; quia etiamſi habitus producatur à dicente, ſeu intelligente; non tamē eſt manifeſtativus eius, quod eſt in mente, quia non eſt ſignum, ſed principium facilioris, ſeu perfectioris cognitionis; conueniunt omnes, neque quoad hoc eſt aliquod diſsidium, verbum mentis in nobis conſiſtere in ſpecie expreſſa; nam ſpecies expreſſa, non ſolùm eſt ſignum expreſsè manifeſtans intellectui obiectum, quod virtute ſpeciei impreſſæ erat in mente, ſeu momoria (ſic enim ab Auguſtino, & ab Scoto appellatur ſæpiſsimè intellectus, quando per ſpeciem impreſſam eſt fœcundatus, & quaſi in actu primo potens intelligere) ſed.

Digitized by Google

ſed etiam eſt à dicente prolata, ſeu producta, quæ ſunt conditiones ad verbum mentis requiſitæ.

15 Sed quamuis in hoc omnes conueniant; valdè tamen differunt in explicãdo id, quod directè inquirit hæc ſecunda quæſtio, *verùm, ſcilicet, intellectio noſtra ſit verbum mentis?* Thomiſtæ, qui, vt quæſtione præcedenti vidimus, affirmabant, intellectionem formaliter non conſiſtere, neque in ſpecie expreſſa, neque in effectu formali, quem tribuit intellectui, in quo recipitur; ſed potiùs formaliter conſiſtere in actione media, qua producitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis; conſequenter affirmant, intellectionem noſtram non eſſe verbum mentis; ſed potiùs eſſe actionem, qua media producitur verbum mentis. Et ſolùm eſt diſcrimen inter ipſos in explicando, ad quod prædicamẽtum ſpectet hæc actio, media qua producitur verbum mentis, in qua ipſi formaliter conſtituunt intellectionem; nam, vt quæſtione præcedenti latiùs expendimus, quidam dicebant ſpectare ad prædicamẽtum actionis; quidam verò ad prædicamentum qualitatis, vel tanquam qualitas realiter diſtincta à qualitate, quæ eſt verbum mentis, vel ſolùm diſtincta modaliter ab illa.

16 Sed hæc ſententia nobis placere non poteſt; tum, quia nititur falſo fundamento, & à nobis ex Scoto quæſtione præcedenti refutato, ſcilicet, intellectionem formaliter conſiſtere in actione, qua media producitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis; oppoſitum enim oſtẽdimus à numero 22. tam ex Ariſtotele, quàm rationibus: tum etiam, quia ſemel admiſſo, quòd intellectio formaliter cõſiſtat in aliquo prævio ad ipſam ſpeciem expreſſam, ſeu ad ipſum verbum mẽtis, quidquid illud ſit; difficilè ſane apparet, ex quo capite in nobis neceſſarium ſit ad intelligendum verbũ mentis. Nam ſicut calor, (& idem eſt iudicium de quacumque alia forma) eo ipſo, quòd informat ſubiectum, in quo inhæret, denominat illud formaliter calidum, ſecluſo alio quocumque poſteriori; ita etiam intellectio, quæ eſt forma, à qua intelligentes denominamur, ſi conſiſteret formaliter in aliquo prævio ad ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis (ſicut affirmant Thomiſtæ) eo ipſo, quòd informaret intellectum, in quo recipitur, denominaretur intellectus formaliter intelligens, ſecluſo quocumque alio poſteriori, qualis eſt ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis ſecundum ipſos.

17 Non me latet, ad hanc difficultatẽ variè reſpõdere Thomiſtas, qui tenent illud prævium ad ſpeciem expreſſam,

ſeu verbum mentis,in quo formaliter conſiſtit intellectio,eſſe actionem,per quam producitur ſpecies expreſſa,ſeu verbum mentis;reſpondent,in nobis neceſſarium eſſe ad actualiter intelligendum verbum mentis,eo quòd verbum mentis eſt terminus intrinſecus illius actionis, in qua formaliter conſiſtit intellectio noſtra, & implicationem involvit dari actionem (ſumpta actione pro re acta in fieri) ſine termino illi intrinſeco: ita philoſophatur præter auctores citatos quęſtione præcedenti numero 8. Suarez in Metaphyſ. diſputat. 8. ſect. 2. à numero 7. & libro 2. de attributis negatiuis cap. 12. & 13. & libro 3. de anima cap. 5.

18 Sed hæc reſponſio alijs Thomiſtis, quos quæſtione præcedenti numero 9. citauimus,non placet,& meritò,quia cum intellectio ex ſe non ſit actio productiua,nec reſpiciat terminum, vt productum, ſed vt cognitum, vt latè oſtendimus quæſtione præcedenti à num. 22. ad ſalvandam neceſſitatem ponendi in noſtris intellectionibus verbum mentis, falsò adducitur pro ratione, quòd verbum mentis eſt terminus productus per noſtram intellectionem.

19 Propter hæc alij Thomiſtæ, qui hoc prævium ad ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis,in quo conſtituunt formaliter intellectionem,nolunt admittere eſſe actionem, per quam producitur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis;ſed potiùs eſſe quandam qualitatem reſpicientem obiectum, non ſolùm modaliter, ſed etiam realiter,ſeu tãquam rem à re diſtinctam à qualitate, in qua conſiſtit ſpecies expreſſa,ſeu verbum mentis, ex alio capite conantur difficultati ſupra poſitæ reſpondere. Quidam ex eis dicunt, in nobis ad actualiter intelligendum ſolùm requiri ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis,quando obiectum non eſt realiter præſens,ſed abſens. Vndè conſequenter affirmant,ſolùm requiri ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis in cognitionibus noſtris abſtractiuis; ſecus verò in intuitiuis,cuius diſcriminis rationem aſsignant, quia per actum cognoſcitiuum ſolùm producitur ſpecies expreſſa ex indigentia; cùm nimirum obiectum præſens nõ habetur, vt contingit in omnibus, & ſolis cognitionibus abſtractiuis. Alij verò dicunt, & magis Peripateticè, non ſolùm in cognitionibus noſtris abſtractiuis; ſed etiam intuitiuis requiri ſpeciem expreſſam, ſeu verbum; quia præſentia obiecti, qua indiget intellectus ad intelligendum,non eſt præſentia realis, ſed intentionalis, & ſpiritualis, qualis eſt, quam habet obiectum,

in

in ſpecie expreſſa, ſeu verbo mentis, & non in ſe ipſo. Hunc modum philoſophandi inter alios ſequitur Ioannes à Sancto Thoma quæſt. 11. artic. 2. vbi affirmat, eſſe ſine dubio ſententiam D. Thomæ 1. part. quæſt. 27. art. 1. & quæſt. 9. de potentia artic. 5. & quæſt. 4. de veritate art. 2. & 4. contra gentes cap. 11.

20 Sed hæc reſponſio, neque Suarez, neque alijs auctoribus pro ſententia eius citatis placet, & meritò; tum quia ſupponit, in cognitione interuenire duas qualitates realiter, & tanquam rem à re inter ſe diſtinctas, vnam, in qua formaliter cōſiſtat intellectio, & aliam, in qua conſiſtat verbum mentis; quod quàm falſum ſit, à poſteriori oſtendimus, quæſtione præcedēti numero 10. Tum etiam, & præcipuè, quia cum per intellectionem formalem, & actualem obiectum fiat præſens intentionaliter, & ſpiritualiter ipſi intellectui, imò (vt phraſi Ariſtotelica vtar) intellectus fiat ipſum intelligibile, non in eſſe rei, ſed in eſſe intentionali, & repræſentatiuo, vanum, & ſuperfluum erit, præter intellectionem, ponere verbum mentis diſtinctum realiter ab intellectione, ob rationem, quam iſti Thomiſtæ aſsignant, ſcilicet, vt obiectum ſit præſens intentionaliter, & ſpiritualiter ipſi intellectui, cum hoc exactiſsimè habeat per ipſam formalem, & actualem intellectionem. En quantis difficultatibus oprimuntur, qui intellectionem noſtram nolunt admittere, formaliter conſiſtere in effectu formali, quam ſpecies intentionalis expreſſa tribuit intellectui poſsibili, in quo recipitur, ſed potiùs in aliquo prævio.

21 Nos autem, qui cum Scoto, & alijs, quæſtione præcedenti ſtatuimus, intellectionem noſtram formaliter conſiſtere in effectu formali, quem ſpecies intentionalis expreſſa tribuit intellectui poſsibili, in quo recipitur, facillimè ad quæſtionem propoſitam reſpondemus; etſi de ratione intrinſeca intellectionis non ſit, eſſe verbum mentis, vt patet in diuina intellectione eſſentiali, quæ verè, & propriè intellectio eſt; & tamen non eſt verbum, cum ſit improducta; & ſimiliter de ratione intrinſeca verbi mentis non ſit, quòd ſit formalis intellectio, vt patet in diuino Verbo, quod verè, & propriè eſt Verbum mentis, & tamen non eſt intellectio, qua formaliter intelligunt tres diuinæ perſonæ; tamen loquendo de omni intellectione creata (quæ eo ipſo debet eſſe quid productum) tenendum eſſe, realiter eſſe verbum mētis; eadem numero ſpecies intentionalis expreſſa, quæ, in quantum eſt ſig-

num à dicente, ſeu intelligente prolatum, ſeu productum, & manifeſtativum, & expreſſivum eius, quod eſt in mente, ab omnibus appellatur verbum mentis abſque vlla controuerſia; in quantum informat intellectum poſsibilem; in quo recipitur, & per eius effectum formalem reddit illum vitaliter operantem, ſeu intentionaliter tendentem, & reſpicientem obiectum, quod repræſentat, dicitur, & eſt formaliter intellectio, vt ex Scoto, & alijs quæſtione præcedenti ſtatuimus.

22 Neque ſolius Scoti, & aliorum, quos quæſtione præcedenti numero 18. citauimus, eſt præfata ſententia; ſed etiam eſt ſatis communis inter ſanctos Patres, qui verbum mentis ab actuali cognitione realiter non diſtinguunt; legatur Diuus Auguſtinus libro 12. de Ciuitate cap. 7. & 15. de Trinitate cap. 10. vbi ait, *Formatam cognitionem à re, quam ſcimus, verbum eſſe.* Et libro 9. cap. 17. *Conceptum rerum veracem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus.* Anſelmus quoque in monologio cap. 33. dicit, *Actum ipſum intelligendi habentem in ſe imaginem notam, verbum noſtrum eſſe.* Et Damaſcenus libro 1. fidei cap. 18. *Verbum noſtrum,* inquit, *eſt naturalis animæ noſtræ motio, ſecundum quam mouetur, intelligit, aut cogitat.*

23 Sed ne quis offendatur, ſi legerit, Auguſtinum libro 9. de Trinit. citato, aduertere oportet, ibi Auguſtinum tres conditiones requirere ad hoc, vt aliqua notitia verbum ſit; prima, quòd ſit vera; ſecunda, vt ſit notitia amata; tertia, vt fiat per diſcurſum, & ratiocinationem, qua inquirendo, & inueſtigando perueniamus ad cognitionem veritatis. Sed has cõditiones ſolùm requirit Auguſtinus ad quandam rationem perfectiſsimam verbi, quã ibi voluit abſtrahere, vt ſic maiorem ſimilitudinem oſtẽderet inter verbum creatum, & diuinum; non tamen per hoc negare intendit notitias, quibus hæ conditiones deficiunt, verbum eſſe: nam quemadmodum quælibet vox à dicente prolata, ſiue verum, ſiue falſum ſignificet, ſiue amata, ſiue non amata ſit, propriè eſt verbum vocale; ita quælibet intellectio noſtra, ſeu conceptus mentis, ſiue vera, ſiue falſa ſit, ſiue complexa, ſiue incomplexa, ſiue amata, ſiue nõ amata ſit, verbum mentale propriè, & formaliter erit.

24 Eſt prætèrea aduertẽdum, quòd ſicuti in mente eſt propriè verbum; ita eſt verè, & propriè dictio; nam dictio, & verbum relatiua ſunt, neque vnum ſine altero reperiri poteſt: quid autem ſit hæc dictio, facilè ex dictis reperiri poteſt. Dicimus enim, eſſe prolationem, ſeu productionem ver-

verbi, ſeu quod idem eſt, intellectionis, ſeu ſpeciei expreſſæ, per quam formaliter intelligimus, quę productio in creatis eſt verè, & propriè actio; & in hoc omnes ſcholaſtici conueniunt.

25 Tamē Gabriel Vazquez 1. part. diſputat. 141. cap. 4. à communi ſententia diſceſsit, aſſirmans, dictionem non eſſe productionem verbi; ſed ipſum verbum productū; & probat, quia verbum non eſt, quod dicitur, ſed res ſunt, quæ verbo dicuntur. Nam cum Iudæi loquebantur interiùs malè de Chriſto Domino, & Chriſtus eos reprehendit, ſi aliquis interrogaret à Chriſto, quid iſti dicunt, in quo eos reprehēdis, non reſponderet Chriſtus (inquit hic auctor) dicunt hanc qualitatem, ſeu hoc verbum mentis, ſed dicunt hanc, vel iſtam blaſphemiam.

26 Sed hic auctor videtur oblitus communis modi loquendi, non ſolùm ſcripturæ, in qua ſæpè reperitur hoc, quod eſt, *verbum dici* Matthæi 12. *Siquis dixerit verbum blaſphemiæ*; & Actorum 4. *Loquebantur cum fiducia verbum Dei*; & de verbo mentis ſpecialiter illud Pſalmi 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*; eructare enim ibi idem eſt, ac dicere; ſed etiam omnium hominum; quid enim frequentius apud homines, *quàm verbum dicere*? & vt verum fatear, *dictio* ad duo refertur, ſcilicet, ad verbum ipſum, quod dicitur, dum profertur, & ad rem verbo expreſſam, quæ dicitur, dum verbo declaratur: ſed *dictio* non refertur ad rem ſine medio verbo, neque eſt alia dictio rei, & alia verbi, ſed res, & verbum vna dictione dicuntur; nam proferendo verbum, res dicitur. Et quidem ſi aliquis interrogaret Chriſtum, vel quempiam alium, quid aliquis diceret, reſpondendum eſſet iuxta intentionem interrogantis; nam ſi eius intentio eſſet ſcire verba, & non res, reſpondendum eſſet per verba, verbi gratia, in caſu à Vazquez aſsignato, quæ verba dicerent Iudæi? Reſponderet Chriſtus, quòd mentalia, & non vocalia: etſi intentio eius eſſet, ſcire res, reſpondendum eſſet per res, vt ſiquis interrogaret Chriſtum, quid dicerent Iudæi, id eſt, quas res? Reſponderet, hāc, vel illam blaſphemiam.

27 Ex dictis facilè reſolvi poſſunt duo dubia, quæ ad perfectam intelligentiam *verbi* ſolent excogitari; primum, qua ratione verbum in communi dicatur de verbo mentis, vocis, & imaginationis? Reſpondetur enim, quòd vniuocè, cum non ſolùm nomen *verbi* ſit commune ipſis; ſed etiam ratio ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ, per illud ſignificata, ſit eadem in omnibus. Neque obſtat, quòd verbum vocis ſit quid

Digitized by Google

quid materiale, & verbum mētis ſit quid ſpirituale; nam hoc diſcrimen non eſt formale, ſed materiale, conſiderato *verbo*, in quantum verbum, ſeu ſignum eſt; non ſecus, ac eſt diſcrimen materiale in imagine, conſiderata imagine, in quantum imago, ſeu ſignum eſt, quòd ſit aurea, vel argentea.

28. Secundum, cui perfectiori modo conueniat eſſe verbum, an mentali, an vocali? Reſpondetur enim, quòd etiāſi impoſitio nominis per priùs conueniat verbo vocali; nam verbum dictum eſt à *verberando*, quod ſolùm reperitur in verbo vocali; tamen perfectiùs eſſe verbum mentale, quā vocale, & hoc non ſolùm materialiter, & in quantum verbum mentale eſt entitas ſpiritualis; vocale verò materialis; ſed etiam formaliter, & in ratione ſigni, cum mentale ſit ſignum naturale, & vocale ad placitum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm intellectio, qua formaliter intelligimus, poſsit produci à Deo in noſtro intellectu ſine concurſu effectiuo illius?

1 QVæſtio præſens ſolùm poteſt habere locum in noſtra Scoti, & aliorum ſententia, quæ ſuſtinet, intellectionem, qua formaliter intelligimus, formaliter conſiſtere ſolùm in effectu formali, quē ſpecies expreſſa, quæ producitur ab intellectu, informato ſpecie impreſſa, tribuit ipſi intellectui, in quo recipitur. Nam in ſententia Thomiſtarum, & aliorum, qui ſuſtinebant, intellectionem noſtram formaliter conſiſtere in actione, qua media intellectus noſter effectiuè producit ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis, manifeſtum eſt, non poſſe produci à Deo intellectionem, qua formaliter intelligimus, ſine concurſu effectiuo noſtri intellectus. Nam ſi formaliter intelligimus, in iſtorum ſententia producendo effectiuè per intellectum ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis, implicationem involvet, nos per inttellectum formaliter intelligere, & quòd intellectus effectiuè non producat ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis. Et idem eſt dicendum in ſententia illorum Thomiſtarum, qui etiamſi intellectionem noſtram formaliter non conſtituebant in actione, qua media intellectus noſter producit ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis; ſed in quadam qualitate diſtincta realiter, & tanquam re à re, ab ſpecie expreſſa, ſeu verbo mentis, affirmabant, hanc qualitatem nō produci ab intellectu media aliqua actione, ſed ſe ipſa fluere

Digitized by Google

ab intellectu, ad modum, quo fluunt actiones. Tamen quàm falſæ ſint iſtæ duæ ſententiæ, ex dictis in duabus quæſtionibus præcedentibus conſtare poteſt, vbi ex profeſſo ipſas reiecimus.

2 Gabriel Vazquez 1.2. diſputat. 9. cap. 5. & Rubius tractatu *de actu intellectus poſsibilis*, quæſtione 4. etſi nobiſcum fateantur, intellectionem, qua formaliter intelligimus, ſolùm formaliter conſiſtere in effectu formali, quem ſpecies expreſſa, quæ producitur ab intellectu informato ſpecie impreſſa, tribuit ipſi intellectui, in quo recipitur; nihilominus ſuſtinent, implicationem involvere, quòd intellectio, à qua formaliter intelligẽtes denominamur, à ſolo Deo, & ſine aliquo concurſu effectiuo noſtri intellectus producatur; & conſequenter hoc non poſſe Deum præſtare, adhuc potentia abſoluta; & probare nituntur.

3 Primò, quia de ratione intrinſeca intellectionis noſtræ eſt, quòd ſit actus vitalis; ſed implicationem involvit, quòd actus vitalis ſit à principio extrinſeco; ergo implicationem involvit, quòd actus, quo formaliter intelligimus, ſit ſolùm à Deo, & abſque aliquo concurſu effectiuo intellectus noſtri. Et confirmatur à Vazquez, quia de intrinſeca ratione intellectionis eſt, vt per ipſam intelligens feratur, & tendat in obiectum; ergo intellectio neceſſariò poſtulat procedere ab ipſo intelligente; nam aſſerere attentionem aliquam eſſe poſſe ſine conatu attendentis, eſt manifeſtè abuti (inquit Vazquez) ſignificatione ipſa vocis.

4 Secundò (& eſt prima ratio, qua vtitur Vazquez) impoſsibile eſt, amorem, quo nos aliquid diligimus, à nobis non produci; ergo impoſsibile etiã erit, cognitionem, qua aliquid cognoſcimus, à nobis efficientibus non procedere. Conſequentia eſt legitima à paritate rationis, nam vt animaduertìmus in initio primæ quæſtionis, in his quæſtionibus eadem eſt ratio de operationibus appetitiuis, ac de cognoſcitiuis, tam intellectualibus, quàm ſenſitiuis. Antecedens probat, quia etiamſi de ratione amoris, non ſit, quòd ſit actus liber; eſt tamen de intrinſeca eius ratione, quòd ſit actus voluntarius; & conſequenter quòd ſit à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio; quod actui amoris non competeret, ſi à ſolo Deo produceretur, & ſine aliquo concurſu voluntatis.

5 Tertiò (& eſt ratio à poſteriori, qua vſus eſt idem Vazquez) quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, intellectum ſeparatum ab anima (quod in ſen-

Digitized by Google

ſententia Thomiſtarum, quæ ponit, intellectum, & voluntatem eſſe accidentia realiter diſtincta ab anima, poteſt Deus præſtare potentia abſoluta abſque vlla contradictione) intelligere, & beari poſſe, quod abſurdum eſt. Sequelam probat, quia ſicut quantitas eſt proximum ſubiectum albedinis, ita & intellectus eſt proximum ſubiectum intellectionis: ergo ſicuti in quantitate ſeparata à ſubſtantia poteſt manere, & nouiter produci albedo; ita in intellectu ab animæ ſubſtãtia ſeparato poterit manere intellectio, & nouiter à ſolo Deo produci: & quemadmodum albedo manens in quantitate facit albam quantitatem; ita intellectio in intellectu ſeparato à ſolo Deo producta reddet ipſum intellectum intelligentem, ac proinde beatum etiam efficere poſſet, ſi intellectio producta in eo à ſolo Deo, eſſet viſio ipſius Dei ſummi boni.

6 Quartò probat Rubius, quia de intrinſeca ratione ſpeciei expreſſæ, quæ eſt forma, á qua formaliter intelligentes denominamur, eſt, quòd ſit conceptus mentis, & ſimiliter, quod ſit verbum, & imago expreſſa obiecti repræſentati; ſed non poteſt eſſe conceptus mẽtis, niſi in quantum ex congreſſu obiecti, aut ſpeciei impreſſæ eius cum intellectu ipſa concipitur intra intellectum, non ſecus, ac ex congreſſu maris, & fœminæ concipitur intra vterum fœtus. Neque etiam poteſt eſſe verbum, aut imago expreſſa obiecti, niſi ſit ab intelligente producta, cum tam de ratione verbi, quàm imaginis ſit, quòd ſit ſimilitudo expreſſa ad repræſentandum producta, ac inſtituta: ergo contra intrinſecam rationem ſpeciei expreſſæ, quæ eſt forma, à qua formaliter intelligentes denominamur, erit, quòd à ſolo Deo, & ſine concurſu effectiuo intellectus noſtri producatur; & conſequenter implicabit contradictionem.

7 Sed his non obſtantibus, tenendum eſt in noſtra, Scoti, & aliorum ſententia, quæ tenet intellectionem noſtram formaliter conſiſtere in effectu formali, quem ſpecies expreſſa tribuit intellectui, in quo recipitur, nullam implicationem involvere, quòd forma, à qua formaliter intelligentes denominamur, à ſolo Deo, & ſine aliquo concurſu effectiuo noſtri intellectus producatur; & conſequenter hoc poſſe à Deo ſua potentia abſoluta præſtari; ita Scotus in 1. diſtinctione 3. quæſtione 7. numero 37. & in 3. diſtinctione 13. quæſtione 4. §. *Ad tertiam quæſtionem*, numero 18. & diſtinctione 14. quæſtione 2. numero 2. & in 4. diſtinctione 49. quæſtione 11. & omnes eius diſcipuli; & ex alijs Suarez in Metaphyſ. diſ-

diſp. 48. ſect. 2. num. 12. Molina 1. par. diſp. 12. art. 2. Hurtado diſput. 6. de intellectione, ſect. 3. §. 30. & ferè innumeri alij, qui ſuſtinent de facto beatitudinem creatam à ſolo Deo produci, quos refert Vazquez loco ſupra citato cap. 1.

8 Ratio efficax eſt, quia Deus poteſt facere ſe ſolo, quidquid efficit medijs cauſis ſecundis (quod adeo certum eſt, vt non dubitet D. Thomas 1. part. quæſtion. 105. artic. 2. oppoſitum erroneum appellare) ſed qualitas, ſeu ſpecies expreſſa, quæ eſt forma per cuius effectum formalem actualiter intelligentes nominamur, de facto producitur à Deo, medio intellectu noſtro, informato ſpecie impreſſa, tanquam per cauſam ſecundam; ergo poterit Deus ſe ſolo eandem qualitatem, ſeu ſpeciem expreſſam in intellectu noſtro producere, quæ eo ipſo tribuet prædicto intellectui ſuum effectum formalem; & conſequenter reddet ipſum actualiter intelligentem; non ſecus, ac reddit illum qualitas, ſeu ſpecies expreſſa, quando medio intellectu noſtro, informato ſpecie impreſſa eſt producta; quæ ratio magis confirmabitur, & declarabitur ſoluendo, quæ in contrarium adducta ſunt.

9 Sed pro tollenda æquiuocatione, qua laborant ea, quæ nobis, tam à Vazquez, quàm à Rubio obijciebantur, adnotare oportet, ex potentijs vitalibus quaſdam eſſe ſolùm productiuas ſui effectus, vt ſunt generatiuæ, nutritiuæ, & augmentatiuæ, locoque motiuæ, quaſdam verò non ſolum productiuas ſui effectus; ſed etiam operatiuas, eo quòd per effectus ab ipſis productos, & in ipſis receptos intẽtionaliter operãtur circa aliquod obiectum, ipſum, ſcilicet, intuendo, vel amando; tales ſunt ſolùm potentiæ vitales, tam cognoſcitiuæ, quàm appetitiuæ: intellectus enim (& idem eſt iudicium de ſenſibus, tam internis, quàm externis) non ſolùm producit ſpeciem expreſſam per veram actionem, qua ratione dicitur potentia vitalis productiua; ſed etiam per ſpeciem expreſſam in ſe receptam, intentionaliter, & abſque vlla phyſica productione operatur circa illius obiectũ, ipſum actualiter intuendo; qua ratione dicitur potentia vitalis operatiua; & ſimiliter voluntas (& idem eſt iudicium de appetitu ſenſitiuo) non ſolùm per veram actionem producit amorem, qua ratione dicitur potentia vitalis productiua; ſed etiam per amorem in ſe receptum, intentionaliter, & abſque vlla phyſica productione operatur circa illius obiectum, ipſum actualiter amando, qua ratione dicitur potentia operatiua.

10 Eſt

10 Eſt autem notandum diſcrimen, quoad vitalitatem inter actus potentiarum productiuarum, & inter actus potentiarum operatiuarum; nam actio potentiarum vitalium productiuarum, vt ſint vitales, & vt tales ipſis potentijs attribui poſſint, neceſſariò, & intrinſecè requirunt, quòd ab ipſis potentijs producantur; nam ſi producerentur ab aliquo agente extrinſeco ſine vllo concurſu effectiuo prædictarum potentiarum, vt contingeret in caſu, quo Deus (exempli gratia) in aliquo viuente ſe ſolo, & abſque vllo concurſu potentiæ nutritiuæ ipſius viuentis diſponeret alimẽtum, & illud conuerteret in ſubſtantiam viuentis, prædictus actus nutritionis reſpectu ipſius viuentis neque eſſet vitalis, neque ab ipſo viuens denominari poſſet ſe nutriens, ſed potius à ſolo Deo. At verò actus potentiarum vitalium operatiuarum, vt ſint vitales, & vt tales ipſis potentijs, quæ per ipſos operantur, attribuantur, non eſt neceſſarium, & intrinſecè requiſitum, quòd ab ipſis producantur; ſed ſat eſt, quòd recipiantur in ipſis, & quòd ipſæ potentiæ per ipſos operentur, vt patet in diuinis, vbi actus intellectionis eſſentialis, quo tres diuinæ Perſonæ ſunt, & denominantur actu, & vitaliter intelligentes, non eſt productus, ſed ſolùm eſt actus, quo diuinus intellectus operatur, ſeu intelligit.

11 Similiter eſt notandum diſcrimen in actibus voluntatis, quoad rationem liberi, & quoad rationem voluntarij; nam vt actus voluntatis ſint liberi, & ab eis voluntas liberè amare dicatur, intrinſecè requiſitum eſt, quòd ab ipſa voluntate ſint producti; imò quòd producti ſint à voluntate exiſtente in actu primo indifferenti ad ipſos producendos, vel non producendos. At verò, vt ſolùm dicantur voluntarij, non eſt neceſſarium, & intrinſecè requiſitum, quòd à voluntate producantur; aliàs actus amoris, quo diuinæ Perſonæ diligunt diuinam eſſentiam, cum improductus ſit, non poſſet ipſis eſſe voluntarius, quod eſt abſurdum; ſed ſat eſt, quòd receptis in voluntate, ipſa voluntas per ipſos vitaliter circa obiecta ipſorum operetur, ipſa amando, & diligendo. Vnde in caſu, quo Deus ſe ſolo, & ſine concurſu effectiuo voluntatis produceret in voluntate noſtra actum amoris, & ſimiliter actum cognitionis in noſtro intellectu eius obiecti (quia nihil volitum, quin præcognitum) etſi voluntas noſtra operans per prædictum actum, non poſſet denominari liberè amans; denominaretur tamen voluntariè amans, & diligens; quia talis actus amoris, etſi non eſſet à prin-

principio intrinſeco productiuo; eſſet tamē à principio operatiuo cum cognitione eorum, in quibus fit operatio, ſeu actio grammaticalis.

12 Ex his prænotatis facilè reſpondemus ad rationes Vazquez, ſeu vt propriùs loquar, ad eius æquiuocationes. Ad primam libenter fatemur, de intrinſeca ratione intellectionis noſtræ eſſe, quòd ſit actus vitalis; ſed quia intellectionum noſtrarum duplex eſt principium, vnum productivum, & alterum operativum; nullam implicationē involvere in hoc, quòd intellectio noſtra ſit, & dicatur verè actus vitalis; quòd principium eius productivum ſit extrinſecum, dūmodo eius principium operativum ſit intrinſecum, vt contingeret in caſu, quo Deus ſe ſolo produceret ſpeciem expreſſam, quæ eſt forma, à qua formaliter intelligentes denominamur in intellectu noſtro.

13 Ad confirmationem eiuſdem Vazquez diſtinguendum eſt; imò inquirendum à Vazquez, quid intelligat per tendentiam, attentionem, ſeu conatum, cùm affirmat, hæc eſſe de intrinſeca ratione noſtræ intellectionis, an aliquam productionem, ſeu veram actionem; an ſolam qualitatem talis naturæ, vt per ipſam intellectus ipſam recipiens, formaliter denominetur operans, attendens, reſpiciēs, & intuens obiectum? Si primum intelligat, fateor (ſi verum eſſet) non poſſe intellectionem noſtram à ſolo Deo produci; ſed contra ſe loquitur, cum nobiſcum teneat, nullam productionem, ſeu veram actionem eſſe de conceptu intrinſeco, & formali noſtræ intellectionis. Si intelligat ſecundum, etiam fateor de intrinſeca ratione intellectionis noſtræ eſſe, vt ſit qualitas, non qualiscumque, ſed talis naturæ, vt per eius effectum formalem habeat intellectus ipſam recipiēs, quòd operetur circa obiectum ipſum, attendendo, reſpiciendo, & intuendo: tamen ex his vndè ſequitur, quod hæc qualitas non poſſit produci à ſolo Deo in noſtro intellectu, præcipuè cum noſter intellectus potentia intellectiua ſit; & conſequenter natura ſua petat talibus qualitatibus informari?

14 Ad ſecundam rationem, quæ erat prima, qua vſus eſt Vazquez, negamus antecedēs, quod aſſumit, ſcilicet, impoſſibile eſſe dari amorem, quo nos aliquid diligamus, & quòd prædictus amor à nobis nō producatur; ſufficit enim, quod prædictus amor in noſtra voluntate recipiatur, & quòd per ipſum operetur, & tendat in obiectum, ipſum formaliter amando, & diligendo: & ad probationem patet ex dictis numero 11. etſi ad hoc, vt actus voluntatis ſit liber,

Digitized by Google

intrinſecè requiratur, quòd productus ſit a voluntate, imò à voluntate in actu primo indifferente ad producendum, vel non producendum actum amoris; tamen ad hoc, vt dicatur verè, & propriè voluntarius, non eſſe extrinſecè requiſitũ, quòd ſit productus à principio intrinſeco, qualis eſt voluntas, ſed ſat eſſe, quòd receptus in voluntate, ipſa voluntas, quæ eſt principium intrinſecum, per ipſum formaliter operetur; quod contingeret in caſu, quòd actus amoris ſolùm à Deo eſſet productus in voluntate. Vndè ex eo, quòd actus voluntatis non ſit ab intrinſeco principio productus, inferre non eſſe voluntarium, eſt fallacia conſequentis, cum ex negatione antecedentis, ſeu inferioris inferatur negatio cõſequentis, ſeu ſuperioris; non ſecus, ac iſta, non eſt homo; ergo non eſt animal: voluntarium enim conſequens, & ſuperius eſt ad id, quod prouenit à principio intrinſeco productiuo, & ad id, quod prouenit à principio intrinſeco operatiuo.

15 Tertia ratio Vazquez, in noſtra, & Scoti ſententia, quæ ponit, intellectum, & voluntatem non diſtingui realiter ab anima (ipſomet Vazquez conſentiente) nihil valet, cum ſupponat, poſſe Deum intellectum ab anima realiter ſeparare, quod in prædicta noſtra, & Scoti ſententia implicationem involvit. In ſententia Thomiſtarum, quæ ponit, intellectum, & voluntatem eſſe accidentia animæ, ab ea realiter diſtincta, etiam nihil præſtat; nam cum intellectus, & voluntas ſolùm habeant, quòd ſint potentia vitales ex coniunctione ad animam, eo ipſo, quòd ſepararentur ab anima, deſinerent eſſe vitales, & eſſent mortuæ; & conſequenter omninò incapaces recipiendi effectum formalem intellectionis, vel amoris, quæ ſunt operationes extrinſeca natura ſua vitales. Neque exemplum de quantitatè ſeparata à ſubſtantia reſpectu effectus formalis albedinis eſt ad rem; nam cum effectus formalis albedinis non ſit operatio vitalis, æquè pariter poterit albedo illum tribuere quantitati ſeparatæ à ſubſtantia, ac coniunctæ cum ſubſtantia.

16 Ad quartam, & vltimam rationem, quæ erat Rubij, dicimus, etſi de facto ſpecies expreſſa, quæ eſt forma, à qua formaliter intelligentes denominamur, habeat, quòd ſit *conceptus*, *verbum mentis*, *& imago*; tamen reſpectus iſtos, *conceptus*, *verbi mentis*, *& imaginis* non eſſe intrinſecos, & de ratione formali intellectionis, vt intellectio eſt conſiderata, vt perperam ſupponit Rubius; aliàs (vt ſæpè dictum eſt) intellectio eſſentialis, qua intelligũt tres diuinæ

uinæ Perſonæ, non eſſet verè, & propriè intellectio, cum nec *ſit conceptus*, neque *verbum*, neque *imago*. Vndè nullam implicationem involuit, quòd ſpecies expreſſa, per cuius effectum formalem, formaliter intelligentes denomanamur, à ſolo Deo, & abſque concurſu effectiuo noſtri intellectus producatur; quia etiamſi in dicto caſu prædicta ſpecies expreſſa, neque eſſet conceptus noſter, neque verbum, neque imago; eſſet nihilominus expreſſa ſimilitudo intẽtionalis obiecti; & conſequenter per eius effectum formalẽ redderet intellectum formaliter, & actu intelligentem, ſeu quod idem eſt, actu, & formaliter vitaliter operantem idtentionaliter circa obiectum, illud reſpiciendo, & intuendo.

17 Ex dictis facilè reſolui poteſt quoddam dubiũ, quod ab aliquibus ſatis prolixè diſcutitur, vtrum, ſcilicet, poſſit Deus producere ſpeciem expreſſam, quæ eſt forma, à qua intelligentes denominamur, extra ſubiectum? Item, an poſſet Deus, ſpeciem expreſſam productam extra ſubiectũ vnire alij ſubiecto, quàm intellectui? Reſpondetur enim, poſſe Deum ſua potentia abſoluta producere prædictam ſpeciem expreſſam extra ſubiectum nõ ſecus, ac omnes admittũt, poſſe Deum ſua potentia abſoluta producere extra ſubiectum, quamcumque aliam qualitatem; cuius ratio à priori eſt, quia etiamſi omnes qualitates petant naturaliter inhærere in aliquo ſubiecto; tamen actualis inhærentia, neque eſt de eſſentia, neque propria paſſio accidentis abſoluti; ſed quidam effectus formalis illius, etſi naturaliter debitus; poſterior tamen ipſis qualitatibus; & ſic nulla eſt implicatio, quòd qualitates reperiantur ſine actuali inhærẽtia; & conſequenter quod poſſint produci à Deo ſine illa, potentia ſua abſoluta; cum hoc tamen ſtat, non poſſe Deum prædictam ſpeciẽ expreſſam vnire alij ſubiecto, quàm intellectui, cuius ratio à priori eſt, quia forma accidentalis ſolùm poteſt vniri ſubiecto, tribuẽdo illi ſuum effectum formalem, & implicationem involuit, quòd ſpecies expreſſa, à qua formaiter intelligentes denominamur, tribuat ſuum effectum formalem alij ſubiecto, quàm potentiæ intellectiuæ, cuius tantùm eſt intellectualiter operari circa ſuum obiectum, illud vitaliter attendendo, reſpiciendo, & intuendo. Neque audiendi ſunt, qui dicunt, poſſe diuina potentia ſpeciem expreſſam, quæ eſt forma, à qua formaliter intelligentes denominamur, vniri, ſeu informare aliud ſubiectum ab intellectu ſecundum rationem qualitatis, & non ſecun-

cundum rationem ſpecialem ſpeciei expreſſæ, ſeu intellectionis; nã cũ in ſpecie expreſſa ratio qualitatis, & ratio ſpecialis ſpeciei expreſſæ, ſeu intellectionis, etſi formaliter ſint diſtinctæ; ſunt tamen idem realiter, implicationem involuit, quòd ratio qualitatis realiter ſeparetur à ratione ſpeciei expreſſæ, ſeu intellectionis, vt de facto contingeret, ſi vniretur ſubiecto in ratione qualitatis, & non in ratione ſpeciei expreſſæ, ſeu intellectionis.

QVÆSTIO IV.

In quo differant cognitio intuitiua, & abſtractiua?

1 VT clariùs, & dilucidiùs more noſtro explicemus, in quo differant cognitio intuitiua, & abſtractiua, priùs explicare oportet, quid ſit cognitio intuitiua, & quid abſtractiua?

2 Scotus pluribus in locis, & præcipuè in 1. diſt. 2. quæſt. 2. artic. 3. & in 2. diſt. 3. quæſt. 9. §. *Ad quæſtionem*, & quæſt. 11. §. *Reſpondeo*, & diſt. 9. quæſt. 2. ad 3. & in 3. diſt. 14. quæſt. 3. §. *Ad quæſtionem*, & in 4. diſt. 10. quæſt. 8. §. *Reſpondeo*, & diſt. 45. quæſt. 2. §. *Ad quæſtionem*, & diſt. 49. quæſtion. 11. §. *Reſpondeo*, & quæſt. 12. §. *Reſpondeo*, & quodlibeto 13. §. *Circa ſecundum*, docet, cognitionem intuitiuam in hoc eſſentialiter conſiſtere, quòd ſit cognitio obiecti præſentis, & realiter exiſtentis, vt præſens, & realiter exiſtens eſt. Vndè in noſtra, & eiuſdem Scoti ſententia, quæ docet (vt quæſtionibus præcedentibus ſtabilitum eſt) actualem cognitionem formaliter, & intrinſecè conſiſtere in effectu formali ſpeciei intentionalis expreſsè repræſentantis obiectum; ſic cognitio intuitiua magis clarè definiri poteſt, *Eſt repræſentatio intentionalis expreſſa obiecti realiter exiſtentis, & præſentis, vt realiter exiſtens, & præſens eſt.*

3 Neque obſtat, quòd Scotus loco tertij ſententiarum citato diſtinguat duplicem cognitionem intuitiuam, vnam, quæ terminatur, ſeu repræſentat obiectum, vt præſentialiter exiſtens; alteram, quæ terminatur, ſeu repræſentat obiectum, vt exiſtens pro præterito, vel futuro; nam vt ibidem idem Scotus addit, cognitio præteriti, vel futuri non eſt verè, & propriè intuitiua; ſed ſolùm ſecundum quid, ſeu ex parte attingens, & repræſentãs obiectum intuitiuè, & ideo alijs in locis illam ſimpliciter vocat abſtractiuam.

4 Cognitio verò abſtractiua ſecundum eundem Scotum locis citatis eſt illa, cui deficit aliqua ex conditionibus ad cognitionem intuitiuam aſſignatis; vndè non ſolùm cognitiones, quibus cognoſcimus

Digitized by Google

mus entia rationis, entia realia poſsibilia, entia realia præterita, vel futura, ſunt ſecundum Scotum cognitiones abſtractiuæ; ſed etiam quibus cognoſcimus entia realia realiter exiſtentia, & præſentia, quando cognitiones iſtæ non repræſentant ipſa, vt realiter exiſtentia, & præſentia, vt patet in cognitione, qua pro hoc ſtatu cognoſcimus Deum; nam etiamſi ſit cognitio obiecti realiter exiſtentis, & vbique præſentis; nihilominus non intuitiua, ſed abſtractiua eſt, eo quòd illum non repræſentat, vt realiter exiſtentem, & præſentem. Imò addit Scotus, ipſammet exiſtentiam, & præſentiam poſſe nos, tam intuitiuè, quàm abſtractiuè cognoſcere; intuitiuè quando illas cognitio noſtra, vt realiter exiſtentes, & præſentes repræſentat; abſtractiuè quando etiã ſi illas cognoſcat, ſeu repræſentet, vt rationes exiſtendi, & eſſendi præſentialiter; non tamen illas cognoſcit, ſeu repræſentat, vt realiter exiſtentes, & præſentes.

5 His prælibatis circa id, quod inquirit præſens quæſtio; dico primò; cognitio intuitiua non differt ab abſtractiua, eò quòd ad intuitiuam moueat obiectum, potentiam cognoſcitiuam ſecundum ſuum eſſe reale; ad abſtractiuam verò ſecundum ſuum eſſe intentionale, id eſt, mediante aliqua ſpecie ſui impreſſa; eſt contra aliquos auctores oppoſitum aſſerentes; & probari poteſt inſtãtia viſus, & aliorum ſenſuum exteriorum, quorum cognitiones, ſeu ſenſationes intuitiuæ ſunt, & tamen eorum obiecta non mouent prædictas potentias ſenſitiuas ſecundum ſuum eſſe reale, ſed ſecundum ſuum eſſe intentionale, id eſt, mediãte ſpecie aliqua intentionali impreſſa ipſorum obiectorũ, quod ſaltem de viſu, & de auditu nullus eſt auſus denegare; & idem eſſe aſſerendum de omnibus alijs ſenſibus, tam externis, quàm internis, ex Ariſtotele, Scoto, Diu. Thoma, & alijs ex profeſſo ſtatuimus libro 2. huius operis diſput. 5. quæſt. 1.

6 Dico ſecundo; cognitio intuitiua non differt ab abſtractiua ex diuerſitate obiectorum; in hac concluſione omnes cõueniunt, & ratio eſt, quia de eodem obiecto dari poteſt, tam cognitio intuitiua, quàm abſtractiua; Deus enim, qui à nobis exiſtentibus in via cognoſcitur abſtractiuè, à beatis in patria cognoſcitur intuitiuè: item idem obiectum, quod à ſenſu interno, qui dicitur communis, cognoſcitur intuitiuè, ab eodem ſenſu interno, vt dicitur phantaſia, cognoſcitur abſtractiuè.

7 Dico tertio; cognitio intuitiua, neque etiam differt ab abſtractiua, eo quòd intuitiua

Ee ver-

verſetur circa obiectum, quod realiter exiſtit, & realiter eſt præſens; nam vt num. 4. dicebamus, cognitio, qua pro hoc ſtatu cognoſcimus Deum, non intuitiua, ſed abſtractiua eſt, & nihilominus per eam cognoſcimus obiectum, quod non ſolùm realiter exiſtit, ſed etiã vbique realiter eſt præſens.

8 Dico vltimò; cognitio intuitiua differt intrinſecè, & eſſentialiter à cognitione abſtractiua, eo quòd intuitiua, nõ ſolùm verſatur circa obiectum, quod realiter exiſtit, & realiter eſt præſens; ſed etiam quia ipſum, vt realiter exiſtens, & realiter eſt præſens, repræſentat: at abſtractiua, etiamſi aliquando verſetur circa obiectum, quod realiter exiſtit, & realiter eſt præſens; non tamen ipſum, vt realiter exiſtens, & vt realiter eſt præſens, repræſentat. Hæc eſt præcipua concluſio, quam intendit ſuadere Scotus locis in principio huius quæſtionis citatis, & recipitur ab omnibus, qui ideo cognitionem intuitiuam facialem appellant; abſtractiuam verò ſpecularem, & in ænigmate, iuxta illud Pauli 1. ad Corinthios cap. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*, nimirum, quia per cognitionem intuitiuã nobis repræſentatur obiectum, quod realiter exiſtit, & eſt realiter præſẽs, non vtcumque, ſed vt realiter exiſtens, & præſens eſt; at per cognitionem abſtractiuam, etiamſi aliquando repræſentetur obiectum, quod realiter exiſtens, & præſens eſt, ſed non repræſentatur, vt realiter exiſtens, & præſens eſt.

9 Ex dictis infero primò id, quod expreſsè docuit Scotus quodlibeto 13. citato, art. 2. §. *Circa ſecundum*, cognitionẽ intuitiuam, in ratione cognitionis, ſeu repræſentationis obiecti differre ſpecie à cognitione abſtractiua, etiam quando verſantur circa idem obiectum; ſiquidem repræſentare obiectum, vt realiter exiſtẽs & præſens, quod eſt de intrinſeca ratione cognitionis intuitiuæ, & repræſentare obiectum, non vt realiter exiſtens, & præſens eſt, quod eſt de intrinſeca ratione cognitionis abſtractiuæ, diuerſæ, & eſſentiales differẽtiæ ſunt cognitionis, ſeu repræſentationis obiecti, & diuerſas eſſentialiter ſpecies impreſſas requirũt, per quas potẽtia cognoſcitiua moueatur, & determinetur ad eliciendum potiùs cognitionem intuitiuam, quàm abſtractiuam, & è contra.

10 Infero ſecundò, quòd etiamſi Deus poſſit ſua potentia abſoluta in præſentia reali obiecti producere ſe ſolo, & abſque cõcurſu effectiuo, tam intellectus, quàm obiecti, ſeu ſpeciei illius impreſſæ intellectionem intuitiuam in noſtro intellectu; non tamen poſſe illã producere in abſentia reali ob-

obiecti. Hoc corollarium non ſolùm eſt contra Molinā, Vazquez, & Rubium, quos 2. libro huius operis diſp. 6. q. 2. citauimus pro ſententia, quæ affirmabat, nullam implicationem involvere, quòd potentia ſenſitiua exterior ſentiat obiectū, quod ſibi non eſt realiter præſens; ſed etiam eſt contra Smiſing de Deo vno tractatu 2. diſput 6. q. 1. num. 10. imò contra Cauellum diſp. 3. de anima ſect. 11. num. 4. in quantū oppoſitam, vt ſatis probabilem defendit.

11 Ratio huius ſecundi corollarij eſt, quia etiamſi dependentia effectiua, quam naturaliter petit quæcumque intellectio noſtra, tam ab intellectu noſtro, quàm ab obiecto, non ſit de intrinſeca, & eſſentiali ratione intellectionis, & iā intuitiuæ; & conſequenter poſsit à Deo ſuppleri potentia ſua abſoluta, vt quæſt. præcedenti de omni intellectione noſtra ſtatutū eſt; tamē intellectioni noſtræ intuitiuæ, in quantum intuitiua eſt, vt modò ex Scoto dicebamus, intrinſecum, & eſſentiale eſt, eſſe repræſentationem expreſſam ſui obiecti, nō qualemcumque, ſed vt realiter præſentis, & exiſtentis, & implicationem manifeſtam involvit, quòd obiectum in noſtra cognitione ſit realiter præſens, & exiſtens, & quòd ſimul in prædicta cognitione non ſit realiter præſens, & exiſtens.

DISPVTATIO SEXTA.

De potentia appetitiua tam in communi, quàm in ſpeciali, & de potentia loco motiua.

EX quinque generibus potentiarum animæ, quæ Ariſtot. aſsignauit in principio ſecundi libri, tria hucvſque explicata manent, ſcilicet, genus potentiarum vegetatiuarum, genus ſenſitiuarum, & genus intellectiuarum: reſtat pro complemento huius operis, vt de potentijs appetitiuis diſſeramus; atque ideò de potentia motiua ſecundum locum, quæ cū appetitiuis magnam affinitatem habet. De quibus diſputat Ariſtoteles à cap. 9. vſque ad vltimum. Vnde diſputationem in quatuor quæſtiones quaſi capitales diuidam; prima erit de *appetitu in communi*: ſecunda, de *appetitu ſenſitiuo*: tertia de *appetitu rationali*: quarta de *potentia loco motiua*.

QVÆSTIO PRIMA.

De appetitu in communi.

1 DE appetitu in communi duo examinari poſſunt; primum, an in qualibet re cognoſcente detur potentia appetitiua? Secundum quotuplex ſit hæc potentia appetitiua? Circa primum reuocanda eſt in memoriam cõmunis, & recepta diuiſio appetitus in naturalem, & elicitum: appetitus naturalis dicitur inclinatio naturalis, quã habet vnaquæque res ad ſuam perfectionem recipiendam, ab auctore naturæ indita, & nullo modo acquiſita, vt in materia prima inclinatio ad recipiendas formas ſubſtantiales; in grauibus ad recipiendum motum deorſum, in leuibus ad recipiendum motum ſurſum, &c. & ideò hic appetitus non inter potentias actiuas, ſed inter potentias paſsiuas enumeratur, vt 1. Phyſicorum explicando definitionem naturæ ſtatuimus. Appetitus elicitus dicitur actus ille vitalis, quo medio viuens ſenſibile appetit bonum ſibi per intellectum, aut per aliquam cognitionem ſenſitiuam propoſitum, qui eo ipſo ſupponit in viuente potentiam appetitiuam actiuam, à qua eliciatur, & cognitionem, per quam prædictæ potentiæ appetitiuæ obiectum appetendum proponatur: & de hac potentia appetitiua, quæ verè actiua, & vitalis eſt, inquiritur, an in qualibet re, ſeu ſuppoſito viuente, & cognoſcente detur?

2 Huic dubitationi, reſpondendum eſt cum communi, & recepta ſententia, in omni re, ſeu ſuppoſito viuente, & cognoſcente, ſiue ſit rationale, ſiue irrationale, dari potentiam appetitiuam, actiuam, & vitalem, quæ inter potentias animæ enumeranda ſit: quæ ſentẽtia præter experientiam, quæ id oſtendit, rationibus comprobatur: prima deſumitur ex differentia, quæ verſatur inter res cognoſcentes, & non cognoſcentes, quòd hæ nõ ſe mouẽt propriè, ſed potiùs mouentur, vel ſaltẽ feruntur pondere quodã naturali ad perfectiones ſuas, quando illis carent; at illæ ſe mouent, non ſolùm ex põdere naturali, ſed etiam cognitione, ex qua oritur in eis pondus aliquod, ſeu appetitus, ratione cuius ad perfectiones non habitas, & per cognitionem ſibi oſtenſas ſpontè moueãtur.

Et

Et confirmatur, quia in animali cognoſcēte diuerſæ ſunt potentiæ, & inſtrumenta operationum: erit ergo in eis neceſſaria aliqua potentia ſequens cognitionem, applicans reliquas potentias ad ſuas operationes, & hæc eſt potentia appetitiua.

3 Secunda, quia agens per cognitionem priùs intendit finem, quàm quærat, & exequatur media, quibus finis eſt conſequendus; ergo præter cognitionem finis, & mediorum, neceſſaria erit potentia appetitiua, per quam intendat finem, & applicetur ad exequutionem mediorum; parum enim eſſet, finem, & media cognoſcere, niſi etiam appeterentur; nam ſi non daretur appetitus, conſequutio non daretur; appetitus enim cauſa eſt exequutionis; mediat ſiquidem inter cognitionem, & exequutionem, cum illam ſequatur, & hanc præcedat. Et confirmatur, quia res cognoſcentes, apprehendunt, quid ſit nociuum toti animali, & ſingulis eius partibus: ergo præter appetitum naturalem, qui nullam cognitionem præſupponit, ponenda erit aliqua potentia pecialis animæ, quæ hanc cognitionem ſequatur, ordineturque ad conſequendum bonum, & fugiendum malum totius, & ſingularium partium; quod per prædictam cognitionem apprehenditur.

†

4 Circa ſecundum tenendum eſt cum Ariſtotele cap. 10. huius libri text. 17. & communi ſententia, potentiam appetitiuam eſſe in duplici differentia; nam alia eſt rationalis, illa, ſcilicet, quæ ſequitur cognitionem intellectiuam, & dicitur voluntas: alia verò ſenſitiua, illa, ſcilicet, quæ ſequitur cognitionē ſenſitiuam, & dicitur appetitus ſenſitiuus. Prima reperitur in Angelis, ſecunda reperitur in brutis, & vtraque ſimul in homine; nam in ſolo homine inuenitur cognitio ſenſitiua ſimul, atque intellectiua; quod non ſolùm probat experientia, ſed etiam docet ſcriptura, ad Romanos 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; ad Galatas 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem*; Matthæi 26. *Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma*; & quàm plura alia.

5 Porrò potentiam appetitiuam rationalem, & potentiā appetitiuam ſenſitiuam, quæ ſecundum ſcripturam ſimul ſunt in homine, eſſe potentias realiter diſtinctas dubitari non poteſt, cum vna ſit ſpiritualis, altera corporalis, vna reſidens in anima, imò in noſtra, & Scoti ſententia idem realiter cum illa; altera in organo corporeo animato, vna comitetur animam ſeparatam; altera, ſeparata anima à

corpore, non remaneat, quæ omnia ſigna manifeſta ſunt diſtinctionis realis inter illas.

6 Imò addo, prædictas potentias appetitiuas, non ſolùm realiter, ſed etiam ſpecie in homine differre, non ſecus, ac ſpecie differunt potentia intellectiua, & potentia ſenſitiua, ad quas naturaliter conſequuntur, & à quarum operationibus prædictæ potentiæ appetitiuæ in ſuis operationibus neceſſariò pendent; quod probari poteſt, tum quia ſpirituale, & corporale pluſquam ſpecie differunt; ſed potentia appetitiua rationalis ſpiritualis eſt; ſenſitiua verò corporalis; ergo non ſolùm ſpecie, ſed pluſquàm ſpecie differunt. Tum etiam, quia obiectum adæquatum potentiæ appetitiuæ ſenſitiuæ ſolùm eſt bonum ſingulare ſenſibile, & materiale; potentia verò appetitiua rationalis, etiam ſe extendit ad bonum in communi, tam ſenſibile, quàm intelligibile, tam materiale, quàm ſpirituale; ergo obiectum motiuum adæquatum, & conſequenter ſpecificatiuum potentiæ appetitiuæ rationalis erit bonum in communi, & vt abſtrahit à communi, & particulari, à ſenſibili, & intelligibili, à materiali, & ſpirituali; obiectum verò motiuum adæquatum, & conſequenter ſpecificatiuum potentiæ appetitiuæ ſenſitiuæ, erit ſolùm bonum ſenſibile, & materiale in ſingulari; quod ſufficiens eſt ad diuerſificandas potentias, quæ aliàs ſunt ſubordinatæ, & vna reſpectu alterius ſe habet, vt ſuperior, vel inferior, vt in ſimili diximus de ſenſu interiori comparato ad ſenſus exteriores diſputat. 2. huius libri quæſtione 3. ſectione 1.

QVÆSTIO II.

De appetitu ſenſitiuo in ſpeciali.

1 EX dictis in quæſt præcedenti conſtat dari tam in nobis, quàm in brutis appetitum ſenſitiuum, realiter, & ſpecificè diſtinctum ab appetitu rationali, & ſimiliter conſtat, huius potentiæ appetitiuæ obiectum motiuum adæquatum, quod eſt à quo ſuam ſpecificationem deſumit, eſſe bonum ſenſibile, & materiale, non in communi, ſed in ſingulari propoſitum; cum enim cognitio, quæ huic appetitui præſupponitur, & ad quã neceſſariò conſequitur, cognitio ſenſitiua ſit, quæ eo ipſo ſolùm poteſt reſpicere ſingularia ſenſibilia, & materialia; quòd etiam appetitus ſenſitiuus ſolùm habeat pro obiecto motiuo adæquato bonum ſenſibile, & materiale in ſingulari propoſitum, ſimpliciter neceſſarium erit.

2 Sed adhuc reſtant duo examinanda de iſto appetitu ſen-

Digitized by Google

ſenſitiuo; primum eſt, *an diſtinctio, quæ ab omnibus diſtinguitur in concupiſcibilem, & in iraſcibilem, ſit diſtinctio in duas potentias appetitiuas realiter, & ſpecificè diſtinctas; an ſolùm in duo munera, realiter, & ſpecificè diſtincta, eiuſdem realiter, & ſpecificè potentiæ appetitiuæ?* Secundum, *in quanam parte corporis animalis appetitus ſenſitiuus, tanquam in organo reſideat?*

3 Circa primum conueniunt omnes, actum, ſeu munus potentiæ appetitiuæ ſenſibilis, quæ dicitur concupiſcibilis, diſtingui realiter, & ſpecificè ab actu, ſeu munere potentiæ appetitiuæ ſenſibilis, quæ dicitur iraſcibilis; cuius ratio eſt, quia actus cuiuſcumque potentiæ ſumunt diſtinctionem ſpecificam ex diſtinctione ſpecifica ſuorum obiectorum formalium; & manifeſtum eſt, obiectum formale actus potentiæ appetitiuæ ſenſibilis, quæ dicitur concupiſcibilis, eſſe diſtinctum in ſpecie ab obiecto formali actus potentiæ appetitiuæ ſenſibilis, quæ dicitur iraſcibilis.

4 Quæ diſtinctio obiectorum, vt clarè pateſieret; pulchrè, & ſubtiliter annotauit Scotus in 3. diſtinction. 34. quæſtion. vnica, numero 9. & 10. appetibilia, & fugibilia, quæ ſunt obiecta formalia actuum potentiæ appetitiuæ ſenſibilis, eſſe in duplici differentia; nam quædam ſunt primò appetibilia, vel fugibilia, illa, ſcilicet, quæ talis naturæ ſunt, vt ad hoc, quòd actualiter appetantur, vel fugiantur, ſolùm requiritur, quòd per ſenſum appetitiui proponantur; talia ſunt reſpectu canis cibus, vel flagellum; & hæc appetibilia, & fugibilia (inquit Scotus) ſunt obiecta formalia actuum potentiæ appetitiuæ ſenſitiuæ, quæ dicitur concupiſcibilis. Quædam verò ſunt appetibilia, vel fugibilia, non primò, ſed ſecundariò, propter illa, ſcilicet, quæ primò appetibilia, vel fugibilia ſunt (ad modum, quo media dicuntur ſecundariò appetibilia, vel fugibilia reſpectu finis) talia ſunt reſpectu canis prohibentia cibum; offendit enim ſic prohibens canem concupiſcentem cibum, & huiuſmodi offendens (inquit Scotus) eſt ſolùm obiectum formale iræ, ſeu actuum potentiæ appetibilis, quæ dicitur iraſcibilis. Circa quod offendens (ſubdit Scotus) iraſcibilis habet quoddam *nolle*, non quidem propriè refugientis, ſicut & *nolle* concupiſcibilis, ſed magis reſpuentis, ſiue repellentis; quia iraſcibilis nollens repellit; non enim concupiſcit tantùm amouere illud impediens; ſed etiam vltra punire, vindicare, vlciſci. Ex hac doctrina Scoti clarè apparet, obiectum formale actus concupiſcibilis eſſe ſpecie diſtinctum

ctum ab obiecto formali actus iraſcibilis; & conſequenter prædictos actus, non ſolùm realiter, ſed etiam ſpecificè diſtingui.

5 Sed quamuis circa hoc omnes conueniant; differunt tamen auctores in explicando, an etiam potentia appetitiua, quæ dicitur concupiſcibilis, differat numero, & ſpecie à potentia appetitiua, quæ dicitur iraſcibilis, an non? Prima ſententia affirmat, potentiam appetitiuam ſenſitiuam, quæ dicitur concupiſcibilis, eſſe numero, & ſpecie diſtinctam à potentia appetitiua ſenſitiua, quæ dicitur iraſcibilis; ita Diu. Thomas 1. part. quæſt. 81. articul. 2 quem omnes diſcipuli ſequuntur; & ex antiquis Philoſophis eandem ſecuti ſunt ſententiam Pitagoras, & Plato, vt refert Plutarchus libro 4. *de placitis Philoſophorum* cap. 4. & Galenus 6. *de vſu partium* cap. 18.

6 Eandem ſententiam ſequuti ſunt ex noſtris Pater Ioãnes Pontius in commento loci Scoti 3. ſententiarum ſupra citati, & Pater Hugo Cauellus *de potentijs corporeis animæ* diſput. 2. ſect. 7. nullo alio fundamento nixi, quàm exiſtimaſſe, hanc eſſe expreſſam ſententiam Scoti, loco 3. citato; vbi poſtquam docuit, non ſolùm dolorem, ſeu triſtitiam cauſatam in iraſcibili, eſſe diſtinctam à dolore, ſeu triſtitia cauſata in concupiſcibili; ſed etiam fieri diuerſis mutationibus in parte ſenſitiua; nam dolor concupiſcibilis fit cum reſtrictione organi; ſicuti è contrario delectatio oppoſita fit cum dilatatione; dolor autem iraſcibilis fit cum calefactione, quæ eſt aſcenſus ſanguinis circa cor, ponit hæc verba, *Et ex hoc ſequitur, quòd iraſcibilis, & concupiſcibilis in parte ſenſitiua habent diuerſa organa; quia idem non poſſet moueri ſimul talibus diuerſis motibus*; ex quibus verbis inferunt iſti Scotiſtæ, in ſententia Scoti non poſſe ſuſtineri, potentiam ſenſibilem concupiſcibilem, & potentiam ſenſibilem iraſcibilem eſſe eandem numero potentiam; ſed potiùs eſſe potentias realiter, & numero diſtinctas; nam implicationem involvit, quod eadem numero potentia ſit in diuerſis, & diſtinctis organis, præſertim in Scoti ſententia, qui potentias animæ organicas non diſtinguit realiter ab ipſis organis animatis.

7 Fundamentum Thomiſtarum eſt, quia in potentijs materialibus, diſtinctio formalium obiectorum, quæ ſufficit ad diſtinguendos actus in ſpecie, ſufficiens etiam eſt ad diſtinguendas etiam in ſpecie ipſas potentias; ſed diſtinctio formalium obiectorum concupiſcibilis, & iraſcibilis ſufficiens eſt ad diſtinguendum in

Digitized by Google

in ſpecie actus iſtarum potentiarum, vt oſtenſum eſt; ergo etiam erit ſufficiens ad diſtinguendum in ſpecie ipſas potentias.

8 Confirmatur ampliùs hæc ſententia; primò, quia in potentijs exterioribus ſenſitiuis cognoſcitiuis datur multitudo; ergo & in potentijs appetitiuis ſenſitiuis admittenda etiam erit multitudo. Secundò ſæpè iraſcibilis appetit cõtra inclinationem concupiſcibilis; ergo potentiæ diſtinctæ ſunt omnino. Antecedens patet, quia cum iraſcibilis appetat punire, vindicare, vlciſci (vt numer. 4. ex Scoto dicebamus) ſemper appetit cum triſtitia; appetere autem cum triſtitia inclinationi concupiſcibilis aduerſatur. Tertiò, quia paſsiones harum potentiarum ſunt contrariæ; ergo arguunt diſtinctionem realem, & ſpecificam inter illas: antecedens patet, nam ardens ira minuit concupiſcentiam.

9 Secunda ſententia per oppoſitum affirmat, potentiam appetitiuam ſenſitiuam, quæ dicitur concupiſcibilis, non eſſe realiter, & ſpecificè diſtinctam à potentia appetitiua ſenſitiua, quæ dicitur iraſcibilis; ſed eſſe in vnoquoque animali eandem numero, & ſpecie potentiam, quæ ſecundum diuerſos actus, ſeu munera, quæ exercet concupiſcibilis, & iraſcibilis appellatur; concupiſcibilis, vt operatur circa primò appetibilia, vel fugibilia; iraſcibilis verò, vt operatur circa appetibilia, vel fugibilia, non primò, ſed ſecundariò, propter illa, ſcilicet, quæ primò appetibilia, vel fugibilia ſunt iuxta doctrinam Scoti num. 4. relatam.

10 In hac ſententia conuenire debent omnes auctores, qui, vt vidimus diſputatio. 2. quæſt. 2. huius libri nobis cum affirmarunt, ſenſum communem, phantaſiam, imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoriam non eſſe potentias ſenſitiuas realiter, & ſpecificè diſtinctas; ſed eadem numero, & ſpecie potentiam, quæ ſecundum diuerſa munera, quæ exercet, prædictis nominibus inſignitur: & ſimiliter auctores, qui, vt vidimus 2. libro huius operis diſputat. 4. quæſtio. 2. eodem pacto nobiſcum philoſophati ſunt de potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua; nam iſtorum omnium eadem eſt ratio. Expreſsè autem illam defendunt Suarez libro 5. de anima capit 4. qui pro ea citat Scotum, & eius aſſeclas, & Ariſtotelem in hoc 3. libro textu 29. Auerſa quæſtione 56. *de appetitu ſenſitiuo* ſection. 1. & quàm plures alij. Imò noſter Cauellus, qui propter verba Scoti numero 6. ci-

citata oppoſitam ſententiam amplexus eſt, ingenuè fatetur, hanc ſecundam ſententiam eſſe æquè probabilem, ac primam, & quod ipſam libentiùs ſequeretur, niſi auctoritas Scoti ſibi obſtaret.

11 Hæc ſecunda ſententia nõ ſolùm mihi videtur probabilior, ſed adeò principijs Scoti conſentanea, vt mirari non deſinam, Cauellum in doctrina Scoti benemeritum, Suarium reprehendiſſe, eo quòd ipſam, tam Scoto, quàm eius aſſeclis attribuerit. Quare firmiter tenendum eſt ab Scotiſtis, hanc ſecundam ſententiam non ſolùm eſſe probabiliorem; ſed etiam principijs Scoti magis conſentaneam; quod manifeſtum fiet, tam ex his, quæ ad ipſam comprobandam, quàm ex his, quæ ad ſoluendum ea, quæ in contrarium adducta ſunt, adducemus.

12 Et in primis probari poteſt hæc ſecunda ſententia ex Ariſtotele, qui in hoc 3. de anima textu 52. poſtquam diſtinxit partes (id eſt potentias) animæ, ſubdit, *Hæc enim plus differunt adinuicem, quàm concupiſcitiuum, & iraſcitiuum*, nimirum, quia aliæ potentiæ verè, & realiter diſtinguuntur; ſed non cõcupiſcitiua, & iraſcitiua in appetitu.

13 Deinde probari poteſt rationibus, prima, & à priori eſt, quia ex Scoto, & recepta ſententia, etiamſi potentiæ animæ diſtinguantur (à poſteriori, & quoad nos) per actus, ſed non per actus inadæquatos, ſed per adæquatos; nam ſi actus inadæquati ſint, potiùs eſt ſignũ euidens, quòd potentia, à qua proueniũt, ſiue ſpiritualis, ſiue materialis ſit, in vnoquoque viuẽte ſit vnica, tam numero, quàm ſpecie; ſed in appetitu ſenſitiuo actus concupiſcentiæ, & actus iræ ſunt inadæquati; ergo ſignum euidens eſt, quòd potentia appetitiua concupiſcibilis, & potẽtia appetitiua iraſcibilis in vnoquoque animali ſit eadem numero, & ſpecie, non obſtante, quòd prædicti actus adinuicem comparati, diſtincti, & numero, & ſpecie ſint. Minor, in qua eſſe poterat difficultas, probatur, quia ex Scoto, & recepta doctrina actus adæquati diuerſarum potentiarum, & actus inadæquati eiuſdem potentiæ in hoc differunt, quòd obiecta formalia actuum adæquatorum, ita ſunt diſtincta, vt in nulla ratione communi motiua, & ſpecificatiua potentiæ adunentur, vt patet in obiectis formalibus actuũ viſionis, & auditionis adinuicem comparatis; obiecta verò formalia actuum inadæquatorum, etſi aliquando ſpecie differant; nihilominus in aliqua ratione communi motiua, & ſpecificatiua potentiæ adunãtur, vt patet in obiectis formalibus viſionis nigri, & viſionis albi; adunantur enim in ratione

ne

ne communi coloris, quæ eſt motiua, & ſpecificatiua viſus; ſed obiectum formale actus cōcupiſcibilis ſenſitiuæ, & obiectum formale actus iraſcibilis ſenſitiuæ. etiamſi ſpecie differant, adunantur tamen in ratione communi appetibilis, vel fugibilis ſenſitiuæ, quæ sūt rationes motiuæ, & ſpecificatiuæ appetitus ſenſitiui: ergo in appetitu ſenſitiuo actus concupiſcentiæ, & actus iræ actus inadæquati ſunt. Iſta vltima minor probatur ex doctrina Scoti num. 4. adducta, in qua expreſsè affirmat obiectum formale actus concupiſcentiæ in ſenſu eſſe appetibile, vel fugibile primò; obiectum verò formale actus iræ eſſe appetibile, vel fugibile, non primò, ſed ſecundariò, propter illa, ſcilicet, quæ primò appetibilia, vel fugibilia ſunt, vbi ita diſtinguit obiectum formale actus concupiſcentiæ ab obiecto formali actus iræ, vt ſimul fateatur, huiuſmodi obiecta adunari in ratione communi appetibilis, vel fugibilis, quæ ſunt rationes motiuæ, & ſpecificatiuæ potentiæ appetitiuæ.

14 Secunda ratio deſumitur ex eadem doctrina Scoti: nam ſecundum Scotum (& ſecundum veritatem) actus concupiſcentiæ, & actus iræ ſubordinantur, ſicut actus, quo appetimus finem, & actus, quo appetimus media; nam iuxta Scotum obiectum actus potentiæ concupiſcibilis eſt appetibile primò, & propter ſe, quod eſt proprium finis; obiectum verò actus potētiæ iraſcibilis eſt appetibile, non primò, & propter ſe; ſed ſecundariò, & propter illud, quod eſt primò appetibile, quod eſt proprium mediorum: ſed actus, quibus appetuntur finis, & media, non proueniunt, neque in nobis, neque in brutis à potentijs appetitiuis realiter, & ſpecificè diſtinctis; ſed potius à potentia appetitiua, in vnoquoque animali, eadem numero, & ſpecie, vt perſpicuum eſt: ergo ſimiliter actus, quibus concupiſcimus, & iraſcimur, neque in nobis, neque in brutis prouenient à diuerſis in numero, & ſpecie potentijs appetitiuis; ſed potiùs in vnoquoque animali à potentia appetitiua eadem numero, & ſpecie.

15 Tertia ratio deſumitur ex eodem Scoto, qui loco ſupra citato num. 13. non ſolùm docet, in parte rationali poſſe dari actum concupiſcentiæ, & actum iræ, ſicut dantur in parte ſenſitiua; ſed etiam expreſsè affirmat, hos actus prouenire ab eadem numero potentia, ſcilicet, à voluntate; ergo idem affirmandum erit quoad hoc de actibus concupiſcentiæ, & iræ, qui reperiuntur in parte ſenſitiua, nimirum, prouenire non à diuerſis, ſed ab eadem numero potentia, ſcilicet, ab appetitu ſenſitiuo: & ſolùm pote-

te-

Digitized by Google

terit verſari inter eas diſcrimē, quod ibi aſſignat Scotus, ratione cuius affirmat, non eſſe tantam diſtinctionem horum actuum in voluntate, ac eſt in appetitu ſenſitiuo, videlicet, quòd appetitus ſenſitiuus, cum ſit materialis, & reſidens in organo corporeo, habet partes extenſionis, etſi continuas, & conſtituentes vnam numero potentiam; extenſas tamen ad extenſionem organi corporei, quibus partibus extēſionis caret voluntas, cum ſit potentia ſpiritualis, & non reſidens in organo corporeo, ſed in ipſa anima rationali.

16 Quarta, & vltima ratio deſumitur ex alio principio Scoti, quod deſumpſit ex Ariſtotele, & ab omnibus recipitur, ſcilicet, non eſſe multiplicandas entitates, quanto magis potentias animæ abſque cogenti auctoritate, vel ratione: ſed nulla auctoritas, vel ratio cogit, ponere potentiam appetitiuam ſenſibilem, quæ dicitur concupiſcibilis, diſtam numero, & ſpecie in eodem animali à potentia appetitiua ſenſibili, quæ dicitur iraſcibilis: ergo talis diſtinctio inter prædictas potentias non eſt admittenda. Minor probari poteſt ſoluendo ea, quæ adducta ſunt in contrarium.

17 Ad auctoritatem Scoti, qua nitebantur Cauellus, & Pontius ad ſuadendum, ex mēte Scoti concupiſcibilem, & iraſcibilem in ſenſu eſſe potētias appetitiuas realiter diſtinctas, reſpondemus admittendo libenter totam doctrinam Scoti num. 6. adductam, nimirum, diuerſas diſpoſitiones requiri in illa parte organi, per quam potentia appetitiua ſenſibilis (quæ vt num. 15. dicebamus ex eodem Scoto, etſi vnica ſit potentia; non tamen in indiuiſibili conſiſtit, ſicut conſiſtit voluntas, ſed habet partes extenſionis realiter diſtinctas, ſicut & ipſum organum corporeum, in quo reſidet) exercet actum concupiſcentiæ, ac requiruntur in alia parte organi, per quam exercet actum iræ; & conſequenter optimè intuliſſe Scotum, iraſcibilem, & concupiſcibilem ad operandum requirere diuerſa, & diſtincta organa partialia; tamen ex doctrina iſta Scoti, vndè, quæſo, infertur, quòd concupiſcibilis, & iraſcibilis ſint potentiæ appetitiuæ numero diſtinctæ? Nā ſicut benè compatitur, quòd organum potentiæ appetitiuæ ſenſibilis habeat partes extenſionis realiter diſtinctas, & nihilominus vnum numero organum, eo quòd prædictæ partes non ſunt diſcretæ, ſed potius termino communi continuatæ; ita optimè compatitur, quòd potentia appetitiua ſenſibilis habeat plures, & diſtinctas partes extenſionis, partibus extenſionis organi correſpondentes, & nihilominus ſit eadē nu-

numero potẽtia, eo quòd prædictæ partes non ſint diſcretæ, ſed potiùs termino communi copulatæ.

18 Ad fundamentum Thomiſtarum negamus aſſumptũ, ſcilicet in potentijs materialibus diſtinctionem formalium obiectorum, quæ ſufficit ad diſtinguendos actus in ſpecie, ſufficere etiam ad diſtinguendas in ſpecie ipſas potentias; nam viſus potentia materialis eſt, & nihilominus ratio albi, & ratio nigri, quæ ſunt rationes formales obiectiuæ ſufficientes ad diſtinguendos actus viſionis in ſpecie, non ſufficiunt ad diſtinguendas in ſpecie duas potentias viſiuas, vt perſpicuum eſt, cuius rationẽ à priori adduximus nu. 13.

19 Ad primam confirmationem dicimus, adhuc ſi admittamus, diſtinctionem appetituum ſenſitiuorum, vel eorum vnitatem, venandã eſſe ex multitudine, vel vnitate potentiarum per ſenſum cognoſcitiuarum (quod non eſt certum, ſed in opinione poſitum) prædictã confirmationem potiùs deducere ad oppoſitum, quod intẽdit; nam in dicta hypotheſi ſolũ eſſet attendendũ ad multitudinem, vel vnitatẽ illius potentiæ cognoſcitiuæ, quæ immediatè proponit appetitui obiectũ, vt conueniẽs, vel diſconueniens, & conſequẽter vt appetendum, vel fugiendum; hæc autem, etiam in ſententia Thomiſtarum vnica tantùm eſt, ſcilicet, æſtimatiua.

20 Ad ſecundam confirmationem reſpondemus, quòd cũ iraſcibilis ſit tota propter concupiſcibilem, non ſecus, ac appetitio medij eſt tota propter appetitionem finis, numquam poſſe illi totaliter contrariari: quod ſi iraſcibilis appetit punire, vindicare, vlciſci, & conſequenter cum triſtitia hoc præſtat, vt conſequi poſsit delectabilia, quæ magis appetit, quod non aduerſatur inclinationi ipſius concupiſcibilis, ſed potiùs ſtat pro illa, cum pro concupitis laboret.

21 Ad tertiam negamus, paſſiones intrinſecas iraſcibilis, & concupiſcibilis eſſe cõtrarias; neque oppoſitum infertur ex eo, quòd ardens ira minuat cõcupiſcentiam; quia hoc non prouenit ex diuerſitate potentiarum, ſed ex diuerſitate actuum; eadem enim potentia per vnum actum poteſt actum alium eiuſdem potentiæ minuere, imò deſtruere, ſi actus ſint oppoſiti; ſic amor deſtruit odium, non obſtante, quòd ſint actus eiuſdem potentiæ, imò ipſamet concupiſcentia vehemens circa rem vnam, diminuit concupiſcentiã circa rem aliam.

22 Circa ſecundum dubium Hurtado diſputat. 17. de anima ſect. 12. & noſter Cauelius diſp. 2. ſect. 7. ſuſtinent (contra cõmunem ſententiã) appetitũ ſen-

ſenſitiuum ſolùm reſidere in cerebro, tanquam in organo, non ſecus, ac ſenſus internus; & probat Cauellus, quia ex Ariſtotele in hoc 3. de anima ſenſus internus, & appetitus sẽſitiuus ſunt idem; quod ſaltem (inquit Cauellus) intelligendum eſt de identitate ſubiecti, ſeu organi. Suadetur etiam ratione; nam cum ſenſus internus debeat repræſentare appetitui ſenſitiuo obiectum conueniens, vel diſconueniens, vt illud proſequatur, vel fugiat; neceſſarium erit, vt appetitus reſideat in eadem parte corporis, vbi reſidet ſenſus internus; nam ſi reſidet in parte ſemota, quomodo poterit ſenſus internus obiectum conueniens, vel diſcõueniens appetitui repræſentare?

23 Sed neque auctoritas Ariſtotelis, neque ratio adducta auctoribus iſtis fauent; nam quod Ariſtoteles docet de idẽtitate ſenſus interni, & appetitus ſenſitiui, non eſt intelligendum de identitate ſubiecti, ſeu organi; ſed de identitate ſuppoſiti, ſeu animalis: ad hoc enim, vt aliquod animal appetat, vel fugiat aliquod obiectũ, etſi ſimpliciter neceſſarium ſit, quòd tam ſenſus internus, per quem animal repræſentat obiectum, quàm appetitus, per quem animal proſequitur, vel fugit obiectum, ſint in eodem ſuppoſito, ſeu animali; ſed nihil refert, quòd ſint in diuerſis partibus, ſeu organis eiuſdem animalis: & per hoc etiam patet debilitas rationis, nam ſupponit falſum, ſcilicet, id, cui per ſe primò repræſentatur obiectum conueniens, vel diſcõueniens, eſſe ipſum appetitum, cum revera non ſit appetitus, ſed ipſum animal, quod per appetitum appetit, vel fugit obiectum; ac per conſequens ſuperfluum eſt requirere, quòd ſenſus, & appetitus ſint in eadem parte, ſeu organo; ſed ſolùm neceſſaria erit vnitas ſuppoſiti, id eſt, quòd tam ſenſus, quàm appetitus ſint in eodem animali, quod eſt, quod per ſe primo tam per ſenſum, quàm per appetitum operatur.

24 Placet ergo in hac re cõmunis, & recepta ſententia, quam tradidit Ariſtoteles 3. de partibus animalium cap. 4 nimirum, appetitum ſenſitiuum reſidere in corde, & in his, quæ ſunt circa illud, tanquam in organo, quod Scotus noſter loco ſupra citato, vt certum præſupponit: & comprobat experientia, qua experimur in ipſo corde, & in his, quæ ſunt circa cor, affectus ſenſitiuos, præſertim quando vehementes ſunt; imò per diuerſos affectus ſenſibiliter apparet, diuerſis modis affici ipſum cor, & ea, quæ ſunt circa illud; nam per affectum lætitiæ dilatantur; per affectum triſtitiæ conſtringũtur; per iram efferueſcunt; per iram palpitant velo-

lociter, & ſic de ſingulis varijs affectibus.

QVÆSTIO III.

De appetitu rationali, ſcilicet, de voluntate in ſpeciali.

DE appetitu rationali, qui dicitur voluntas, multa exagitauimus in materia Theologica *de actibus humanis*, ex quibus plurima moralia ſunt. Nũc ergo ſolùm exagitari oportet, quæ ſunt naturalia voluntati; quæ, quia graues, & diſtinctas difficultates involuunt, quæſtionem iſtam quinque ſectionibus diſtribuam: in prima apperiam, *Quid ſit eius obiectum motiuum, & formale?* In ſecunda, *Quo pacto in ſuis operationibus dependeat à cognitione intellectiua?* In tertia, *An, & quomodo potentia libera ſit?* In quarta, *An, & quomodo moueat alias potentias animæ?* In quinta, & vltima, *An ſit perfectior potentia, quàm intellectus?*

SECTIO I.

Explicatur, quid ſit obiectum motiuum ſeu formale voluntatis?

1 COntrahitur hæc difficultas ad obiectum motiuum, ſeu formale voluntatis; quia de hoc ſolùm eſſe poteſt controuerſia; nam de obiecto terminatiuo, & materiali eius, nulla eſt controuerſia inter auctores; fatentur enim omnes, ipſa experientia ducti, voluntatem terminari poſſe per ſuos actus ad omne ens, non ſecus, ac intellectus; ſiue illud ens ſit materiale, ſiue ſpirituale, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, ſiue vniuerſale, ſiue particulare, ſiue reale, ſiue per rationem fictum: & ſolùm inter ipſos controuertitur, an ad hoc, vt voluntas per actus proſequutionis, & amoris feratur in aliquod ex ſupra dictis obiectis, ſit ſimpliciter neceſſariũ, quòd proponatur tale obiectum per intellectum ſub aliqua ratione boni veri, vel apparentis, quæ ſit motiua voluntatis ad tales actus; & per oppoſitum ad hoc, vt voluntas per actus fugæ, & diſplicentiæ feratur in aliquod ex ſupra dictis obiectis, ſit ſimpliciter neceſſarium, quòd tale obiectum proponatur per intellectum ſub aliqua ratione mali veri, vel apparentis, quæ ſit motiua voluntatis ad tales actus eliciendos?

2. Difficultatem iſtam (quæ celebris eſt) attigit Scotus in 1. diſt. 1. q. 4 § *Ad argumenta*, verſic. *Ad tertium*, & §. *Ad auctoritatem Auguſtini*: & in 2. diſt. 6. q. 2. §. *In iſta quæſtione*, verſ. *Sed hic eſt vnum dubium*, & in diſt. 43. q. 1. §. *Reſpondeo*, & quæſt. 2. & in 4. diſt. 49. quæſt. 5. §. *Ad quæſtionem*, & q. 10. §. *Quantum ad ſecũdum*. Sed circa mentem Scoti explicandam diuiſi ſunt auctores.

3 Sunt, qui abſolutè dicant, Sco-

Scotum exiſtimaſſe, ad hoc vt voluntas feratur in obiectum per actum proſequutionis ſeu amoris, non eſſe neceſſarium, quòd illud ſibi proponatur ſub aliqua ratione boni: & èccontra, vt feratur in obiectum, per actum fugæ, ſeu diſplicentiæ, non eſſe requiſitum, quòd illud ſibi proponatur ſub aliqua ratione mali; & conſequenter obiectum motiuum, & formale voluntatis in actibus proſequutionis, & amoris non eſſe rationem boni; & è contra in actibus fugæ, & diſplicentiæ obiectum motiuum, & formale voluntatis non eſſe rationem mali. Alij verò, inter quos ſunt Vazquez 1. 2. diſput. 31. cap. 1. & Lorca ibidem diſput. 8. affirmant, Scotum ſuper primum, & ſecundũ ſentẽtiarum in locis citatis ſolùm ad oſtendendum ingeniũ, & dubitando tenuiſſe, non eſſe neceſſarium, quòd voluntati proponatur obiectum ſub ratione boni, ad hoc vt voluntas feratur in illud per actum proſequutionis, & amoris; neque èccontra, quòd voluntati proponatur obiectum ſub ratione mali, ad hoc, vt in illud feratur per actum fugæ, & diſplicentiæ: tamen ſuper quartum locis citatis meliora ſapientem mutaſſe ſententiam, ſeu dereliquiſſe dubitationem de hac re, & cum communi ſententia conſtanter ſubſtinuiſſe, voluntatem per actum proſequutionis, & amoris non poſſe ferri in obiectum, quod non ſit illi propoſitum ſub ratione boni, neque per actum fugæ, & diſplicentiæ in obiectum, quod non ſit illi propoſitũ ſub ratione mali; & conſequenter obiectum motiuum, & formale voluntatis in actibus proſequutionis, & amoris eſſe rationem boni; & è contra in actibus fugæ, & diſplicentiæ rationem mali.

4 Sed quæ fuerit mens noſtri Scoti in locis ſupra citatis, poſtea dicam; nunc ſufficiat ſcire, plures Nominales firmiter ſtatuiſſe poſſe voluntatem per actum proſequutionis, & amoris ferri in obiectum, in quo nulla appareat ratio boni, & per actum fugæ, & diſplicentiæ in obiectum, in quo nulla appareat ratio mali; & conſequẽter obiectũ motiuũ, & formale voluntatis in actibus proſequutionis, & amoris non eſſe rationẽ boni; neque in actibus fugæ, & diſplicẽtiæ rationem mali, ſed quid ſuperius, ſcilicet, rationẽ entis veri, vel apparentis, non ſecus, ac ſupra dictum eſt de intellectu; neque ex hoc inferri, quòd voluntas, & intellectus non ſint potentiæ diſtinctæ in ſpecie; quia potentiæ non ſolũ differunt ſpecie per obiecta formalia, & motiua; ſed etiam ex diuerſo modo tendendi in alia obiecta; ita Ochamus in 3. quæſt. 13. ad 3. dubium. Maior in 2. diſt. 28. quæſt. 1. ad primum,

mum, & in 4. diſt. 49. quæſt. 7. concl. 2. Angeſtus in moral. cap. 2. in 2. parte textus, notatione 2. & Almainus 3. moral. cap. 4.

5 Probant Nominales hanc ſententiam; primò, quia propoſito per intellectum ſummo bono, & ſumma miſeria, poteſt voluntas mereri, aut demereri circa quodlibet iſtorum; ergo liberè poteſt velle, vel odiſſe quodlibet ipſorum; nam tam meritum, quàm demeritum requirunt libertatem. Secundò; multi appetunt non viuere, ſicut qui deſperant; aut annichilari, & non eſſe, ſicut damnati; ſed in his obiectis nihil relucet boni, cum conſiſtant in mera carentia vitæ, ſeu eſſe; ergo poteſt voluntas proſequi, & appetere obiectum, in quo nulla apparet ratio boni. Tertiò, quia qui odit alterum odio inimicitiæ, vult illi malum, vt malum illi eſt; ergo ſaltem in odio inimicitiæ poteſt voluntas affectu proſequutionis ferri in obiectum malum, & in quo nulla apparet ratio boni; idem argumentum fieri poteſt ad probandum, poſſe voluntatem fugere, & odiſſe bonum, in quo nulla apparet ratio mali, inſtantia actus inuidiæ; nam qui inuidet alteri, dolet, & triſtatur de bono alterius, vt bonum illius eſt.

6 Ex altera parte multi, & graues Scholaſtici, vt ridiculum iudicant, poſſe voluntatem per actum proſequutionis, & amoris ferri in obiectum, in quo nulla apparet ratio boni, ſub qua feratur; & è contrario per actum fugæ, & odij ferri in obiectum, in quo nulla apparet ratio mali, ſub qua feratur: vnde conſequenter aſſerunt, obiectũ motiuum, & formale voluntatis in actibus proſequutionis eſſe rationem boni; in actibus verò fugæ eſſe rationem mali; ita Angelic. Doctor 1. 2. quæſtio. 8. articul. 1. & ibi omnes Expoſitores eius, Caietanus, Conradus, & Medina; Diuus Bonauentura in 2. diſt. 34. artic. 1. ad 3. Ricard. diſt. 25. artic. 3. quæſt. 2. ad 1. Durand. quæſt. 1. Gabriel quæſt. vnica artic. 3. dubio 1. Vazquez 1. 2. diſputat. 31. cap. 2. Lorca diſputat. 7. Salas tract. 1. diſputat. 6. ſect. 1. Monteſinos diſputat. 12. quæſtio. 1. & quàm plures alij, quos iſti recentiores citant.

7 Probari ſolet hæc ſententia primò ex Ariſtot. 1. ethic. cap. 2. vbi ait, *Omnis ars, omniſque doctrina actus, & quia electio bonum quoddam appetere videntur; & ideò dixerũt antiqui, bonum eſt, quod omnia appetunt*; idem docuit 8. ethic cap. 5. & 1. Magnorum moral. cap. 1. & 2. eth. ad Eudemum in fine.

8 Secundò probatur ex Patribus, qui expreſſiſsimis verbis hoc affirmant; nam in Diuo

Dionyſ.4.capit.de diuinis nominibus habetur illud vulgare axioma Theologorum, *Nemo reſpiciens ad malum operatur*; vel vt alia verſio habet, *Nemo propoſito ſibi malo facit*,& eodem capite idem Dionyſius, *Bonum eſt, quod omnia concupiſcunt,& in quod omnia conuertuntur*. Et D Anſel. de concordia prædeſtinationis,& liberi arbitrij, *Omnis voluntas, quæ aliquid vult, rectitudinem vult, aut commoditatem, aut ſi aliquod aliud vult, non niſi quatenus illud ordinatur ad rectitudinem, vel commoditatem*; vbi per rectitudinem intelligit D. Anſelm. bonum honeſtum & per commoditatem bonum delectabile,& per id, quod ordinatur ad rectitudinem, vel commoditatem, intelligit bonum vtile: ergo ex mente Anſelmi ſolùm poteſt velle voluntas obiectum, in quo apparet aliqua ratio boni, vel honeſti, vel delectabilis, vel vtilis Legite D. Auguſtinum 2. confeſſionum à cap. 4. vſque ad 10. & 13. de Trinitate cap. 30. vbi plura,& præclara habet ad hoc intentum; & in Enchyridio capit. 36. ponit hæc verba, *Omnes beati eſſe volumus; miſeri autem eſſe, non ſolùm non volumus, ſed neque velle poſſumus*.

9 Tertiò probatur ratione à priori deſumpta ex D. Thom. appetitus voluntatis nihil aliud eſt, quàm inclinatio quædam actualis ipſius appetentis; ſed nihil inclinatur, niſi in ſibi ſimile, aut conueniens: ergo voluntas non appetit malum, in quo nulla apparet ratio boni; ſiquidem malum non eſt ſimile, aut conueniens appetenti. Minor præterquam, quòd ex ſe ſatis nota eſt, probatur à ſimili de appetitu innato, ſeu naturali, qui nūquam inclinatur, niſi in ſimile, aut conueniens appetenti,& etiam ex illo vulgari dicto Ariſtotelis 8. ethic. capit 2. & 5. *amabile bonum, vnicuique autem proprium*; quod ſatis indicat, non qualecumque bonum eſſe alicui amabile, ſeu non ad quodcumque bonum dicere aliquem appetitum, ſeu inclinationem; ſed ad illud, quod eſt vnicuique proprium, ſeu conueniens; & ſolùm eſt diuerſitas inter appetitum innatum,& elicitū, quòd innatus, cum ſequatur formam naturalem,& exiſtentem, ſolùm poteſt ferri in id, quod reuera ſimile, aut conueniens eſt,& appetitus elicitus, cum ſequatur formam apprehenſam, fertur in id, quod ſimile, aut conueniens apprehēditur, etiamſi in re ſimile, aut conueniens non ſit.

10 Quartò denique probatur experientia; nam ſi fiat inductio, experimur, nullum intendendo ad malum operari; ſed omnes appetere, quidquid appetunt, ob aliquam rationē boni, quam in eo, quod appetunt, reſpiciunt, vel honeſti, vel delectabilis, vel vtilis, vt magis

gis clarè patebit, dum ſoluamus argumenta adducta pro prima ſententia.

11 Inter has oppoſitas, & extremas ſententias, media quaſi via procedit noſter Philippus Faber in 1. Scoti diſt. 13. cap. 7. diſtinguit enim, inter actus voluntatis, actus concupiſcentiæ ab actibus amicitiæ, & de actibus concupiſcentiæ affirmat cum ſecunda ſentētia non poſſe voluntatem proſequi aliquod obiectum actu concupiſcentiæ, in quo non appareat aliqua ratio boni; neque per oppoſitum actum fugere obiectū, in quo non appareat aliqua ratio mali. De actibus verò amicitiæ docet cum prima ſententia, poſſe voluntatem per actum amicitiæ proſequi obiectum, in quo nulla appareat ratio boni; & per actum cōtrarium fugere obiectum, in quo nulla appareat ratio mali; & per iſtam diſtinctionem conciliat, & concordat id, quod dicit Scotus in 1. & 2. ſentent. ſcilicet, non eſſe certum, neque huc vſque probatum, voluntatem non poſſe velle obiectum, in quo nulla apparet ratio boni; & è contra non poſſe nolle obiectum, in quo nulla apparet ratio mali, cū his, quæ idē Scotus docet in 4. ſcilicet, eſſe rem certiſsimam, & manifeſtā, non poſſe voluntatem appetere miſeriam, & nolle beatitudinem; conciliat, inquā, & concordat dicens, Scotum in locis 4. loquutum fuiſſe de actibus concupiſcentiæ; in locis verò primi, & ſecundi de actibus amicitiæ. Imò loquēdo de actibus concupiſcentiæ, idem, quod docuit in 4. docuiſſe etiam in 1. & 2. ſentent. quod legētibus Scotum manifeſtum erit. Vndè reprehendit, vt ignaros in doctrina Scoti recētiores Thomiſtas ſupra relatos, qui dicebant, Scotum in 4. meliora ſapientem mutaſſe ſententiam, quam ſaltem, vt probabilem docuerat in 1. & in 2. ſentent. Nam Scotus, inquit, non mutauit ſententiam; ſed idem, quod de actu concupiſcentiæ docuit in 4. ſcilicet, per iſtum actum non poſſe proſequi voluntatē obiectum, in quo nō appareat aliqua ratio boni, & conueniētis, docuerat etiam priùs in 1. & 2. ſentent.

12 Sed quamuis hæc diſtinctio actuum voluntatis in actus concupiſcentiæ, & amicitiæ, qua vſus eſt Faber in ſolutione huius difficultatis, optimè, & neceſſaria ſit ad ſolutionem difficultatis propoſitæ; imò ipſa vſus eſt Scotus in 1. diſt. 1. q. 4. §. *Ad auctoritatem Auguſtini*, in 2. reſponſione; nihilominus ad faciliorem intelligentiam Scoti, & clariorem reſolutionem difficultatis propoſitæ opus etiam erit, ſupponere aliam diſtinctionē boni in cōmuni, cuius meminit Scotus quodlibeto 18. §. *De primo*, & latè eam explicat Philippus Fa-

Faber in additionibus ad 4.d. 9.cap.5.

13 Bonum, inquit, Scotus aliud eſt bonum eſſentiale, & primarium; aliud accidentale, & ſecundarium. Bonum eſſentiale, & primarium (quod ab alijs appellatur bonum in ſe) conſiſtit formaliter in integritate, & perfectione intrinſeca rei; itaque illud ens, quod eſt integrum, & perfectum ex omnibus, quæ ſecundum ſuum eſſe intrinſecum expoſcit, dicitur bonum eſſentiale, & primarium. Bonum autem accidentale, & ſecundarium (quod ab alijs dicitur bonum alteri) dicitur illud, quod alteri eſt conueniens; itaque bonitas hæc pro formali conſiſtit in relatione, & habitudine conuenientiæ vnius ad aliud. Per oppoſitum eſt philoſophandum de malo, ſcilicet, eſſe in duplici differentia; nam aliud eſt eſſentiale, & primarium (quod ab alijs dicitur malum in ſe) & conſiſtit in negatione integritatis, & perfectionis intrinſecæ entis; aliud accidentale, & ſecundarium (quod ab alijs dicitur malum alteri) & conſiſtit, non in aliqua negatione, ſed in poſitiua relatione diſconuenientiæ vnius ad aliud. His ergo diſtinctionibus boni, & mali præſuppoſitis, & ſimiliter diuiſione actuum voluntatis in actus concupiſcentiæ, & amicitiæ, propoſitæ difficultati (ſanè lubrica) duobus aſſertis reſpondemus.

14 *Primum aſſertum*; ſi ſermo ſit de bono accidentali, & ſecundario, & de malo huic bono oppoſito, voluntas per actus concupiſcentiæ nō poteſt velle, ſeu amare obiectum, in quo non relucet aliqua ratio huius boni, neque nolle, ſeu odio habere obiectum, in quo non relucet aliqua ratio mali. At per actus amicitiæ poteſt velle, ſeu amare obiectum, in quo nulla appareat ratio huius boni; & è contra nolle, & odio habere obiectum, in quo nulla appareat ratio oppoſiti mali.

15 Prior pars huius aſſerti recipitur ab omnibus Theologis, & Philoſophis, exceptis Nominalibus citatis pro prima ſententia; & ipſam manifeſtè probant auctoritates, & rationes adductæ pro ſecūda ſentētia; nam procedunt de actibus cōcupiſcentiæ, qui ſunt, qui reſpiciunt obiectum, vt bonū alteri, quæ eſt bonitas accidentalis, & ſecundaria, de qua loquimur in hoc aſſerto. Secūda verò pars eſt ferè contra omnes recentiores Thomiſtas citatos pro ſecunda ſentētia, qui dum explicant illud bonū, quod dicunt eſſe neceſſarium, vt reluceat in obiecto ad hoc, vt volūtas, quocūque actu proſequutionis illud velit, dicunt conſiſtere in hoc, quòd prædictū obiectū ſit cōueniēs appetēti, quę eſt bonitas accidentalis, & extrin-

trinſeca, de qua in hoc aſſerto loquimur: vtramque partem huius aſſerti ſuſtinet noſter Scotus locis citatis; legatur in 1. diſt. 1. quæſt. 4. §. *Ad auctoritatem Auguſtini*, vbi reſpondens ad auctoritatem Auguſtini, quæ adducebatur ad probandum, voluntatem noſtram neceſsitari ad volendum vltimũ finem in communi, obſcurè oſtenſum, in ſecunda reſponſione ait, prædictam auctoritatem non eſſe ad rem; *quia fruitio vltimi finis eſt amor amicitiæ, & non concupiſcentiæ, qui eſt de quo ibi loquutus eſt Auguſtinus. Et licet verum ſit, inquit Scotus, amore concupiſcentiæ omnes velle beatitudinem, ſed non amore amicitiæ; non enim eſt certum, voluntates inordinatas habere dilectionem ordinatam primi obiecti, vt eſt in ſe, licet ſit certiſsimum, omnes voluntates tam ordinatas, quàm inordinatas velle ſibi bonum amore concupiſcentiæ.* Hæc Scotus

16 Sed vt vtramque partem huius primi aſſerti ratione à priori comprobemus, priùs explicare oportet, quid appellemus amorẽ amicitiæ, & quid amorem concupiſcentiæ, & ſimiliter quid ſit odiũ, quod opponitur amori amicitiæ, & quid ſit odium, quod opponitur amori concupiſcentiæ? Dicimus enim cum communi, & recepta ſentẽtia, amorẽ amicitiæ appellari illum, qui tendit in obiectũ, vt eſt in ſe; amorem verò concupiſcentiæ, qui tendit in obiectum, vt conueniẽs alicui; & per oppoſitum odiũ, quod opponitur amori amicitiæ, eſſe actum fugæ, qui tendit in obiectum, vt eſt in ſe; odium verò, quod opponitur amori concupiſcentiæ, & communiter appellatur odium abominationis, eſſe illud, quo fugimus obiectum, quando apprehenditur, vt conueniens inimico.

17 Ex hac doctrina, quæ, vt dixi communis, & recepta eſt, optimè intulit D. Thomas 1. 2. quæſt. 27. artic. 4. inter amorem amicitiæ, & amorem cõcupiſcentiæ hoc eſſe diſcrimen inter alia, quòd id, quod amatur amore amicitiæ, ſimpliciter, & per ſe amatur; at id, quod amatur amore concupiſcentiæ, non ſimpliciter, & per ſe amatur; ſed amatur alteri, & in quantum illi eſt conueniẽs; imò in hoc diſcrimine fundatur altera doctrina, quam tradidit Scotus in 2. diſt. 6. quæſt. 2. §. *In iſta quæſtione* loquendo de ordine, quem ſeruant iſti amores inter ſe, videlicet, amorem amicitiæ ſemper præſupponi ad amorem concupiſcentiæ; cum enim id, quod concupiſco, non amem propter ſe, ſed propter illum, cui obiectum concupitũ conueniens eſt; neceſſe eſt, vt perſona, cui obiectum conueniens concupiſco, habeat ſe tanquam finis reſpectu obiecti conuenientis cõcupiti; & cũ finis priùs appetatur,

quàm media, hinc eſt, vt actus amoris amicitiæ, qualis eſt, quo amo perſonā, cui bonum concupiſco, præſupponatur ad ipſum actum concupiſcentiæ, ad modum, quo intentio finis præſupponitur ad electionem mediorum.

18 Hinc etiam intelligetis, quàm verū ſit id, quod communiter circumfertur, videlicet, in actu amoris, qualis eſt ille, quo bonū alicui volumus, nos poſſe diſtinguere duplicē habitudinem, vnā ad bonū, quod volumus, & alteram ad perſonam, cui bonū volumus; inter quas eſt hoc diſcrimen, quòd per habitudinē ad bonū, quod volumus, actus dicitur amor concupiſcentiæ, & per habitudinē, quā dicit ad perſonam, actus dicitur amor amicitiæ, cuius ratio eſt, quia per priorem habitudinem reſpicitur obiectum, non vt in ſe eſt, ſed vt eſt bonum, ſeu conueniens alteri, in quo dictū eſt cōſiſtere amorem concupiſcentiæ; per poſteriorē verò reſpicitur obiectum, ſeu perſona, vt in ſe eſt, in quo dictum eſt cōſiſtere amorem amicitiæ.

19 Item in actu odij, vt eſt v. g. quo mihi diſplicet mors amici, vel quo inimico appeto malum, poſſumus ſimiliter diſtinguere duplicē habitudinē, vnā ad obiectum, quæ quoties eſt per modū fugæ, vt cum mihi diſplicet mors amici, dicitur odiū abominationis; & alterā ad perſonam, quæ quoties eſt per modū fugæ, vt cū inimico appeto malū, dicitur odiū inimicitiæ, cuius etiam ratio eſt, quia per priorē diſplicet obiectū, vt diſconueniens alteri, in quo dictum eſt conſiſtere odiū abominationis; per poſteriorē verò diſplicet obiectum, vt eſt in ſe, in quo dictum eſt conſiſtere odium inimicitiæ.

20 Eſt etiam aduertendum pulchrum diſcrimen inter actū amoris, & actum odij, quòd in actu amoris, tam habitudo ad perſonam, quàm habitudo ad bonum concupitum eſt per modum proſequutionis, & ſic in eodem actu reperitur vterq; amor, cōcupiſcentiæ, ſcilicet, & amicitiæ. At in actu odij, vt in plurimum, ſi ordo ad perſonā eſt per modū fugæ; ordo ad obiectum eſt per modum proſequutionis, vt patet in odio inimicitiæ, quo inimico appeto malum: è contra verò ſi ordo ad obiectum eſt per modū fugæ, ordo ad perſonam, eſt per modum proſequutionis, vt patet in odio abominationis, quo mihi diſplicet mors amici: vnde, vt in plurimum, non reperiuntur in eodem actu ſimul odium inimicitiæ, & odiū abominationis, ſicut dictum eſt inueniri in eodem actu ſimul amorem amicitiæ, & cōcupiſcentiæ. Et dixi notanter, *vt in plurimum*; nam aliquando contingere poteſt, vt in eodem actu odij, tam ordo ad obiectum,

Digitized by Google

ctum, quàm ad perſonam ſit per modum fugæ, & conſequẽter quòd in eodem actu ſimul reperiantur odium abominationis, & inimicitiæ, vt cũ mihi diſplicet bonum inimici.

21 Ex his prænotatis facilè deducitur ratio efficax, & à priori vtriuſque partis noſtri primi aſſerti: prioris partis, quia ſi, vt viſum eſt, obiectum per ſe motiuum, & formale voluntatis in actibus concupiſcentiæ ſolùm eſt in actibus proſequutionis bonum accidentale, ſeu ratio conuenientis, & in actibus fugæ malum accidentale, ſeu ratio diſconuenientis; ita implicabit, quòd voluntas per actus concupiſcentiæ proſequatur obiectum, in quo nulla apparet ratio boni accidentalis, ſeu conueniẽtis, & quòd fugiat obiectum, in quo nulla apparet ratio mali accidentalis, ſeu diſconuenientis, ac implicat, quòd viſus percipiat ſonum, aut quòd quæcunque alia potentia percipiat obiectum, quod non participat rationem formalem ſui per ſe obiecti motiui.

22 Poſterioris partis, quia ſi, vt viſum eſt, per actus amicitiæ ſolùm reſpicit voluntas obiectum, vt in ſe eſt, abſtrahẽdo à ratione conuenientis, vel diſconuenientis ad hoc vt voluntas proſequatur, vel fugiat aliquod obiectum per actum amicitiæ, vel inimicitiæ; ita per accidens erit, quòd in eo appareat ratio conuenientis, vel diſconuenientis, ac eſt per accidens ad actum videndi, quòd color, qui videtur, ſit dulcis, vel amatus; vel ad actũ odoratus, quòd odor ſit albus, vel ſit niger. Et confirmatur, quia ſi ad actum proſequutionis in actibus amicitiæ eſſet per ſe neceſſarium, quòd in obiecto appareret ratio conuenientis, & ad actum fugæ ratio diſconuenientis, non poſſet aſsignari ratio, ob quam actus amoris amicitiæ, vel odij illi oppoſitus, deberet præcedere actum amoris concupiſcentiæ, vel odij illi oppoſitum; quod eſſe neceſſarium, vt præcedat, ex Scoto, & per rationem num. 17. oſtenſum eſt.

23 *Secundum aſſertum*; ſi ſermo ſit de bono eſſentiali, & primario, & de malo huic bono oppoſito, voluntas per actus cõcupiſcentiæ poteſt velle, ſeu amare obiectum, in quo nulla apparet ratio huius boni, & nolle, ſeu odio habere obiectum, in quo nulla apparet ratio huius mali: per actus verò amicitiæ, ſicut nulla eſt auctoritas, vel ratio, quæ cogat, non poſſe voluntatem velle obiectum, in quo non reluceat aliqua ratio huius boni, aut nolle, ſeu odio habere obiectum, in quo non reluceat aliqua ratio huius mali; ita nulla eſt auctoritas, vel ratio, quæ cogat poſſe voluntatem velle obiectum, in quo nulla ap-

apparcat ratio huius boni, & nolle, ſeu odio habere obiectum, in quo nulla appareat ratio huius mali: vndè quoad hanc partem quæſtionem hāc dubiam, & problematicam relinquo; ſicut reliquit Scotus loco primi, numero 15. citato; & in 2. diſt. 6. q. 2. §. *In iſta quæſtione*, verſ. *Sed hic eſt vnum dubium*.

24 Priorem partem huius ſecundi aſſerti (licet apud nullum auctorem expreſſam viderim, ſicuti neque oppoſitam) exiſtimo à nullo inficiari poſſe; nam ipſam probant inſtantiæ damnatorum, qui appetunt ſaltem ſimplici affectu non eſſe; & illorum, qui peccant peccato deſperationis, quorum primi proſequuntur actu concupiſcentiæ ſuum nō eſſe, in quo licet ſit bonum extrinſecum, & ſecundarium, ſcilicet, conuenientia, quæ reperiretur in non eſſe ad fugiēdas pœnas inferni; nihil tamen eſt boni intrinſeci, & primarij, cum conſiſtat in carentia, & priuatione totali integritatis, & perfectionis intrinſecæ ſui eſſe: poſteriores verò per odium abominationis, quod eſt oppoſitum amori cōcupiſcentiæ, fugiunt beatitudinem, in qua, etſi ipſis appareat aliqua ratio diſconueniētiæ, impoſsibilitas, ſcilicet, ipſam aſſequendi, nullam tamen rationem mali intrinſeci, & primarij in ipſa reſpiciunt, cum intueantur illam cū omni integritate, & perfectione, ad intrinſecam rationem beatitudinis requiſita.

25 Et ratio à priori eſt, quia in actibus concupiſcentiæ obiectum per ſe motiuum, & formale, quando ſunt proſequutionis, ſolùm eſt bonum accidentale, & ſecundarium, ratio, ſcilicet, conuenientis, quam vnum obiectum dicit ad aliud; & quando ſunt fugæ malum accidentale, & ſecundarium, ratio, ſcilicet, diſconuenientiæ: ſed poteſt contingere, quòd malum intrinſecum, & primarium, quale eſt, non eſſe, appareat aliquibus conueniens; & bonum intrinſecum, & primarium, quale eſt eſſe beatitudinis, appareat aliquibus diſconueniēs (vt inſtantiæ allatæ oſtendunt) ergo poterit optimè contingere, quòd aliquis per actum concupiſcentiæ proſequatur obiectum, in quo nulla apparet ratio boni intrinſeci, & primarij, & fugiat obiectum, in quo nulla apparet ratio mali intrinſeci, & primarij, quæ eſt prima pars huius noſtri ſecundi aſſerti.

26 Secunda verò pars huius noſtri ſecundi aſſerti oſtendi poteſt; quia ſi aliquæ eſſent auctoritates, & rationes, quæ conuincerent, non poſſe voluntatem actu amicitiæ tendere in obiectum, in quo non apparet aliqua ratio boni eſ-

ſen-

ſentialis, & primarij; neque fugere per actum oppoſitum obiectum, in quo non apparet, aliqua ratio mali eſſentialis, & primarij, maximè, quæ adductæ ſunt pro ſecunda ſententia; Conſtat autem, prædictas auctoritates, & rationes non eſſe ad rem, cum ſolùm procedant de actibus voluntatis, reſpicientibus obiectum, non vt eſt bonum in ſe, qualiter reſpicitur ab actibus amicitiæ; bonum enim in ſe, id eſt, eſſentiale, & primarium, non eſt, quod omnia appetunt, & ad quod naturaliter inclinantur; ſed bonum accidentale, & conueniens appetenti, qualiter ſolùm reſpicitur à voluntate per actus concupiſcentiæ; nam iſtud bonum ſolùm eſt, quod omnia appetũt, & ad quod naturaliter inclinantur.

27 Quod etiam non ſit auctoritas, vel ratio conuincens oppoſitum, ſcilicet, poſſe voluntatem per actum amicitiæ proſequi obiectum, in quo nulla apparet ratio boni eſſentialis, & primarij, & per odium actui amicitiæ oppoſitum fugere obiectum, in quo nulla apparet ratio mali eſſentialis, & primarij; & conſequenter quoad hanc partem quæſtionem hãc eſſe relinquendam ſub dubio, & problematicè defendendam, ſicut reliquit Scotus, patet; nam ſi aliqua eſſet auctoritas, maximè Scoti, ſed hæc non; quia etiamſi ſæpè dicat, voluntatem poſſe amare obiectum, in quo nulla apparet ratio boni, & odio habere obiectum, in quo nulla apparet ratio mali, etſi loquatur de actibus amicitiæ, ſed non de bono eſſentiali, & primario; ſed de bono accidentali, & ſecundario, & de malo illi oppoſito. Etſi aliqua eſſet ratio, maximè, quia, vt in principio huius quęſtionis, vt certũ ſuppoſuimus, voluntas, ſaltem per actus amicitiæ poteſt verſari circa omne ens, & ſic non reſpicit pro obiecto adæquato iſtud, vel illud ens, ſed ens in tota ſua latitudine ſumptum; nam huic doctrinæ non erit contrarius, qui ſuſtinere velit, per actus amicitiæ voluntatem non poſſe proſequi, niſi obiectum, in quo apparet aliqua ratio boni eſſentialis, & primarij; nam bonum iſtud eſſentiale, & primarium eſt bonum tranſcendentale, & conſequenter adæquãs ens in tota ſua latitudine ſumptum.

28 Solùm animaduertendum eſt, quòd ſiquis voluerit defendere, voluntatem per actus amicitiæ poſſe proſequi obiectũ, in quo nulla apparet ratio boni eſſentialis, & primarij; & è cõtra fugere, & odio habere obiectum, in quo nulla apparet ratio mali eſſentialis, & primarij, conſequenter debet dicere, poſſe aliquẽ odiſſe Deũ odio inimicitiæ abſq; errore in-

in intellectu; & conſequenter primum peccatum tam in Angelo, quàm in Adamo potuiſſe eſſe odiũ Dei, oppoſitũ actui charitatis. At ſi aliquis è cõtrariò voluerit defendere, voluntatem per actus amicitiæ non poſſe proſequi obiectum, niſi in ipſo appareat ratio boni eſſentialis, & primarij; & è cõtra fugere, & odio habere obiectũ, niſi in eo appareat aliqua ratio mali eſſentialis, & primarij; conſequenter debet dicere, nõ poſſe aliquem odiſſe Deum odio inimicitiæ abſque errore in intellectu, & conſequenter primum peccatum, neque in Angelo, neque in Adamo potuiſſe eſſe odium Dei.

29 Sed reſtat argumentis adductis pro prima ſententia, in quantum poſſunt militare cõtra primam partem noſtri primi aſſerti, ſatisfacere. Ad primum dicimus, quòd cum ad meritum non ſit ſimpliciter requiſita libertas quoad ſpecificationem; ſed ſufficiat libertas quoad exercitium; ideo non eſſe neceſſarium ſimpliciter ad hoc, vt propoſito per intellectum ſummo bono commodi, aut ſumma miſeria, illi oppoſita, poſſit quis mereri, aut demereri circa illa, quòd poſſit liberè per actus cõcupiſcentiæ velle, vel odiſſe quodlibet ipſorũ; ſed ſat eſſe, quòd poſſit velle ſummum bonum, & ſuſpendere actũ circa illud, & quòd poſſit odiſſe ſummam miſeriã, & ſuſpendere actum circa illam.

30 Ad ſecundum reſpondemus, probare optimè primam partẽ noſtri ſecundi aſſerti, ſcilicet, voluntatem per actus cõcupiſcẽtiæ poſſe proſequi obiectum, in quo nulla apparet ratio boni eſſentialis, & primarij, vt ſunt non viuere, & annihilari; non verò militare contra primam partem noſtri primi aſſerti, in qua ſtatuimus, voluntatẽ per actus concupiſcentiæ non poſſe proſequi obiectum, in quo nõ relucet aliqua ratio boni accidentalis, & ſecundarij, nam dicimus, deſperantes, & damnatos in illo non viuere, ſeu in illa ſui annihilatione, quam appetunt, conſiderare aliquam rationem cõmodi, ſeu boni accidentalis, & ſecundarij, ſub qua illas negationes appetunt, ſcilicet effugere per illa media labores, & pœnas quas patiuntur.

31 Ad tertium, omiſſis aliorum ſolutionibus, reſpondetur, quòd ſi is, qui odit alterum odio inimicitiæ, vult illi amore concupiſcentiæ malum, in quantum illi malum eſt, hoc velle ſub aliqua ratione boni accidentalis, & ſecundarij: qui enim odit inimicum, malũ illius, vt malum illi eſt, reputat, vt ſibi conueniẽs, &, vt bonum accidentale, & ſecundarium reſpectu ſui; & propter hanc conuenientiam, & bonitatẽ accidentalẽ, & ſecundariã; quam reſpicit in malo inimici,

Digitized by Google

vt malum illi eſt; proſequitur amore concupiſcentiæ malũ inimici, vt malum inimico eſt. Itaque in hoc affectu concupiſcentiæ totum hoc, *malum inimici, vt malum illi eſt*, habet rationem obiecti materialis, & rei volitæ; conuenientia verò, ſeu bonitas accidentalis, & ſecundaria, quam nos apprehẽdimus in hoc, quod eſt, inimicum habere malum, habet rationem obiecti formalis, & motiui. Idem dicimus de inuidia, videlicet, quòd qui inuidet alteri, dolet, & triſtatur de bono illius, vt bonum illi eſt, inquantum bonum alterius apprehendit, vt diſconueniens, & malum extrinſecum, & ſecundarium reſpectu ſui. Vnde benè animaduertit Vazquez 1.2. diſput. 31. cap. 4. has rationes boni, & mali extrinſeci, & ſecundarij, ita ſe habere, vt vna poſsit alteri accidere, ſeu eſſe ratio, ob quam altera ametur, vel odio habeatur proportionabiliter loquẽdo.

SECTIO II.

Explicatur, quo pacto voluntas in ſuis operationibus pendeat ab operatione intellectus?

32 SEctio iſta vnũ ſupponit, & aliud inquirit; ſupponit, vt certũ, & experientia cõpertum, voluntatẽ in ſuis operationibus pendere, tanquam ab aliquo præviè requiſito, à cognitione ſui obiecti, iuxta illud receptum axioma, *nihil volitum, quin præcognitum*. Inquirit autem qualis, & quanta ſit iſta dependentia.

33 Et in primis dubitari poteſt, an voluntas dependeat in ſuis operationibus à cognitione ſuorum obiectorum in aliquo genere cauſæ? Sed ad hãc dubitationem patet ex dictis 2. libro Phyſicorum diſputat. 5. *de cauſa finali*, quæſt. 5. voluntatem non pendere in ſuis operationibus à cognitione ſuorum obiectorum in aliquo genere cauſæ; ſed tanquam à cognitione requiſita ad hoc, vt obiectum voluntatis habeat ſtatum requiſitum, vt mouere poſsit voluntatem; & cõſequenter voluntas poſsit illud appetere, vel fugere iuxta exigentiam ipſius obiecti. Recolantur ibi dicta.

34 Maior difficultas eſſe ſolet in explicando, an hæc conditio ita ſit neceſſariò requiſita, vt implicationem inuolvat, voluntatem operari circa obiectum abſque illius præuia cognitione? Nam Diuus Bonauent. 2. tomo opuſcul. tractat. de myſtica Theologia, quæſtione vnica, & in itinerario mentis ad Deum capit. 7. videtur ſuſtinere partem negatiuã; diſtinguit enim duplicem amorem erga Deũ, vnum, quem vocat Scholaſticum, & de hoc affirmat ſem-

ſemper ſupponere cognitionem ipſius Dei, & alium, quem vocat myſticum, ſeu ſecretum, & de iſto, qui eſt perfectiſſimus, & vnitiuus, docet eſſe abſque cognitione ipſius Dei; & pro eadem ſententia citantur Abbas Bercelēſis in paraphraſi ſuper ſecūdum caput D. Dionyſij de myſtica Theologia, & Henricus de Balliuis, & Hugo de Balma, & alij.

35 Probari poteſt hæc ſententia; primò auctoritate Diui Dionyſij; Nam epiſtol 5. quæ eſt ad Dorotheum, loquens de ecſtaſi, & raptu ſic ait, *Ad hanc qui pertingit, neque videt, neque cognoſcit; quia omnem viſionem, & cognitionem tranſcendit*; & 7. capite de diuinis nominibus ait, *quod qui præfato modo* (ſcilicet per ecſtaſim, ſeu raptum) *Deo vniuntur habent ignorātiam, & incognitionem Dei*; & de myſtica Theologia cap. 1. monet Thimoteum, *vt derelinquat ſenſuum cognitiones, & intellectus operationes, vt vniatur ei, qui eſt ſupra omnem ſcientiam, & ſupra omnem eſſentiam*; & in fine capitis ait, *Perfectiſſimum modum vnionis ad Deū eſſe per vacationem omnis ſcientiæ*.

36 Secundò probari poteſt, quia Deus ſua potentia abſoluta ſupplere poteſt omnem conditionem preuiam ad operandum requiſitam, vt patet in approximatione agentis ad paſſium, quæ etiamſi ſit conditio, ad agēdum præuiſè requiſita à Deo ſuppleri poteſt; ſed ad hoc, vt voluntas operetur circa aliquod obiectum, cognitio talis obiecti ſolùm eſt (vt modò dicebamus) conditio præuiè requiſita; ergo à Deo ſuppleri poteſt. Et confirmatur, quia nō repugnat, Deum conſeruare in noſtra voluntate amorē genitum, non conſeruata cognitione illius obiecti: ergo neque etiam repugnabit, voluntatem producere in ſe actum amoris, nulla præcedente cognitione illius obiecti.

37 Sed vera, & recepta ſententia, tam inter Theologos, quàm Philoſophos affirmat, voluntatem nec ferri poſſe in incognitum obiectū; ſed ſimpliciter indigere ad omnes ſuas operationes, tam naturales, quàm ſupernaturales, tam imperfectas, quàm perfectiſſimas, quales ſunt, quas habet in ecſtaſi, ſeu raptu, quòd obiectum per intellectū illi proponatur, ſeu repræſentetur; ita Scotus noſter in 2. d. 42. q. 4. §. *Quantum ad primum*, Gabr. d. 25. quæſt. vnica, art. 2. concluſione 2. & 3. dubio 3. Durandus diſtinct. 39. quæſt. 3. Henricus quodlibeto 1. quæſt. 15. Carthuſianus ſuper Dionyſium lib. de myſtica Theologia artic. 9. Angel. Doctor 1. 2. quæſt. 3. artic. 4. ad 4. & quæſt. 9. art. 1. & ibi Expoſitores eius, Caietanus, Medina, atque Contradus, Valentia diſput. 2. quæſtion. 4. puncto 1. Vazquez

diſp.

Digitized by Google

diſp. 35. cap. 2. & 3. Lorca diſput. 9. Monteſinos diſp. 13. q. 2. Salas tractatu 1. diſp. 5. ſect. 1. Suarez tomo 1. Metaph. diſput. 23. ſect. 7.

38 Probatur 1, auctoritate plurimorum Patrum; nam Auguſtinus 10. de Trinitate cap. 1. & 2. ſic ait, *Rem prorſus ignoratam nemo diligere poteſt*; & libro 15. cap. 26. docet, *Amorem procedere ex notitia intellectus*; & Diuus Anſelmus in monologio cap. 48. affirmat, *nullam rem amari ſine ſui memoria, vel intelligentia*; & Sanctus Bernardus in principio libri de gratia, & libero arbitrio ponit hæc verba, *Habet voluntas, quocumque ſe verterit, ſemper comitem rationem; non quòd ſemper ex ratione, ſed quòd numquam abſque ratione mouetur*; omitto plures alias auctoritates.

39 Secundò probatur ratione deſumpta ex natura ipſius appetitus eliciti: eſt enim appetitus elicitus ex intrinſeca natura ſua inclinatio tendens in rem apprehenſam, tanquam in obiectum, vt docuit Ariſtoteles in hoc libro cap. 10. dicens, quòd appetibile cognitum mouet appetitum; ergo ſicut implicat dari appetitum elicitum, qui non verſetur circa aliquod obiectum; ita implicabit dari talem appetitum, qui non verſetur circa aliquod obiectum apprehenſum, vel per ſenſum, ſi appetitus ſit ſenſitiuus; vel per intellectum, ſi appetitus ſit rationalis, qualis eſt voluntas.

40 Confirmatur, & declaratur ampliùs ratio facta; primò, quia apprehenſio appetibilis ad hoc, vt mouere poſsit appetitum (vt mouet) intentionaliter, ſeu in genere cauſæ finalis eodem pacto requiritur, ac requiritur exiſtentia realis in cauſa reali efficiente ad hoc, vt realiter influat in ſuum effectum; ſed implicationẽ involvit, quòd cauſa efficiẽs influat realiter in ſuum effectum, & quòd realiter ipſa non exiſtat: ergo eodem pacto implicabit, quòd appetibile moueat intẽtionaliter, ſeu in genere cauſæ finalis appetitum, & quod non ſit apprehenſum. Secũdò, quia de intrinſeca ratione actus voluntatis eſt, quòd ſit voluntarius; ergo etiam erit, quòb obiectum, in quod tendit, ſit cognitum: patet conſequentia, quia ſicut voluntarium intrinſecè petit, quòd ſit à principio intrinſeco; ita & quòd ſit cum cognitione prævia eorũ, in quibus eſt actio.

41 Et quamuis ratio facta cũ ſuis confirmationibus abſolutè probet, ad omnem actum voluntatis ſimpliciter eſſe requiſitum, quòd obiectum, in quod tendit, ſit præcognitum, ſiue actus ſit naturalis, & imperfectus, ſiue ſupernaturalis, & perfectiſsimus, vt ſunt, qui habentur in ecſtaſi, ſeu raptu, poſſumus ſpeciatim hoc ipſum oſten-

oſtendere in actu amoris erga Deum, quem habent, qui patiuntur eſtaſim, & raptum. Nam D. Paulus fuit raptus, & paſſus eſtaſim, & nihilominus in prædicta eſtaſi, & amore feruentiſsimo Dei habuit cognitionem multorum myſteriorum, ipſomet atteſtante, dum ait, *Audiui arcana Dei, quæ non licet homini loqui*; quæ auditio nō fuit corporalis, cum eſſet alienus à ſenſibus, ſed ſpiritualis, & per intellectum.

42 Idem confirmatur ad hominem; nam aduerſarij contendunt nobis ſuadere, eos, qui patiuntur eſtaſim, experiri ſe amare Deum abſque cognitione; nam hoc ſuppoſito, ſic argumentor; aut iſti experiuntur, ſe amare Deum ſine cognitione, dum ſunt in eſtaſi, aut poſtea; ſi primum dicant, ergo habent pro tunc cognitionē; nā experientia, cognitio quædam eſt: ſi dicant ſecundum, ergo habent memoriam eorum, quæ ſibi cōtingunt in eſtaſi; & conſequenter habuerunt cognitionem ipſorum in eſtaſi; ſiquidem memoria nihil aliud eſt, quàm recordatio præteritæ cognitionis. Verum eſt, cognitionem, quam eſtatici habent in raptu, non eſſe diſcurſiuam, nec laborioſam, ſicut eſt, quam nos habemus; ſed eſſe ſimplicem quandam penetrationem Dei, & rerum ſupernaturalium, procedentem à dono Spiritus Sancti, quod dicitur intellectus; & hanc eſſe cauſam, ob quam iſti, qui patiuntur eſtaſim, exiſtiment, ſe nō intelligere, quia ſine diſcurſu, & labore intelligunt.

43 Ad auctoritates D. Dionyſij in contrarium adductas reſpondemus, D. Dionyſium affirmare, illum, qui per amorem in eſtaſi vnitur Deo, non cognoſcere, neque videre, & inſuper omnem amorem eſſe neſcientiam, & ignorantiam loquendo reſpectu rerum creatarum; non verò reſpectu Dei, atque myſteriorum eius; & ideo monere Timotheum, vt, cùm caliginem intrat, id eſt, ad amorem eſtaticum, derelinquat cognitiones ſenſuum, & operationes intellectus, videlicet, quæ verſantur circa res creatas; & ſimiliter tantùm de cognitione, & ſcientia horum obiectorum loqui, cum in fine capitis primi de myſtica Theologia docet, perfectiſſimum modum vnionis ad Deum eſſe per vacationem omnis ſcientiæ.

44 Ad rationem negamus maiorē, ſcilicet, Deum ſua potentia abſoluta poſſe ſupplere omnem conditionem præuiā ad operandum requiſitam: licet enim hoc verum ſit de cōditione extrinſeca, qualis eſt ſecundum veriorem ſententiam approximatio agentis ad paſſum; ſed non de conditione intrinſecè requiſita, qualis eſt in-

Digitized by Google

in obiecto appetibili, eſſe cognitum per intellectum, ad mouendam voluntatem, & terminandum actum eius; quod manifeſtè oſtendit inſtantia exiſtentiæ realis, quæ etiāſi ſolùm ſit conditio requiſita in cauſa efficienti ad realiter operandum; nihilominus à Deo ſuppleri non poteſt, eo quòd ſit cōditio intrinſecè requiſita in cauſa efficienti ad realiter operandum. Et ex his etiam patet ad confirmationem; aſſumit enim etiam falſum, ſcilicet, non eſſe repugnantiam in hoc quod eſt, Deum conſeruare in noſtra voluntate amorem genitum, non conſeruata cognitione obiecti illius; nam ſicut res ſe habent ad eſſe, ita ad conſeruari.

45 Demum dubitari poteſt, (& eſt celebre dubium) an ſola ipſa voluntas ſit cauſa effectiua ſuæ operationis; an etiam obiectum cognitum ſimul cum illa effectiuè concurrat ad ipſam, non ſecus, ac concurrit cū intellectu ad productionem intellectionis obiectū, quod cognoſcitur, vel per ſe, vel quod verius eſt, per ſpeciem ſuam intentionalem?

46 Prima ſententia docet, ex voluntate, & obiecto eius (non ſecūdum eſſe phyſicum, quod habet in ſe, ſed ſecundum eſſe intētionale, quod habet in cognitione) conflari vnum principium effectiuū totale, & cōpletum operationis voluntatis; non ſecus, ac conflatur ex intellectu, & ſpecie intelligibili impreſſa obiecti reſpectu operationis intellectus. Vnde conſequenter affirmat, obiectum cognitum concurrere ſimul cum voluntate in genere cauſæ efficientis ad actum voluntatis; non ſecus, ac ſpecies intelligibilis impreſſa concurrit efficienter ſimul cum intellectu ad actum intellectionis; ita Gregorius in 2. diſtinct. 25. quæſtio. vnica, concluſ. 2. Gabriel ibidem artic. 3. dubio 3. Paludanus in 4. diſt. 44. quæſt. 3. artic. 1. Caiet. 1. part. quæſt. 27. artic. 3. & quæſt. 80. artic. 2. & 1. 2. quæſt. 82. artic. 2. & alij.

47 Probari ſolet hæc ſententia auctoritatibus, & rationibus. Auctoritatibus, quia Ariſtot. 3. de anima cap. 10. ait, *Appetibile eſſe mouens immotum; appetitum verò eſſe mouens motum*; hic enim mouet cæteras potentias, ſed motus priùs ab appetibili cognito. Et ponderant auctores iſtius ſententiæ, quòd appetitus eſt mouens in genere cauſæ efficientis; vt indè inferant, etiam appetibile ex mente Ariſtotelis eſſe mouens in genere cauſæ efficientis; alias Ariſtoteles in prædictis verbis magnam æquiuocationem induxiſſet. Et D. Auguſtinus in libris de Trinitate, præſertim libro 15. cap. 23. & 26 docet, *Amorem ex notitia gigni, & eſſe prolem illius*; quo etiam pa-

pacto loquuntur Damaſc. 2. fidei cap. 12. Bernard. libro de interiori domo cap. 88. & Ricard. de ſancto Victore libro de contemptu mundi cap. 10.

48 Rationibus probatur; primò, quia obiectum cognitum neceſſariò concurrit ad actum, voluntatis, & voluntas in ſuis operationibus ab eo pendet; & non apparet, quo alio genere, quàm efficientis Secundo à ſimili de Verbo æterno: nam Verbum æternum productum per intellectum Patris eſt principium amoris diuini, ſcilicet, Spiritus ſancti, principium, inquam, actiuum, & ad modum efficientis: ergo idem dicendum eſt de verbo, ſeu cognitione creata reſpectu amoris, ſeu cuiuſcumque alterius actus voluntatis. Tertio, quia ſpecificatio actus voluntatis eſt quid creatum: ergo habet cauſam efficientem; talis cauſa non eſt ſola voluntas, tum quia voluntas non mouet ſe quoad ſpecificationem: tum etiam, quia omnes actus illius eſſent eiuſdem ſpeciei: ergo dicendum eſt, talem cauſam eſſe obiectum voluntatis, vt habet eſſe cognitum. Quartò voluntas eſt in actu primo ad volendum per obiectum cognitum: ergo obiectum cognitum concurrit effectiuè ad actum ſecundum voluntatis.

49 Sed multò probabilior, & communior eſt ſententia, quæ oppoſitum docet, ſcilicet, etſi volũtas moueatur ad operandum ab obiecto propoſito per intellectum, ſeu cognito; ſed nullo modo in genere cauſæ efficientis (quo autem pacto obiectum cognitum moueat voluntatem, ſeu concurrat ad actum voluntatis, dicemus in ſolutione primæ rationis adductæ pro prima ſententia) ita Scotus noſter in 2. diſt. 25. quæſt. 1. quem omnes diſcipuli ſequuntur; Capreolus eadem diſtinction. quæſt. 1. ar. 3. Henricus quodlibeto 9. q. 5. eſtque ferè omnium recentiorum, Suarez tom. 1. Metaph. diſput. 23. ſect. 7. Vazquez 1. 2. diſp. 36. cap. 3. Valentia diſput. 2. quæſt. 4. puncto 1. Lorcæ diſput. 11. Monteſinos diſp. 13. quæſt. 4. qui citant pro ea D. Thomam 1. 2. quæſt. 9. articul. 1. & 1. part. quæſt. 82. articul. 4. vbi ait, intellectum mouere voluntatem, tanquam finem; voluntatem autem mouere intellectum, tanquã agentem.

50 Ratio efficax eſt, quia cauſa efficiens debet actualiter exiſtere, quando cauſa; quod adeo verum eſt, vt oppoſitum implicationem inuoluat; ſed contingere ſolet, quòd voluntas velit obiectum cognitum, quando actualiter non exiſtit, vt cum eſt præteritum, vel futurum; imò quando revera eſt impoſsibile, licet vt poſſibile apprehendatur: ergo ſignum euidens eſt, quòd

Digitized by Google

quòd obiectum cognitum nō mouet voluntatem; neque in actus eius influit in genere cauſæ efficientis; & ad modum, quo obiectum intellectus, mediante ſpecie ſui impreſſa, mouet intellectum, & influit in actus eius. Et confirmatur, quia efficiens aſsimilat ſibi effectum, quem producit; ſed actus voluntatis non aſsimilatur obiecto cognito, ſed ſolùm voluntati; ergo etiam eſt ſignum, quod non ab obiecto, ſed ſolùm à volūtate effectiuè proueniat.

51 Ad auctoritates in contrarium adductas reſpondemus; ad primam, quæ erat Ariſtotelis, dicimus, Ariſtotelem affirmare appetibile eſſe mouens immotum, non quia moueat voluntatem efficienter; ſed quia (vt modò dicam) mouet illam metaphoricè, & tanquam finis. Neque ex eo quòd appetitus moueat efficienter, in verbis Ariſtotelis eſt aliqua æquiuocatio; tum quia ex natura appetibilis, & appetitus prouenit iſte diuerſus modus operandi; tum etiam, quia vt optimè vidit Scotus loco citato §. *Ad primum principale.* Ariſtoteles ibi enumerat ordinata in ratione cauſandi, & non oportet, quòd ordinata ſecundum rationem cauſandi ſint ordinata in eodem genere cauſæ; nam finis, & efficiens ſunt ordinata ſecundum rationem cauſandi; cum finis moueat efficiens ad agendum; & tamen diuerſo modo cauſat finis, ac cauſat efficiens. Ad auctoritates alias Auguſtini, & aliorum Patrum reſpondetur, in ipſis ſolùm affirmare prædictos Patres amorem oriri ex cognitione; quo autem pacto ipſa oriatur, Patres non explicuiſſe.

52 Ad primam rationem fatemur libenter, obiectum cognitum concurrere ad actum voluntatis, & voluntatem in elicitione ſui actus ab illo pendere; ſed negamus, non apparere, in quo alio genere cauſæ, quàm efficientis; nam reſpondemus, duplex munus nos poſſe excogitare in obiecto cognito reſpectu voluntatis, ſcilicet, mouentis ipſam ad eliciendam ſuam operationem, & terminantis prædictam operationem: in primo munere dicimus obiectū cognitum exercere cauſalitatem finalem, vel propriam, & formaliter ſumptam, ſi ſit appetitus, quem mouet, rationalis; vel impropriam, & materialiter ſumptam, ſi ſit appetitus, quem mouet, ſenſitiuus, iuxta dicta 2. libro Phyſicorum, diſputat. 5. quæſtione 6. In ſecundo verò munere aliqui affirmant, exercere cauſalitatem formalem; nam dat ſpeciem actui, & quidquid dat ſpeciem, habet rationem formæ; addunt tamen, obiectum reſpectu actus, quem terminat,

non eſſe formam intrinſecam, ſed extrinſecam. Sed magis conforme eſt principijs Scoti, & Ariſtotelis id; quod affirmat Suarez 1. tomo Metaph. diſp. 12. ſect. 3. num. 16. videlicet, obiectum, in quantum terminat actum voluntatis, vel cuiuſcumque alterius potentiæ, non exercere aliquod verum genus cauſalitatis, ſed munus puri termini ſpecificantis actum, non per aliquem influxū, qui ipſum in eſſe veræ cauſæ conſtituat; ſed per ſolam habitudinem alterius ad ipſum; neque Ariſtotelem vnquam mētionem feciſſe cauſæ formalis extrinſecæ, neque terminum motus appellaſſe cauſam motus, quamuis dixerit, ab illo ſumere ſpecificationem.

53 Ad ſecundam, admiſſo antecedenti, negamus conſequentiam; nam eſt fallacia accidentis; verbum enim æternum, etſi ſit principium productivum ad modum efficientis, amoris notionalis, ſcilicet, Spiritus Sancti, hoc non eſt, quia ſit cognitio proponens intellectui paterno obiectum diuini amoris, ſcilicet, diuinam eſſentiam, quia hæc cognitio eſt eſſentialis, & improducta; ſed quia priùs origine, quàm producatur Spiritus Sāctus, producitur à Patre cum eadem natura, & voluntate; & conſequenter cum eadem virtute ſpirandi, quam habet Pater, & ſic ambo, Pater, ſcilicet, & Verbum ſimul, & tanquam vnum principium producendi producunt Spiritum Sanctum.

54 Ad tertiam fatemur, ſpecificationem actus voluntatis eſſe quid creatum, & conſequenter habere cauſam efficientem; ſed negamus, talem cauſam non eſſe ſolam voluntatem; voluntas enim, ſicut ſe ſola eſt cauſa efficiens totius intrinſecæ entitatis actus eius; ita ſe ſola eſt cauſa efficiens ſpecificationis intrinſecæ illius; nam ſpecificatio intrinſeca actus voluntatis, ſicut & cuiuſcumque alterius rei ab entitate intrinſeca eius deſumitur. Vndè non rectè, ex eo quòd voluntas ſit cauſa efficiens ſpecificationis ſuorum actuum, inferre intentant aduerſarij, actus voluntatis ſpecificari, ſeu determinari, quoad ſpeciem ab ipſa voluntate; quia ſpecificationem, ſeu determinationem quoad ſpeciem non ſumunt effectus à cauſa efficiente, ſed ab entitate ſua intrinſeca; homo enim creatus à Deo, etſi ſolùm dependeat ab ipſo in genere cauſæ efficientis, tam in ſua entitate, quàm in ſua ſpecificatione; tamen in determinatione formali huius ſpeciei potiùs, quàm alterius, non à Deo, ſed à ſua intrinſeca entitate dependet: ita ergo in propoſito aſſerimus, quòd etiamſi ſola voluntas ſit cauſa efficiens ſpecificationis ſuorum actuum, ſicuti

cuti

Digitized by Google

cuti & intrinſecæ entitatis ipſorum; non tamen actus eius in genere cauſæ formalis determinari ad hanc ſpeciem potiùs, quàm ad aliam ab ipſa voluntate, ſed intrinſecè ab ipſa intrinſeca entitate actuum; extrinſecè vero, & quoad nos ab obiectis formalibus præcognitis, ad quæ prædicti actus voluntatis terminantur.

55 Ad quartam diſtinguendũ eſt antecedens; nam duobus modis intelligi poteſt, quòd voluntas ſit in actu primo ad volendum per obiectum cognitum; primò nomine actus primi ſolùm intelligendo id, quod requiſitum eſt ex parte principij efficientis: ſecundò intelligendo omne id, quod prærequiritur proximè ad actualiter operãdum, ſiue requiratur, vt principium effectivũ, ſiue vt principium finale. Si actus primus primo modo ſumatur, falſum eſt, voluntatem conſtitui in actu primo ad volendum per obiectum cognitum; nam ſicut voluntas ſe ſola eſt cauſa efficiens ſuorum actuum; ita ſe ſola eſt in actu primo ad volẽdum. Si verò actus primus ſumatur ſecundo modo, verum eſt, prærequiri obiectum præcognitum ad hoc, vt voluntas dicatur eſſe in actu primo ad volendum; nam proprium eſt cuiuſcumque potentiæ appetitiuæ, quòd non ſolùm ipſa, ſed etiam obiectum eius apprehenſum concurrant ad actum; potentia in genere cauſæ efficientis; obiectum verò apprehẽſum in genere cauſæ finalis; ſed ex hoc non ſequitur, quòd intendit argumẽtum; ſed potiùs oppoſitum, ſcilicet, ſolam voluntatem concurrere efficienter ad volitionem; obiectum vero cognitum, etſi ad volitionem cõcurrat; ſed non in genere cauſæ efficientis, ſed in genere, vel quaſi in genere cauſæ finalis.

56 Quod ſi aliquis obijciat, ex Ariſtotele 2. Phyſicorũ cauſa conſulens reducitur ad genus cauſarum efficientium; ſed intellectus, proponens obiectũ voluntati, ſe habet tanquam conſulens; ergo & tanquã cauſa efficiens; reſpondetur, Ariſtotelem loco citato cauſam conſulentem reduxiſſe ad cauſam efficientem, non phyſicã, ſed moralẽ; ac per conſequens, ex eo quòd intellectus proponens obiectum volũtati, ſe habeat tãquam cauſa conſulens, quod inferri licet, ſolùm eſt, eſſe cauſam efficientem moralem actus voluntatis, non verò eſſe cauſam efficientem phyſicam, quod eſt intentum à Caietano, & alijs auctoribus pro prima ſententia citatis, & quod nos cum auctoribus ſecundæ ſententiæ impugnamus.

SECTIO III.

Explicatur, an, & quomodo voluntas potentia libera ſit?

57 NOmine potentiæ, liberæ non intelligimus potentiam, quæ poteſt elicere actus contrarios; aliàs intellectus eſſet potentia libera, quia poteſt quandoque aſſenſum, quandoque diſſenſum elicere; nec ſimiliter potentiam, quæ eſt agere, & nõ agere, aliàs ignis eſſet potentia libera; poteſt enim calefacere, cum applicatur debitè, & non calefacere, cum debitè non applicatur: ſed intelligimus potentiam productiuam vitalem, ita dominam ſuarum actionum, vt poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſsit ad ſuum libitum agere, vel non agere.

58 Et præſuppono, potentiam liberam, in hac propria acceptione ſumptam poſſe dupliciter liberam denominari; primò ſumpto libero, provt opponitur neceſſariò, in quo ſenſu agens liberè idem eſt, ac agens contingenter; nam ſolùm contingens eſt, quod opponitur neceſſariò. Vndè ſicut agens neceſſarium ſubdiuiditur in neceſſarium quoad ſpecificationem, quale eſt illud, quod eſt determinatum ad actus eiuſdem ſpeciei, & in neceſſarium quoad exercitium, quale eſt illud, quod ita eſt determinatum ad exercitium alicuius actus, vt non ſit in ſua poteſtate illum ſuſpendere; ita agẽs liberum, quod opponitur neceſſariò, ſubdiuiditur in liberum quoad ſpecificationem, quale eſt illud, quod eſt indifferens ad eliciendos diuerſos, & cõtrarios actus, vt ſunt amoris, & odij, ideòque dicitur liberum libertate contrarietatis; & in liberum quoad exercitium, quale eſt illud, quod eſt indifferens, ſicut ad eliciendum actum, ita ad illum omittendum, vt eſt amare, & non amare; ideòque appellari ſolet liberum libertate contradictionis.

59 Secundò poteſt potentia libera denominari, ſumpto libero, provt opponitur naturali, in quo ſenſu ſumpſit Ariſtoteles potentiam liberam, cum 2. Phyſicorum textu 48. agens in communi diuiſit, tanquam per differentias per ſe, & immediatè oppoſitas in agens naturale, & in agens à propoſito, ſeu quod idem eſt, in agens liberum; & 9. Metaph. cap. 5. in agens rationale, & irrationale, intelligens per agens rationale (vt conſtat ex contextu) agens liberum, & per irrationale agens naturale; & in hoc ſenſu potẽtia libera ſolũ dicitur illa, quæ ex intrinſeca, & quidditatiua ratione ſua habet, quòd ſit indifferens ad operandum, & non operandũ; ſicut è contrario po-

potentia naturalis ipſi oppoſita illa dicitur, quæ ex intrinſeca, & quidditatiua ratione ſua habet, quòd ſit determinata ad operandum.

60 Eſt tamen maximè aduertendum ex Scoto in 1. diſt. 2. quæſt. 7. & diſt. 10. quæſtione vnica, & quodlibeto 16. quem omnes diſcipuli ſequuntur; Rada 1. part. controu. 13. Herrera, diſputat. 11. quæſt. 5. Philippus Faber diſputat. 37. & plures alij, liberum in poſteriori acceptione ſumptum, ſcilicet, pro libero eſſentiali, & quod conuenit potentiæ, quæ dicitur libera ex intrinſeca, & quidditatiua ratione eius, etſi opponatur naturaliter agenti; nullo tamē modo opponi agēti neceſſariò, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium; nam optimè ſtat, quòd aliqua potentia actiua ſit, quātum eſt ex natura ſua intrinſeca, & eſſentiali, indeterminata ad vnum, & conſequenter libera eſſentialiter, & quòd ratione alicuius adiuncti ſit, tam quoad ſpeciem, quàm quoad exercitium ad vnum determinata, & neceſsitata. Ex quibus patet, decipi plures Thomiſtas, quando, ex eo quòd Spiritus Sanctus procedit neceſſariò, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium, inferunt Spiritum Sanctū non procedere liberè, ſed naturaliter; nam neceſſarium quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, neque eſt idem cum naturali, neque opponitur libero eſſentiali; ſed ſolum opponitur contingenti, & conſequenter libero libertate contrarietatis, & cōtradictionis, quæ inferiora ſunt ad contingens, & ſub illo continentur. Vndè optimè animaduertit Scotus quodlib. 16. citato, ex quatuor modis operandi, quales ſunt, *liberè, naturaliter, contingenter, & neceſſariò*, liberè, & naturaliter eſſe oppoſitos, & ſimiliter contingenter, & neceſſariò, non verò liberè, & neceſſariò; neque contingēter, & naturaliter, cum poſsint ſimul reperiri, vt patet in amore, quo Deus amat ſuam eſſentiam, qui ſummè neceſſarius, & liber libertate eſſentiali eſt: & in monſtris, quæ naturaliter, & cōtingenter producuntur: & idem exemplificari poteſt in actibus intellectus imperatis, qui naturales, & contingēter liberi ſunt; naturales, in quātum eliciuntur ab intellectu, qui eſt potentia ex intrinſeca, & quidditatiua ratione ſua determinata ad vnum, & conſequenter naturalis; & contingenter liberi, in quantum eliciuntur ex imperio libero voluntatis.

61 His prælibatis, dico primò; ſi ſermo ſit de libero eſſentiali, & quod opponitur agenti naturali, ſola voluntas eſt potentia libera: ratio à priori eſt, quia ſoli voluntati competit ex intrinſeca, & eſſentiali ratione ſua, quòd ſit potentia acti-

actiua vitalis, indifferẽs ad operandum, & non operandũ; nam cæteris potentijs vitalibus, vt ſunt in parte ſuperiori intellectus, vel memoria, & in parte inferiori, tam ſenſitiuæ, quàm appetitiuæ, nutritiuæ, generatiuæ, &c. potiùs ex intrinſeca ratione ſua, & eſſentiali competit oppoſitum, ſcilicet, non eſſe indifferentes ad agendum, & non agendum, ſed eſſe determinatas ad vnum; ita Scotus, & Scotiſtæ locis ſupra citatis; imò eſt expreſſa ſententia Auguſtini, qui in Enchyridio cap. 105. docet, hanc libertatem eſſentialem ita intrinſecam eſſe voluntati, vt implicet, voluntatem eſſe abſque illa, ex quibus colligit, voluntatem, qua beati neceſſariò diligunt Deum, aut non eſſe voluntatem, aut includere libertatem iſtam ſimul cum dicta neceſsitate; verba Auguſtini ſunt, *Oportebat vriùs hominem ſic fieri, vt benè velle poſſet, & malè; poſtea verò* (intellige in beatitudine), *ſic erit, vt malè velle non poſsit: neque ideò libero carebit arbitrio, multò quippè liberius erit arbitrium, quod omninò ſeruire non poterit peccato: neque enim culpanda eſt voluntas; aut voluntas non eſt, ſi libera dicenda non eſt, qua beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri, non ſolùm nolimus, ſed nequaquam prorſus velle poſsimus*; idem docet Anſelmus libro de libero arbitrio cap. 7.

62 Dico ſecundò; ſi ſermo ſit de libero, quod opponitur neceſſariò, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium, etſi voluntas formaliter libera ſit, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium; ſed dependenter à iudicio intellectus, quo ſibi perfectè proponatur obiectum: in hoc aſſerto omnes conuenire debent, licet in explicãdo, quo pacto hæc libertas voluntatis depẽdeat à iudicio intellectus, quo voluntati proponitur obiectũ, varij, & diuerſi ſint modi philoſophandi, vt ex dicendis conſtabit.

63 Et in primis in hominibus dari liberum arbitrium, id eſt, potentiam, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium liberè operantem, inter Catholicos dubitari nõ poteſt; nam eſt definitum in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. & can. 14. & expreſſum in Scriptura, Ioſue 24. *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placuerit*; Eccleſiaſtici 15. *Reliquit eum in manu conſilij ſui*; & 1. ad Corinth. 2. *Poteſtatem habens ſuæ voluntatis, &c.* Imò huius noſtræ libertatis tot ſunt teſtes, quot ſunt actus virtuoſi, vel peccaminoſi; nam ſine hac libertate, quę opponitur neceſſariò, neque actus virtuoſi, vel peccaminoſi poſſunt exiſtere.

64 Deindè ſolùm voluntati formaliter competere hanc libertatem, probatur, quia libertas quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, quæ eſt,

quæ

Digitized by Google

quæ opponitur neceſſariò, ſolum poteſt formaliter competere potentiæ, quæ ex intrinſeca, & eſſentiali ratione ſua non eſt determinata ad vnum, ſed potiùs indifferens ad plura, ſeu ad agendum, & non agendum; ſed inter potentias vitales actiuas ſola voluntas (vt ex dictis in primo aſſerto conſtat) habet, quòd ſit ex intrinſeca, & eſſentiali ratione ſua indifferens ad plura, ſeu ad agendum, & non agendum; nam reliquæ potiùs ex intrinſeca, & eſſentiali ratione ſua ſunt determinatæ ad vnũ; ergo libertas, quoad ſpecificationem, & exercitium, quæ eſt, quæ opponitur neceſſariò, ſolùm voluntati poterit formaliter conuenire; alijs verò potentijs, ſeu actibus earum ſolùm denominatione extrinſeca, ab imperio libero voluntatis proueniente.

65 Demum libertatem iſtam, quoad ſpecificationẽ, & quoad exercitium, quę formaliter cõuenit voluntati, conuenire ei non abſolutè, ſed dependenter à iudicio intellectus, quo ſibi perfectè proponatur obiectũ; probari poteſt à poſteriori, & à priori: à poſteriori, quia in actibus voluntatis, qui appellantur primò primi, voluntas, nec libertatem, quoad ſpecificationem, neque quoad exercitium exercet, non alia ratione, niſi quia iudicium, quod præcedit, non eſt perfectum, cum non procedat ex perfecta deliberatione; & idem exemplificari poteſt in actibus volũtatis amentium, puerorum, & dormientium.

66 A priori, quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis; ſed omnis operatio volũtatis (vt ex dictis ſect. 2. conſtat) depẽdet à cognitione ſui obiecti, vt à conditione ſimpliciter requiſita, & ab obiecto cognito, vt à cauſa finali motiua, & ſpecificatiua talis operationis: ergo perfectior operatio voluntatis, vt eſt operatio libera, pẽdebit à perfectiori cognitione intellectus, qualis eſt iudicium, quod perfectam cõſultationem, ſeu deliberationem conſequitur, vt conditione ſimpliciter requiſita, & ab obiecto eius, vt à cauſa finali, motiua, & ſpecificatiua operationis liberæ.

67 Sed dubitant auctores primò, an ad libertatem quoad ſpecificationem, ſeu contrarietatis, neceſſarium ſimpliciter ſit, vt obiectum, quod proponitur voluntati per iudicium perfectum, proponatur illi ſub ratione boni, & mali accidentalis, id eſt, ſub ratione conuenientis, & diſconuenientis, an ſufficiat, quòd proponatur, vt eſt in ſe, abſtrahendo à conueniẽtia, & diſcõuenientia? Huic dubitationi (quæ in ſe expectata ſatis lubrica eſt) ex dictis, & diſcuſsis ſect. 1. huius quæſtionis faciliè ſub diſtinctione ibi data reſpõdemus, nimirum, in

Digitized by Google

actibus concupiſcentiæ ad libertatem quoad ſpecificationem, ſeu contrarietatis ſimpliciter neceſſarium eſſe, vt obiectum proponatur voluntati ſub differentia boni, & mali accidentalis, ſeu quod idem eſt, ſub differentia conuenientis, & diſconuenientis: at verò in actibus amicitiæ non eſſe neceſſarium ad libertatem quoad ſpecificationem, ſeu contrarietatis, vt obiectum proponatur per iudicium perfectum ſub prædicta differentia; ſed ſat eſſe, quòd proponatur per iudicium perfectum, vt eſt in ſe, & abſtrahẽdo à ratione conuenientis, aut diſconuenientis.

68 Prioris partis huius aſſerti ratio eſt, quia vt loco citato n. 14. cum cõmuni ſententia ſtatuimus, voluntas per actus concupiſcentiæ non poteſt proſequi, ſeu amare obiectũ, in quo non relucet ratio conuenientis, ſeu boni accidentalis, nec fugere, ſeu odio habere obiectum, in quo non relucet ratio diſconuenientis, ſeu mali accidentalis; ergo ad hoc, vt voluntas in actibus concupiſcentiæ ſit libera libertate quoad ſpecificationẽ, ſeu contrarietatis, neceſſarium ſimpliciter erit, quòd obiectũ illi proponatur ſub vtraque ratione conueniẽtis, & diſconuenientis; nam ſi ſolùm illi proponitur ſub ratione conuenientis, non poterit illud fugere, ſeu odio habere; etſi ſolũ illi proponatur ſub ratione diſconuenientis, non poterit illud proſequi, ſeu amare.

69 Partis verò poſterioris ratio eſt, quia vt eodem loco cũ Scoto ſtatuimus, ad hoc, vt voluntas actibus amicitiæ proſequatur, vel fugiat aliquod obiectum, ſeu perſonam, non requiritur, quòd obiectũ, ſeu perſona ipſi proponantur ſub aliqua ratione conuenientiæ, vel diſcõuenientiæ, aliàs actus non eſſent amicitiæ, ſed concupiſcentiæ; ſed quòd proponantur obiectum, ſeu perſona, vt in ſe ſunt, & abſtrahendo à conuenientia, vel diſcõuenientia: ergo iuxta iſtã doctrinã ad hoc, vt voluntas ſit libera in actibus amicitiæ libertate quoad ſpecificationẽ, ſeu contrarietatis, nullo modo erit requiſitum, quòd obiectũ, ſeu perſona, quã diligimus, ſeu odio habemus, proponatur per iudicium voluntati, vt conueniens, & diſcõueniens; ſed potiùs, vt ſunt in ſe, & abſtrahendo à ratione conuenientis, & diſconuenientis.

70 Sed quæres, an ſaltem neceſſarium erit ad libertatem quoad ſpecificationẽ, ſeu contrarietatis in actibus amicitiæ, quòd proponatur volũtati obiectum ſub differentia boni, & mali eſſentialis, & primarij? Reſpõdeo, in ſententia probabili, quæ ſuſtinet (vt vidimus ſect. 1. huius quæſt. num. 23.) voluntatem per actus amicitiæ non poſſe proſequi, ſeu amare obiectum, in quo non apparet ali-

aliqua ratio boni eſſentialis, & primarij; neque fugere, ſeu odio habere obiectum, in quo non apparet aliqua ratio mali, bono eſſentiali, & primario oppoſiti, conſequenter eſſe ſuſtinendum, ad libertatem quoad ſpecificationem, ſeu contrarietatis in actibus amicitiæ ſimpliciter requiri, quod voluntati proponatur obiectum ſub differentia boni, & mali eſſentialis, & primarij: ſecus verò in ſententia non minùs probabili, quæ ſuſtinet (vt etiã loco citato vidimus) voluntatem per actus amicitiæ poſſe proſequi, ſeu amare obiectum, in quo nulla apparet ratio boni eſſentialis, & primarij; & fugere, ſeu odio habere obiectũ, ſeu perſonam, in qua nulla apparet ratio mali, bono eſſentiali, & primario oppoſiti.

71 Secundum, quod dubitant auctores, eſt, an ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponitur volũtati obiectum ſub differentia boni, & mali, poſsit Deus ſua potentia abſoluta neceſsitare voluntatẽ quoad ſpecificationem, ſeu contrarietatem, ita vt neceſſario amet, vel odio habeat obiectum?

72 Partem affirmatiuam tenent Suarez tomo 1. de gratia prolog. 1. cap. 4. & 5. Sotus de natura, & gratia cap. 16. Medina 1. 2. quæſt. 6. art. 4. ad 1. Valentia diſp. 2. quæſt. 1. puncto 3. ad 2. & quæſt. 5. puncto 4. Bellarm. libro 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 11. §. *Tertiò eſt obſeruandum.* Zumel. in opuſc. tomo 3. diſcurſu 2. aſſertione 4. Cabrera 3. part. quæſt. 18. artic. 4. diſputat. 1. & alij.

73 Probat Suarez hanc ſententiam primò, quia ſi ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponitur noſtræ voluntati obiectum ſub differentia boni, & mali, non poſſet Deus ſuis præmotionibus neceſsitare voluntates noſtras, quoad ſpecificationem, facillimum eſſet Patribus, & Concilijs deſtruere dogma hæreticorũ Manichæi, Albailardi, Lutheri, Calvini, &c ſuſtinentium, Deum de facto ſuis præmotionibus neceſſitare quoad ſpecificationem noſtras voluntates, adhuc ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponitur voluntati obiectum ſub differentia boni, & mali, nimirum, deducendo ipſos ad iſtud impoſsibile; ſed neque Patres, neque Concilia vſa ſunt hoc argumento contra Hæreticos; ergo ratio fuit, quia ſupponebant, vt certum, poſſe Deum ſuis præmotionibus neceſsitare quoad ſpecificationẽ noſtras voluntates, adhuc ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponitur voluntati obiectum ſub differentia boni, & mali.

74 Secundò probat ex omnipotentia Dei, quæ tanta eſt reſpectu noſtrarum voluntatum, vt teſte D. Auguſtinus in

En-

Enchiridio cap. 98. omnipotens eſt Deus mutare voluntatem hominis, quādo voluerit, & vbi voluerit: ergo non ſolùm ſervando eius libertatem; ſed etiam neceſsitando illam, quoad ſpecificationem, adhuc ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponatur voluntati obiectum ſub differentia boni, & mali. Conſequentiam probat, quia nō eſt maior repugnantia in poſteriori modo, quàm in priori: imò difficiliùs videtur mutare hominis voluntatem efficaciter, ſalva eius libertate, quàm eam neceſsitādo; quia in priori modo oportet in eadem actione coniungere poteſtatem non agendi cum infallibilitate actionis; quod videtur difficile; in modo autem poſteriori ceſſat iſta difficultas, quia ſi præmotio inducit neceſsitatem, conſequenter habebit infallibilem effectum.

75 Tertiò, & vltimò probat, quia diuinæ omnipotentiæ ſolùm eſt denegādum, quod implicationē involvit; ſed quod ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo voluntati proponitur obiectum ſub differentia boni, & mali, Deus ſuis præmotionibus neceſsitet noſtras voluntates, nullam implicationem involvit: ergo hoc non eſt diuinæ omnipotentiæ denegandum: quibus accedit (inquit Suarez) præmotionem illam phyſicam (qua in ſententia Thomiſtarum, ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponitur voluntati obiectum ſub differentia boni, & mali, prædeterminatur voluntas ad vnam partem) illam neceſsitare quoad ſpecificationē; nam illa poſita non poteſt voluntas velle oppoſitum; & quod ponatur, non eſt in noſtra poteſtate.

76 His tamen non obſtantibus, tenendum eſt cum Scoto noſtro in 4. diſt. 49. quæſt. 6. & in 1. diſt. 1. quæſt. 4. art. 3. & in 3. diſt. 18. loquendo de merito Chriſti, & de libertate eius ad peccādum agere liberè ita eſſe differentiam intrinſecam, & eſſentialem voluntatis, vt poſitis omnibus requiſitis ex parte intellectus ad agendum liberè, vt ſunt reſpectu libertatis quoad exercitium, quòd obiectū proponatur voluntati perfecto, & deliberato iudicio, & reſpectu libertatis quoad ſpecificationē (ſaltem in actibus concupiſcētiæ) quòd non ſolùm proponatur obiectum voluntati perfecto, & deliberato iudicio; ſed etiam ſub differentia boni, & mali, ſeu quod idem eſt, ſub differentia conuenientis, & diſconuenientis, etſi poſsit Deus ſuis prædefinitionibus ita efficaciter voluntatem attrahere, vt licet liberè, infallibiliter tamen, & ſine defectu operetur; non tamen poſſe ſua potentia abſoluta illam neceſsitare, neque quoad exercitium, neque quoad

Digitized by Google

quoad ſpecificationem: Scotum ſequuntur omnes diſcipuli, Lichetus 1. diſt. 1. quæſt. 4. & ibidem Bargius, Tartaretus eadem diſt. & in 4. diſt. 49. quæſt. 6. & ibidem Antonius Hiquæus, & Ouādus propoſitione 14. Mayronius in 1. diſt. 1. quæſt. 7. Horbellus, Niſe, Petrus de Aquila, & alij in præfata loca Scoti.

77 Nec ſolius Scoti, & diſcipulorum eius eſt hæc ſentētia; ſed ipſam etiam tuentur recentiores Thomiſtæ, Ioannes à Sācto Thoma hic quæſt 12. art. 2. Bañez 1. part. quæſt. 19. art. 10. dubio 1. Aluarez in libr. de auxilijs, diſput. 26. concluſione 5. Vazquez 1. part. quæſt. 99. cap. 8. & ex antiquis Theologis illam amplectuntur Nominales Gabriel in 2. diſt. 25. artic. 3. propoſitione 5. Ochamus quæſt. 19. ad 2. in quantum ſolùm admittunt, poſſe Deum neceſſitare volūtatem, formaliter producendo, ſcilicet; ſe ſolo in illa volitionem, & illam conſeruādo; ſecus verò efficienter neceſſitādo, ſcilicet, illam ad elicitionē ſuorum actuū. Ricardus à Mediavilla in 2. diſt. 25. quam appellat communem inter Doctores, & ſubdit, poſſe quidē Deū annihilare liberum arbitrium; tamen manente libero arbitrio, non poſſe cogi à Deo, vt aliquod neceſſario velit, mouendo ſe ipſum; & D. Bonau. ibidem in 2. part. diſtinctionis art. 1. quæſt. 5. aſſerens, liberum arbitrium induci poſſe à creatura, immutari à creatore; cogi tamen, ſeu neceſſitari non poſſe, neque à creatura, neque à creatore; quia implicationem inuoluit; idem innuit Alenſis 2. part. quæſt. 72. arti. 5. membro 4. & 5.

78. Vt autem ſententiam iſtā efficaciter demōſtremus, ſupponendum eſt, ad hoc, vt voluntas noſtra dicatur neceſſitari à Deo, quoad ſpecificationem, ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo ſibi proponitur obiectum ſub differentia boni, & mali, non ſufficere, quòd à Deo ita promoueatur, vt de facto vnum operetur, & non aliud; hoc enim ſemper quòd voluntas de facto operatur, interuenire debet; non enim voluntas libera eſt ad vtrumque oppoſitum ſimul operari, ſed ad alterum tātùm: neque etiam ſufficere, quòd Deus ſua excitatione, ſeu præmotione ita efficaciter attrahat voluntatem, vt illam partem contrarietatis, ad quam excitat infallibiliter, & cum effectu volūtas operetur; aliàs homo à Deo præmotus, & excitatus auxilio efficaci ad aliquod bonum opus neceſſariò, & non liberè illud exequeretur; quod damnatum eſt contra Caluinum in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap 5. & can 4. & in Concilio Senonenſe decreto 15, ſed ſimpliciter requiſi-

Digitized by Google

ſitum eſſe, quòd à Deo præmoneatur ita determinatè ad vnã partem, vt non maneat in voluntate; neque libertas, neque poteſtas ad oppoſitam exequẽdam, etiamſi ab indifferente iudicio moueatur.

79 Hoc prælibato (ad æquiuocationem, quæ eſſe ſolet, auferendam) probatur noſtra ſententia hoc diſcurſu; Deus adhuc ſua potentia abſoluta non præſtare poteſt id, quod implicationem involuit, ſed quòd Deus auferat à voluntate libertatem, & indifferentiã, quam habet ad proſequendũ, vel fugiendum obiectum ſibi propoſitum per perfectum, & deliberatum iudicium ſub ratione boni, & mali implicationẽ involuit: ergo Deus, adhuc ſua potentia abſoluta non poterit in caſu aſſignato neceſsitare quoad ſpecificationẽ voluntatem.

80 Minor, in qua eſſe poterat difficultas, conſtat ex dictis nu. 16. ex mente D. Auguſtini, videlicet, ita eſſe de intrinſeca, & eſſentiali ratione voluntatis libertatem, & poteſtatem ad agendum, & non agendum, ſtante perfecto iudicio proponente ſibi obiectum ſub differentia boni, & mali, vt nõ poſſit auferri ab ipſa, niſi cum deſtructione ipſius voluntatis: & idem expreſsè docuit D. Bernardus (quem ſequuti ſunt omnes antiqui Theologi pro noſtra ſententia citati) *libro de gratia, & libero arbitrio*, vbi oſtendens ea, quæ carent libertate, carere etiam merito ſubdit, *Ipſam verò* (ſupple voluntatem) *quia impoſſibile de ſe ipſa ſibi non obedire, etiam impoſſibile eſt ſua priuari libertate. Poteſt quidem mutari voluntas, ſed non, niſi in aliam volũtatem, vt numquam amittat libertatem: iam ergo non poteſt priuari illa, quia nec ſe ipſa;* quid clarius?

81 Confirmatur, & roboratur ampliùs ratio facta; Deus, adhuc ſua potentia abſoluta, non poteſt præmouere, ſeu eleuare potentiam naturalem ad hoc, vt liberè, & cum indifferentia agat, & non alia ratione, niſi quia de intrinſeca, & eſſentiali ratione potentiæ naturalis eſt agere (poſitis omnibus requiſitis ad agendum) neceſſario, & cum determinatione ad vnũ; ſed etiam de intrinſeca, & eſſentiali ratione voluntatis eſt agere (poſitis omnibus requiſitis ad agendum, qualia ſunt ex parte intellectus, vt ſupra dictũ eſt num. 65. & 66. propoſitio obiecti per iudicium perfectum, & deliberatum cum indifferentia boni, & mali) liberè, & cum indifferentia ad agẽdum; ergo propter eandem rationem non poterit Deus ſua potentia abſoluta (poſitis omnibus requiſitis ad agendum liberè) illam determinare ad agendum neceſſariò, & abſque vlla indifferentia.

82 His accedit, non apparere, quo pacto, ſtante perfecto,

&

Digitized by Google

& deliberato iudicio, quo voluntati proponitur obiectum ſub indifferentia boni, & mali, ſeu conuenientis, & diſconuenientis, poſsit Deus, voluntatem in actu primo, & priùs natura, quàm operari incipiat, ita illam determinare ad vnam partem, vt nullo modo poſsit oppoſitum operari. Aſſumptũ probo, quia duobus tantũ modis fingi poteſt, Deum poſſe hoc præſtare, vel immediatè per ſuum efficax decretum, vel mediante aliqua cauſa ſecunda, ſed neutro modo; ergo nullo: minorem quoad vtramque partem probo.

83 Et in primis, quòd Deus non poſsit hoc præſtare immediatè per ſuum efficax decretum, patet, quia Deus de facto per ſuum efficax decretũ prædefinit noſtras bonas operationes, exempli gratia, quod Petrus à ſua iniquitate conuertatur (vt cum communi, & veriori ſententia tenent Scotus in 1. diſtinct. 39. §. *Viſo de contingentia, &c.* Diuus Thomas 1. part. quæſtione 19. artic. 8. & quæſt. 23. artic. 7. & quæſt. 6. de veritate, artic. 3. eſtque ſententia Diui Auguſtini libro de gratia, & libero arbitrio cap. 16. & de correctione, & gratia cap. 14. & in Enchyridio cap. 95. & 102.) & nihilominus, etiamſi ex hac efficaci prædefinitione optimè inferatur, quòd Petrus infallibiliter, & cum effectu ſit conuertendus; non tamen inferri poteſt, quòd ſit conuertendus non liberè, ſed neceſſario; aliàs talis conuerſio non eſſet diſpoſitio requiſita ad remiſsionem peccati; ergo ſignum manifeſtum eſt, non poſſe Deum immediatè per ſuum efficax decretum neceſsitare noſtras voluntates, ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo ipſis proponitur obiectum ſub indifferentia boni, & mali.

84 Reſpõdent aduerſarij, per hæc decreta efficacia, quibus Deus de facto prædefinit noſtras bonas operationes, nõ neceſsitare noſtras voluntates; ſed potiùs ſtabilire earum in operando libertatem, quia per ipſa non ſolũ efficaciter prædefinit, quòd Petrus (exempli gratia) conuertatur ab iniquitate ſua; ſed etiam quòd hoc præſtet liberè, & cum indifferentia ſuæ voluntatis: decretum vero efficax, quo ipſi dicunt, Deum ſua potentia abſoluta poſſe neceſſitare noſtras voluntates, adhuc ſtantibus omnibus requiſitis ex parte intellectus ad liberè operandum, eſſe diuerſæ rationis, nimirum, decretũ efficax, quo ita velit, quòd Petrus conuertatur per actum elicitum à ſua voluntate, vt ſimul etiã decernat, quòd voluntas illum eliciat neceſſario, & abſque libertate, & indifferentia, quam habet, poſitis omnibus requiſitis ad ſimiles actus eliciendos.

85 Sed præter quã, quòd hæc rei-

reſponſio principium petit (aſſumit enim, vt certum, quod poſitum eſt in controuerſia, & nos negamus, nimirum, non implicare, ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponitur volũtati obiectum ſub indifferentia boni, & mali, quòd Deus auferat à voluntate indifferentiam, ſeu libertatem ad agendum, quæ, vt oſtenſum eſt ex Auguſtino, Bernardo, & alijs, eſt illi intrinſeca, & eſſentialis, & conſequẽter quòd poſſit Deus habere decretum efficax, quo hoc decernat) ego nõ capio, quo pacto fieri poſsit hæc mutatio voluntatis in modo agendi immediatè à Deo perſuum, ſcilicet, decretum, nihil in voluntate producendo; nam hæc mutatio voluntatis humanæ in modo agendi eſt aliquis effectus ad extra; ergo non poteſt intelligi, quòd per diuinam voluntatem fiat, quin aliquid operetur ad extra in ipſamet voluntate.

86 Dices; potentiæ loco motiuæ in nobis ita ſunt ſubditæ voluntati, vt ad imperium eius (abſque receptione alicuius qualitatis) deſpoticè, & abſque vlla reſiſtentia operentur neceſſariò, vel non operentur, iuxta exigentiam imperij; ergo negandum nõ erit, noſtram liberam voluntatem, quæ multo magis ſubdita eſt Deo, quàm potentiæ loco motiuæ ſubditæ ſunt voluntati, ita ſubdi imperio diuinæ voluntatis, vt ad imperium eius (abſque receptione alicuius qualitatis) deſpoticè, & abſque vlla reſiſtẽtia neceſſariò operetur, vel non operetur, iuxta exigentiam diuini imperij.

87 Reſpondetur negando paritatem; licet enim efficacitas voluntatis diuinæ longè maior ſit, quàm humanæ, & ſubordinatio, ac ſubiectio noſtrę volũtatis ad diuinam maior ſit, quã ſubiectio potentiæ motiuæ ad noſtram voluntatem creatam, nihilominus modus ſubiectionis, & naturalis proprietas potentiarum, quæ ſubijciuntur, ſunt longè diuerſæ, & inde prouenit, vt modus etiam mouendi, ſeu determinandi potentias ſubiectas ſit etiam diuerſus.

88 Quod probari, & declarari poteſt primò, quia potentiæ motiuæ non habent internam vim ſuſpendendi actum ſuum, poſitis requiſitis ad agendum; ſed habent quandam impotentiam naturalem inchoandi, ſeu exercendi ſuum actum, niſi per appetitum, ſeu voluntatem applicentur; & ideò cum applicãtur, non priuantur aliqua vi, ſeu facultate interna, ſed potiùs veluti complẽtur in conditione, quam naturaliter prærequirunt, vt operentur, & ideò ex hac parte non indigent aliqua immutatione in connaturali modo agendi: at voluntas noſtra habet innatam poteſtatem ad ſuſpendendum ſuum actum, nec poteſt neceſsitari, niſi impe-

pediatur, ne illa poteſtate vti valeat; & ideo poſitis omnibus ex parte intellectus ad liberè agendum requiſitis, ad hoc vt per diuinam voluntatem neceſſitetur ad agendum, ſimpliciter neceſſaria eſt aliqua immutatio phyſica in ipſa voluntate per quam modus connaturalis operandi liberè, quem habet in modum oppoſitum operandi neceſſariò commutetur.

89 Secundò probari, & declarari poteſt ex alio capite, nimirũ, quòd ſubordinatio potentiæ loco motiuæ ad voluntatem non prouenit per ſe ex virtute agendi vnius potentiæ in aliam; ſed ex radicatione talium potentiarum in eadem anima cum tali conſenſione earum inter ſe; non ſecus, ac excitatur voluntas ad volendum per cognitionem intellectus ſine aliqua efficientia phyſica ipſius intellectus in ipſam voluntatem, ſed per ſympathiam: at verò ſubordinatio voluntatis creatæ ad diuinam fundatur in virtute per ſe actiua voluntatis diuinæ, quia ibi non interuenit radicatio in eadem eſſentia, & conſequenter nec modus ille conſenſionis inter voluntatem diuinam, & humanam inuenitur ſine propria efficientia phyſica: ſicut enim in Chriſto Domino voluntas humana non poteſt excitari ad volendum per ſcientiam increatam diuinæ naturę per illum modum ſympathiæ, quo excitatur per ſcientiam creatam, non obſtante, quòd ſcientia increata Chriſti, & voluntas creata eius ſint in eodem numero ſuppoſito, non alia ratione, niſi quia non radicantur in eadem eſſentia: ita voluntas creata non poterit eſſe ſubordinata diuino imperio, ſeu decreto Dei, illique obediens per conſenſionem, & ſympatiam; quia non ſunt radicatæ in eadem eſſentia, ſed per efficientiam, ac per conſequens ſine efficientia aliqua voluntatis diuinæ in humanam intelligi non poteſt, quòd voluntas creata innatum modum operandi liberè, quem habet, poſitis omnibus ex parte intellectus requiſitis, derelinquat, & oppoſitum operandi neceſſariò, & abſque vlla indifferentia recipiat.

90 Deinde quòd neque etiã poſſit Deus (ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo volũtati proponitur obiectum ſub indifferentia boni, & mali) per aliquam cauſam ſecundã voluntatem in actu primo, & priùs natura, quàm operari incipiat, ita determinare ad vnam partem, vllo modo poſſit oppoſitum operari, oſtendi poteſt inquirendo, quæ ſit iſta cauſa ſecunda; nam in primis non poteſt eſſe ſpecialis cõcurſus Dei, quo ſimul cum noſtra volũtate concurrit ad volendum (vt contendit Suarez loco citato,

cap.

cap. 5.) nam concurſus iſte poſterior natura eſt libertate, quã habet voluntas noſtra in actu primo, & antequam operari incipiat, non ſecus, ac eſt concurſus actualis noſtræ voluntatis, cum quo identificatur, & implicationem involuit, quòd priùs natura dependeat in ſuo eſſe à ſuo poſteriori.

91 Neque etiam eſſe poteſt aliqua qualitas à Deo producta, & impreſſa in ipſa voluntate, dum eſt in actu primo, & priùs natura, quàm operari incipiat; quia, vt benè vidit Scotus loco 4. citato, etiamſi voluntas noſtra potentia finita, & limitata ſit; tamen libertas, & indifferentia ad operandũ (poſitis ex parte intellectus omnibus ad liberè operandum requiſitis) ita intrinſeca, & eſſentialis eſt illi, vt ipſa permanente, implicationẽ involuat prædicta libertate, & indifferentia priuari per aliquam qualitatẽ, quæcumque illa fingatur, vt videre eſt in habitibus, qui etiamſi ſupernaturales, & perfectiſſimi ſint; nihilominus relinquunt in voluntate libertatem, & indifferentiam in agendo. Poterit quidem Deus voluntatem noſtram annihilare, ſeu deſtruere, & ſimiliter, ipſa perſiſtente, talibus qualitatibus afficere, vt licet liberè, efficaciter tamen, & cum effectu in vnam partem inclinetur; tollere autem ab ipſa libertatem, & indifferentiam ad operandum (poſitis ex parte intellectus ad agendum liberè omnibus prærequiſitis) ſiue immediate per ſuum decretum, ſiue medijs cauſis ſecundis, implicationẽ involuit; quia, vt ſupra ex Auguſtino, Bernardo, & alijs dicebamus, *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*.

92 Ad probationes factas à Suarez reſpondemus; ad primam falli, qui exiſtimant, Patres ad deſtruendum dogma hæreticorũ ſuſtinentium, Deũ ſuis præmotionibus neceſſitare noſtras voluntates, non fuiſſe aliquando vſos argumẽto deducente illos ad impoſſibile; nam vt ex ſupradictis patet, D. Auguſtinus, & D. Bernardus ex eo probant, voluntatem non poſſe neceſſitari præmotionibus diuinis (poſitis ex parte intellectus ad agendum liberè omnibus requiſitis) quia libertas ita intrinſeca, & eſſentialis voluntati eſt, vt repugnet, eſſe voluntatem, & non eſſe liberam; & eodem argumẽto vſi ſunt omnes Scholaſtici antiqui pro noſtra ſententia num. 77. citati. Imò Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. & Senonenſe decreto 15. fidei vidẽtur ſupponere iſtã repugnantiam, dum non de iſtis, vel illis præmotionibus diuinis in ſpeciali, ſed in vniuerſum de omnibus decernũt, non auferre noſtrum liberum conſenſum. Si enim ſupponerent, poſſe Deum aliqua præmo-

motione neceſsitare noſtram voluntatem; profectò non ita abſolutè, & in vniuerſum decernerent, Deum ſuis præmotionibus non auferre noſtrum liberum conſenſum.

93 Ad ſecundam dicimus, ex eo quòd omnipotentia Dei reſpectu noſtrarum voluntatum tanta ſit, vt poſsit Deus mutare voluntatem hominis, quando voluerit, & vbi voluerit, non rectè inferri, quòd ſicut hoc præſtare poteſt, ſalva hominis libertate, ita neceſsitando voluntatem; nam primum implicationem non involvit, ſicut viſum eſt, illam involvere ſecundum, ſtante perfecto, & deliberato iudicio, quo proponitur voluntati obiectum ſub indifferentia boni, & mali. Et cũ in eadem probatione additur, difficillimum eſſe mutare efficaciter voluntatem hominis, ſalva eius libertate, reſpondetur, ex hac difficultate maximè commendari à D. Auguſtino loco ibi citato Dei omnipotentiam, quæ tanta eſt, vt efficaciter, & ſine læſione libertatis poſsit mutare hominis voluntatem, quando voluerit, & vbi voluerit. Vndè auctoritas Auguſtini in contrarium adducta pro nobis eſt, non pro Suarez.

94 Ad tertiam, & vltimam, conceſſa maiori, negamus minorem; nam ſicut implicationem involvit, quòd ſit homo, & non ſit animal rationale, eo quòd animal rationale eſt de intrinſeca, & eſſentiali ratione hominis; ita implicationem involvit, quòd ſit voluntas, & quod non ſit potentia libera, poſitis ex parte intellectus (qui eſt, à quo voluntas in omni ſua operatione pendet) omnibus ad operandum liberè requiſitis, eo quòd hæc libertas eſt ita intrinſeca, & eſſentialis voluntati, vt voluntas non ſit, aut libera dicenda ſit, vt cum Auguſtino, Bernardo, Scoto, & alijs Scholaſticis antiquis ſupra dicebamus.

95 Ad id autem, quod in dicta probatione tetigit Suarez de præmotionibus phyſicis, quibus in ſententia Thomiſtarum applicat Deus omnes cauſas ſecundas, tam liberas, quàm neceſſarias ad operandum, patet ex dictis 2. libro Phyſicorum, diſput. 4. quæſt. 8. ſect. 3. prædictas præmotiones phyſicas non eſſe admittendas, non ex eo, quòd earum poſitio lædat libertatem; ſed quia ſuperfluum eſt illas ponere, & quia ex ipſarum poſitione ſequerētur aliqua inconuenientia, quæ ibi ponderauimus.

96 Vltimum, quod dubitant auctores, eſt, an ſicut ex propoſitione obiecti, quæ fit per intellectũ, poteſt neceſsitari voluntas, quoad ſpecificationem; ita etiam poſsit in via neceſsitari quoad exercitium? Aliqui auctores affirmant, voluntates noſtras in via non ſolùm poſſe

† Hh ne-

neceſsitari quoad exercitium ex propoſitione alicuius obiecti; ſed etiam de facto ex propoſitione alicuius obiecti neceſsitari quoad exercitium; in aſsignando autem hoc obiecto non omnes conueniunt.

97 Paludanus in 4. diſt. 49. quæſt. 7. art. 2. concluſione 1. Durandus ibidem quæſt. 8. à num. 17. affirmant, hoc obiectum eſſe beatitudinem in cōmuni. Ferrara 3. contra gentes, cap. 26. etiam hoc extendit ad beatitudinē in particulari, cui ſententiæ fauere videtur Diuus Auguſtinus 13. de Trinit. cap. 3. vbi refert quòd cum quidā Comicus in publico theatro toti Populo promiſiſſet, ſe die ſequenti dicturum, quid omnes vellent, & cū die craſtino, confluenti Populo, frigidè dixiſſet, *Omnes vultis vili emere, & carò vēdere*, ſubdit Auguſtinus, quòd ſi illis Comicus dixiſſet, *Omnes beati eſſe vultis, & miſeri eſſe non vultis*, dixiſſet aliquid, quod nullus in ſua nō agnoſceret volūtate. Hæc enim verba Auguſtini videntur nō poſſe eſſe vera, niſi ſupponendo, voluntates noſtras neceſſariò quoad exercitium amare beatitudinem; nam aliàs multi pro tunc non agnoſcerent in ſua voluntate amorem beatitudinis. Suaderi etiam poteſt hæc ſententia hac ratione; in beatitudine, præcipuè ſi in cōmuni ſumatur, & in quantum eſt aggregatio omniū bonorum, nulla apparet ratio mali, & nullus eſt defectus boni; ergo voluntas non ſolùm, nō poterit illam odiſſe, ſed neque ceſſare ab amore illius.

98 Caietanus verò 1. 2. q. 10. art. 2. affirmat, hoc obiectum eſſe finem reſpectu actus volūtatis, quo primò intenditur; docet enim primum actum volūtatis circa finem (primum, inquam, non ſolùm in vita, ſed in quocumque negotio) eſſe neceſſarium, etiam quoad exercitium; & probat primò ex Ariſtotele 2. Phyſicorum, cap. 9. tex. 89. vbi ait, finem in operatione eſſe, ſicut prima principia in ſpeculatione: ſed aſſenſus primorum principiorū eſt neceſſarius quoad exercitium, ſuppoſita apprehenſione ipſorum; ergo & primus actus volūtatis circa finē, ſuppoſita illius cognitione. Secundò, quia ad quemcūque actum liberum requiritur intellectus cōſultatio; ſed omnis conſultatio præſupponit intentionem finis; ergo vel dandus eſt proceſſus in infinitum, vel deueniendum ad vnam primam intentionem finis, quæ non præſupponat cōſultationem; & conſequenter quæ nullo pacto ſit libera. Tertiò, quia omne variabile, & quod eſt tale per accidens, prēſupponit aliquod firmum, & quod eſt tale per ſe; ſed voluntas per accidens, & variabiliter ſe habet circa ea, quæ vult liberè; ergo aliquid vult neceſſariò.

99 Com-

99 Communis tamen, & vera ſententia tenet, noſtras voluntates in via à nullo obiecto, ipſis per cognitionem perfectã, & deliberatam propoſito poſſe quoad exercitium neceſsitari, ſiue obiectum ſit beatitudo in communi, vel in particulari; ſiue ſit finis reſpectu primæ intentionis; ita Scotus noſter in 4. diſt. 49. quæſt. 10. §. *Quantum ad ſecundum articulum*, & alibi ſæpè; Sotus eadem diſt. quæſt. 2. art. 1. Capreolus in 1. diſt. 1. quæſt. 3. Vazquez 1. 2. diſput. 39. cap. 3. Monteſinos diſput. 14. quæſt. 3. Lorca diſput. 15. membro 3. Salas tractatu 5. diſput. 4. ſect. 3. Valentia diſp. 2. quæſt. 5. puncto 2. & plures alij.

100 Hanc communem ſententiam Capreolus, & alij Thomiſtæ probant à priori hac ratione; ad hoc, vt voluntas amet liberè quoad exercitium aliquod obiectum, quod neceſſariò requiritur, eſt, quòd in exercitio operationis circa tale obiectum appareat aliqua ratio diſcõuenientis, aut in omiſſione illius aliqua ratio conuenientis; ſed nulla poteſt aſsignari operatio voluntatis in via, ſiue circa beatitudinem in particulari, ſiue circa beatitudinem in communi, in cuius exercitio non poſsit apparere aliqua ratio diſconuenientis, ſeu in eius omiſsione aliqua ratio conuenientis, vel quia moleſta, vel quia impedit aliquam aliam operationem iucundiorem; ergo nulla datur operatio voluntatis in via, etiã circa beatitudinem in particulari, ſeu in communi, quæ non poſsit eſſe libera quoad exercitium: quæ ratio (inquiunt Thomiſtæ) non ſolùm à priori probat omnem actum voluntatis in via poſſe eſſe liberum quoad exercitium; ſed etiam conuincit, actum, quo beati diligũt Deum in patria, eſſe quoad exercitium neceſſariũ; quia in beatis, qui clarè vident Deũ, vt eſt in ſe, nulla ratio diſconuenientis apparere poteſt in exercitio talis dilectionis, neque conuenientis in omiſsione talis actus.

101 Sed hæc probatio Thomiſtarum ad intentum non eſt efficax; nam requirit ex parte obiecti ad libertatem quoad exercitium plus, quàm neceſſe eſt, nimirum, quod in exercitio non actus voluntatis appareat aliqua ratio diſconuenientis, ſeu in omiſsione talis actus aliqua ratio conuenientis, quod non ſolùm in doctrina Scoti; ſed etiam in rei veritate falſum eſt: licèt enim in actibus concupiſcentiæ (vt ſectione 1. huius quæſtionis dictũ eſt) vt proſequamur aliquod obiectum, ſimpliciter neceſſarium ſit, vt proponatur per intellectum, vt conueniens; & è contrario, vt illud odio habeamus, vt proponatur per intellectum, vt diſconueniens; tamen vt voluntas

Digitized by Google

ſuſpendat actum circa illud, non eſt neceſſarium, quòd in exercitio illius actus appareat aliqua ratio diſcōuenientis, aut in ceſſatione ab illo aliqua ratio conuenientis, cuius ratio à priori eſt, quia vt docent, non ſolùm Scotus in 2. diſtinct. 25. quæſt. vnica, & in 4. diſt. 49. quæſt. 4. §. *Iuxta hoc, &c.* ſed etiam D. Thom. 1. 2. quæſt. 9. art. 1. quos omnes diſcipuli ſequuntur, voluntas, etſi quoad ſpecificationem moueatur ab obiecto propoſito per intellectum; tamē quoad exercitium ſe ipſam mouet, cæteraſque potentias ſibi ſubditas; ergo etiamſi ad libertatem quoad ſpecificationem in actibus cōcupiſcentiæ ſimpliciter neceſſarium ſit, quòd obiectum per intellectum illi proponatur ſub indifferentia conuenientis, & diſconuenientis; tamen ad libertatem quoad exercitium, etiam in actibus concupiſcentiæ omninò impertinens, & ſuperfluum erit, quòd exercitiū ſuorum actuum proponatur illi, vt diſconueniens, aut ceſſatio à tali exercitio, vt quid cōueniens.

102 Imò ex hac doctrina percipietis, quàm firmo nixus fuerit fundamento Scotus in 1. diſtinct. 1. quæſt. 4. & in 4. diſtinct. 49. quæſt. 6. lit. D. & lit. F. ad aſſerendum contra Thomiſtas, Deum clarè viſum, licet ita efficaciter moueat voluntates beatorum ad exercitium dilectionis ipſius Dei, vt ab illo (ſtante ipſa viſione clara Dei) numquam ceſſaturi ſint; non tamen illas quoad exercitium neceſsitare; quia etiamſi per ipſam non ſolum cognoſcatur Deus, vt ſummè diligibilis; ſed etiam exercitium amoris beatifici nō proponatur, vt diſconueniens, ſed etiam, vt maximè conueniens, adhuc eſt liberum voluntati elicere, vel ſuſpendere talem actum, cum ipſa ſit, quæ ſe determinat ad exercitium, & non determinetur ad exercitium à propoſitione obiecti facta per intellectum.

103 Aliundè igitur à nobis probanda eſt hæc noſtra, & cōmunis ſententia. Et quidem ſi ſemel admittantur duo principia Scoti, duæ rationes adduci poſſunt meo videri efficaces; primum principium eſt illud, quod docuit Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. & nos ex profeſſo oſtēdemus vltima ſectione huius quæſtionis, nimirum, volūtatem eſſe potentiam præſtantiorem, & ſuperiorem intellectu: ex hoc enim principio ſic argumentatur Scotus loco quarti citato quæſt. 10. inferior cauſa non poteſt determinare ſuperiorē (intellige, quoad exercitium) ſed intellectus eſt potentia inferior voluntate; ergo non poteſt, quoad exercitium determinare volūtatem.

104 Reſpondet Durandus vbi

ſupra negando maiorem; nam ſenſus, inquit, eſt potentia, ſeu cauſa inferior, quàm intellectus, & nihilominus aliquando ſenſus determinat intellectum ad hoc, vt non poſsit non cogitare de aliqua re. Sed certè propter inſtantiam ſatis friuolā negauit Durandus rem ex ipſis terminis manifeſtam. Vndè ad illam reſpondemus, quòd cum intellectus ſit potentia naturalis, & conſequenter ex ſua intrinſeca natura determinata ad agendum, falsò dicitur à Durādo determinari à ſenſu ad agēdum, cum determinari ſupponat fuiſſe indifferēs illud, quod determinatur. Quod ſi aliquādo ad operationem ſenſus, ſequitur neceſſariò operatio in intellectu, non eſt, quia ſenſus determinet intellectum quoad exercitium; ſed hoc prouenit ex ſympathia, & colligatione, quam naturaliter habent iſtæ potentiæ in operando.

105 Secundum principium Scoti eſt id, quod docuit in 1. diſt. 10. quæſt. vnica, nimirum, ex duobus ſimul capitibus prouenire, quòd Deus amet neceſſariò ſuam diuinam eſſentiam quoad exercitium; primum, quòd in viſione clara, & amore illius conſiſtit ſumma felicitas. Secundum, quòd cum Deus ſit ſimpliciter infinitus, implicationem involvit, quòd carere poſsit iſta ſumma felicitate: ex hoc ergo principio ſic formo ſecundam rationē pro noſtra, & communi ſentētia: ideò volūtas Dei, etiamſi ex intrinſeca ratione ſua ſit principium liberū, amat neceſſariò quoad exercitium ſuam eſſentiā, quia eſt infinitè perfecta, & ideo à ſumma perfectione, qualis eſt amor Dei clarè viſi ceſſare non poteſt; ſed creatæ voluntates non ſunt infinitè perfectæ: ergo deficit eis vnum ex principijs requiſitis ad amandum neceſſariò quoad exercitium ipſum Deum clarè viſum, quanto magis ad appetendum beatitudinem in hac via obſcurè cognitam?

106 Poſſumus prætererea tertiò confirmare hanc noſtram, & communem ſententiam ex principijs omnibus communibus, videlicet, obiectum cognitum per intellectū, etſi moueat voluntatem quoad ſpecificationē; non tamen quoad exercitium; hoc enim docent, tam Scotus, quàm D. Thomas locis num. 101. citatis, & ſequuntur omnes eius aſſeclæ. Ex hoc ergo principio ſic conficio argumentum; obiectum propoſitum per intellectum, quidquid illud ſit, & quomodocumque proponatur, non mouet noſtras voluntates quoad exercitium; ergo neque illas quoad exercitium neceſsitare poterit: tenet conſequentia, nam eſt à ſuperiori ad inferius negatiuè; quia ſi non mouet quoad exercitium: ergo nō mouet quoad exercitium neceſſariò,

Digitized by Google

quod argumẽtum adeò vrget, vt non ſolùm probet, voluntatem nõ neceſsitari quoad exercitium ex vi obiecti cogniti in via, ſed neque in patria, etiamſi obiectum propoſitum ſit ſummum bonum, & ipſa propoſitio viſio clara.

107 Ad auctoritatem Auguſtini pro ſententia Paludani, Durandi, & Ferraræ adductam reſpondemus, prædictis verbis ſolùm intendiſſe Auguſtinum, noſtras voluntates circa beatitudinem ipſis propoſitam neceſsitari quoad ſpecificationem; non verò quoad exercitium. Non enim dixit, omnes habere in corde velle eſſe beatos, & nolle eſſe miſeros; quia exiſtimauerit, omni tempore eſſe voluntatem in exercitio horum actuum (conſtat enim per experientiam oppoſitum) ſed quia quotieſcumque volũtas elicit actum circa beatitudinem, ille actus neceſſariò eſt volitio, & quoties elicit actum circa miſeriam, ille actus neceſſariò eſt nolitio.

108 Ad rationem pro eiſdem factam dicimus, ex eo, quòd in beatitudine, tam in communi, quàm in particulari conſiderata, nulla appareat ratio mali, & nullus ſit defectus boni, ſequi quidem ex vi talis obiecti neceſsitari voluntatem quoad ſpecificationem, id eſt, ad illam appetendam, & amãdam in hypotheſi, quòd eliciat actum circa illam: non verò neceſsitari quoad exercitium; nam, vt dictum eſt, ad ſuſpendendum actum voluntatis circa aliquod obiectum, & conſequenter ad libertatem quoad exercitium non eſt neceſſarium, quod in illo obiecto appareat aliqua ratio mali, ſeu aliquis defectus boni; nam in via Thomiſtarũ ſufficit, quod iſta ratio mali, ſeu iſte defectus boni appareat in exercitio actus circa tale obiectum; & in noſtra, & Scoti via, neque hoc requiritur, cum poſsit voluntas pro ſua libertate ceſſare ab elicitione actus circa aliquod obiectum, etiamſi nulla ratio mali, ſeu defectus boni reperiatur, non ſolùm in ipſo obiecto, ſed neque in ipſa elicitione actus.

109 Ad auctoritatem Ariſtotelis adductam pro ſententia Caietani reſpondetur, ſimilitudinem, ſeu analogiam finis, in operatione cũ primis principijs in ſpeculatione, quam tradidit Ariſtoteles, in hoc cõſiſtere, quòd ſicut primis principijs propter ſe aſſentimur, & concluſionibus propter principia: ita finem propter ſe amamus, & media propter finem; non verò in hoc, quòd ſicut neceſſarius eſt aſſenſus circa prima principia, ſuppoſita apprehenſione terminorum; ita neceſſarium ſit intentio finis, ſuppoſita illius cognitione.

110 Ad primam rationẽ negamus, ad quemcumque actũ li-

liberum requiri, quòd præcedat in intellectu conſultatio; aliàs voluntas ſolùm eſſet libera circa media, cum ſolùm de medijs ſit conſultatio; ſed ſufficere, ſi actus eſt liber ſolũ quoad exercitium, quòd præcedat cognitio perfecta, ſeu deliberata obiecti, & ſi non tantùm eſt libera quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, & aliàs actus eſt cõcupiſcentiæ, vlteriùs requiri, quòd proponatur obiectum ſub indifferentia conuenientis, & diſconuenientis, quod abſque cõſultatione fieri poteſt.

111 Ad ſecũdam falſum eſſe, imò impoſsibile, quòd principium agendi variabiliter, & cõtingenter, vt eſt principium liberum, reducatur ad aliquod principium agens firmiter, & invariabiliter, vt eſt principium naturale; nam hæc duo principia, *liberum*, & *naturale*, vt docuit Scotus in 1. diſtinct. 10. quæſt. vnica, ſunt primò diuerſa; & ideò non ſolùm vnum non poteſt reduci ad aliud, ſed neque vtrumque ad vnum tertium illis commune. Quando autẽ communi axiomate circumfertur, *omne per accidens reducitur ad aliquod per ſe*, ibi *per accidens* non ſignificat principium agendi liberè, & *per ſe* principium agendi naturaliter, ſeu neceſſariò; ſed ly *per accidens* ſignificat denominationẽ accidentalem, quæ neceſſariò debet habere formam cui talis denominatio, ſaltem vt quo per ſe conueniat, vt inductione conſtabit diſcurrẽti per omnes denominationes accidentales.

SECTIO IV.

Explicatur, an, & quomodo voluntas moueat alias potentias animæ?

112 Voluntatem noſtrã per ſuum imperium alias potentias animæ ſibi ſubditas, quoad exercitiũ mouere, omnes, duce experientia, affirmant cum Ariſtotele hoc libro in vltimis capitibus. Quæ autem ſint hæ potentiæ animæ, quæ ſubduntur imperio voluntatis, & quomodo ab ipſa volũtate quoad exercitium moueantur, in hac ſectione explicandum eſt. Qua autem vi, ſeu influentia volũtas illas moueat, explicabimus quæſtione ſequenti, dum de potẽtia loco motiua ſermo fiat.

113 Plures ſunt potentiæ vitales animæ, de quibus dubitari poteſt, an ſubdantur imperio voluntatis, & quomodo ab ipſa, mediante imperio, mouẽatur quoad exercitium ſuorum actuum? ſcilicet, intellectiuæ, ſenſitiuæ, appetitiuæ, loco motiuæ, & vegetatiuæ, de quibus omnibus ſigillatim eſt agendum.

114 Si ſermo ſit de potentijs intellectiuis, fatẽtur omnes, intellectum ſubdi imperio, & cõ

ſequẽter motioni quoad exercitium voluntatis; ita Scotus in 2. diſt. 42. quæſt. 4. eſtque expreſſa ſententia Ariſtotelis,& plurimorum Sanctorum locis citatis à Salas tractatu 5, diſp. 1. ſect 1. idque conuincitur experientia, qua experimur, nos intelligere,& diuerti etiam ab intellectione, quãdo volumus.

115 Eſt autẽ intelligenda hæc ſententia, non de omni operatione intellectus, ſed de aliquibus; nam cum voluntas non poſsit velle (& conſequenter neque imperare, ſeu mouere quoad exercitium alias potentias) niſi propoſito ſibi obiecto per intellectum, manifeſtum eſt, quoad primam cognitionem nõ poſſe intellectum ſubdi imperio, ſeu motioni quoad exercitium voluntatis: & loquor, non ſolùm de prima cognitione, quæ eſt in toto diſcurſu vitæ, ſed etiam de quacumque prima cognitione, quam habet intellectus, poſtquã ceſſauit ab omni operatione, vt cum ſuſcitatur à ſomno: imò etiam de prima cognitione, quam habet in quolibet negotio, antequam, non præceſsit alia, neque diſtincta, neque cõfuſa eiuſdem obiecti.

116 De potẽtijs ſenſitiuis internis eodem modo philoſophandum eſt, ac de potentijs intellectiuis. ſubdi quidem imperio, & motioni quoad exercitium volũtatis; in hoc etiam aſſerio omnes conueniunt, idque etiam oſtendit experientia, & intelligendum eſt cum eiſdem limitationibus, quibus loquuti ſumus de intellectu; nam ſicut voluntas in ſuis operationibus pendet ab intellectu; ita pro hoc ſtatu intellectus in ſuis operationibus pendet à ſenſu, ſeu ſenſibus internis.

117 De potentijs appetitiuis etiam dicendum eſt cum Scoto loco citato, & cõmuni omnium ſententia, appetitum ſenſitiuum ſubdi imperio, & motioni quoad exercitiũ voluntatis, id (præter experientiã, qua experimur, ſæpè nos motus illius, cum volumus, excitare, & cohibere) probat ille locus Geneſis 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaueris illius.* Eſt autem hæc ſententia, ſicut, & præcedentes, intelligenda, non de omni actu appetitus ſenſitiui; nam ſunt aliqui actus illius, qui præcedunt omnem cognitionem intellectus, & conſequenter omnem actum voluntatis circa ipſos, qui ideò non ſunt peccata, etiamſi ſint circa rem prohibitam.

118 Eſt autem aduertendum, appetitũ ſenſitiuum ſubdi imperio, ſeu motioni voluntatis, non deſpoticè, id eſt, non ad inſtar ſeruorum, qui ſtatim, & abſque mora aliqua (ſi aliàs non ſint impediti) efficiunt voluntatem domini (qua ratione ſubduntur imperio, & motioni voluntatis intellectus, & internus ſenſus) ſed politicè, id

id eſt, ad inſtar ciuium, qui non ſtatim exequuntur mandatũ principis, donec eis proponatur aliqua ratio conuenientis, & quæ poſtulet exequi mãdatum Regis. Vndè ad hoc, quòd voluntas moueat quoad exercitium appetitum ſenſitivum per imperium ſuum, neceſsè eſt, vt efficiat, quòd ei proponatur obiectum per ſenſum internum; vt conueniens ipſi appetitui ſenſitiuo, quod vult voluntas proſequi, ab ipſo appetitu ſenſitiuo; nam ſicut voluntas non appetit niſi obiectum ſibi per intellectum, vt conueniens propoſitum; ita appetitus ſenſitivus non proſequitur obiectum, niſi per ſenſum internum ipſi, vt conueniens proponatur.

119 De potentijs loco motiuis, etiam docet Scotus loco citato, eſtque communis, & recepta ſententia, & experientia confirmata, potẽtias loco motiuas, quæ reſident in membris corporalibus ſubdi imperio, & motioni quoad exercitiũ voluntatis, non quomodocumque, ſed deſpoticè, id eſt, ad inſtar ſervorum, & abſque vlla mora; & repugnantia, niſi fortè membra, in quibus reſident, aliquo impediantur morbo, vt in paralyſi laborantibus contingit. Cur autem potentiæ loco motiuæ obediant voluntati deſpoticè, & abſque vlla mora, ſecus verò appetitus ſenſitivus, ratio eſt, quia ad hoc vt, voluntas moucat quoad exercitium potẽtias loco motiuas, nõ eſt neceſſarium, quòd hoc eis proponatur per aliquã cognitionẽ, vt eis conueniens; at ad hoc, vt moueat, quoad exercitium appetitum ſenſitivum (vt dictum eſt) opus eſt, vt ei proponatur obiectũ per ſenſum internum, vt quid cõueniens; & aliquando contingit, vt obiectum, quod apprehendi debet, vt conueniens appetitui, ſit priùs ita apprehenſum, vt diſconueniens, vt vix à voluntate poſsit ſenſus internus cohiberi à tali apprehenſione.

120 Sed cum in homine ſint duo appetitus, vnus rationalis, qui dicitur voluntas, & alius ſenſitivus; dubitãt auctores primò, an poſsint potentiæ loco motiuæ moueri quoad exercitium à voluntate abſque interuẽtu, & motione appetitu ſenſitiui? Partem negatiuam tenent Conimbricenſes diſp. 4. Ethic. quæſt. 3. art. 4. quorum fundamentum eſt, quia in homine volũtas ad motum localem concurrit, vt agens ſupremũ; appetitus verò ſenſitivus, vt agens mediũ; potentiæ loco motiuæ reſidentes in mẽbris, vt agens infimũ, & extremum: & hic ordo, ſeu armonia mouentium petit, vt ſupremum nõ niſi, interveniente medio, moueat infimum, & extremum.

121 Sed nobis tenendum eſt cum pluribus auctoribus, quos cita-

citat Salas tractatu 5. diſput. 1. ſect. 3. inter quos ſunt Diuus Thomas 1.2. quæſt. 10. artic. 3. ad 3. & Caietanus 1. part. quæſtione 80. artic. 2. ad 3. quòd etiamſi communiter voluntas moueat quoad exercitium potentias loco motiuas, medio appetitu ſenſitiuo; non tamen eſſe hanc ſubordinationē ſimpliciter neceſſariā, vt Conimbricenſes exiſtimant; ſed poſſe voluntatem mouere potentias loco motiuas, non ſolùm ſine interuentu, & motione appetitus ſenſitiui; ſed etiam ipſo renitente; quod manifeſtè conuincit experientia Martyrum, qui ex motione, & imperio voluntatis mēbra acerbiſsimis cruciatibus offerebant, renuente maximè appetitu ſenſitiuo. Neque verum exiſtimo, volūtatem, & appetitum ſenſitiuum reſpectu motus localis eſſe cauſas per ſe ſubordinatas ad modum, quo ſubordinantur cauſa prima, & ſecunda ad efficiendum aliquem effectum; non enim ita ſe habent, ſed vt duo agētia, quorum quodlibet per ſe eſt ſufficiens ad efficiendum talem motum.

122 Secūdò dubitant auctores, anècontrariò poſsit in homine appetitus ſenſitiuus mouere potentias loco motiuas abſque interuentu, & motione voluntatis? & dubitatio procedit in caſu, quo propoſita eſt voluntati per intellectum motio localis, ſicut & appetitui ſenſitiuo per ſenſum internum; nam ſi tātùm ſit propoſita motio localis appetitui ſenſitiuo per ſenſum internum, non eſt dubium, quòd poſsit prædictus appetitus abſque motione voluntatis mouere potentias loco motiuas ad exercitium motus localis membrorum exteriorum, cum hoc contingat in brutis & appetitus ſenſitiuus in homine non ſit deterioris conditionis, quàm in brutis. Cui dubitationi reſpondendum eſt cum D. Thoma 1. part. quæſt. 81. art. 3. Caietano, Conimb. & Salas locis citatis, in dicto caſu appetitum ſenſitiuum nūquam mouere potentias loco motiuas ad exercitium ſuorum actuum, abſque interuentu, & motione voluntatis.

123 Et ratio non eſt, quam aſſignāt Conimbricēſes, ſcilicet, quòd in cauſis per ſe ſubordinatis ſecundum mouens non poteſt mouere, niſi mouente primo, quia iam dixi, voluntatē, & appetitum ſenſitiuum reſpectu motionis potentiarū loco motiuarū nō eſſe cauſas per ſe ſubordinatas: ſed ratio eſt, quia numquam expedit, vt in præſentia principalis appetitus, & reſpicientis bonum totius, vt eſt voluntas, appetitus inferior, & minùs principalis, vt eſt ſenſitiuus, moueat membra ipſo appetitu principaliori ſuſpendente imperium, ſeu motionē, imò renuente, vt moueantur localiter prædicta membra.

124 Ve-

Digitized by Google

124 Verum eſt, Conimbricẽſes limitare hanc doctrinam: dicunt enim ſolùm eſſe intelligendam, & veram, quãdo voluntati proponitur motio localis cũ indifferentia, & perfecta aduertentia rationis. Sed vt benè vidit Salas, hac limitatione non eſt opus; quia etiam quando voluntati proponitur motio localis, vt conueniens abſque indifferentia. appetitus ſenſitiuus non mouet potentiam loco motiuam ad exercitium motus localis abſque cõſortio motionis voluntatis; cuius ratio eſt, quia cum in actibus neceſſarijs voluntas, & appetitus ſenſitiuus ſe viciſſim trahant; ſemper in huiuſmodi actibus voluntas concordat cũ appetitu ſenſitiuo, & è contra, ac per cõſequens ſemper quod appetitus ſenſitiuus mouet potentias loco motiuas ad exercitium motus localis, illas etiã mouet volũtas, ſi ſimul propoſita fuerit ei talis motio per intellectum, vt conueniens.

125 Demum ſi de ſenſibus externis, & ſimiliter de potẽtijs animæ vegetatiuis ſermo ſit, etiam affirmat Scotus loco citato, eſtque communis cõſenſus, & experientia firmatus, has omnes potentias ſubdi imperio, & motioni, quoad exercitiũ, voluntatis, ſaltem mediatè, & per accidens, nimirum, quatenus volũtas medio motu locali applicare poteſt eis, vel ab eis remouere obiecta, vel conditiones, à quibus in ſuis operationibus pendent. Vtrum autẽ aliquo alio ſpeciali modo ſenſus externi ſubdantur motioni voluntatis, ex dicendis quæſt. ſequenti conſtabit.

SECTIO V.

Explicatur, an voluntas ſit perfectior potentia, quàm intellectus?

126 Sypono in noſtra, & Scoti ſententia, quæ ſuſtinet, intellectum, & voluntatẽ neque inter ſe, neque ab anima realiter diſtingui, ſed ſolùm formaliter, præſentẽ difficultatem non poſſe procedere de exceſſu reali, ſed ſolùm de exceſſu in ſuis rationibus formalibus, & eſſentialibus conſideratis; ſecus verò contingere in ſententia Thomiſtarum, qui diſtinctionem non ſolùm formalem, ſed etiam realem, ſeu tanquã rem à re inter potẽtias intellectus, & voluntatis tã inter ſe, quàm ad animam cõparatas, recipiunt, & admittunt.

127 Conimbricenſes hic capit. 13. quæſt. 2. art. 1. refert (ſuppreſſo nomine) aliquorum fuiſſe ſententiam, intellectum, & voluntatem eſſe potentias æquales in perfectione. Sed horum ſententiam refellit Ariſtoteles, & aliorum Philoſophorum commune placitum, aientium ſpecies eſſe, ſicut numeros, quia videlicet, ſicut duo

duo numeri vnitatibus pares eſſe nequeunt, ſed quilibet cæteris maior, minorvè eſt; ita duæ ſpecies inueniri non poſſint, quarum vna in dignitate, & perfectione intrinſeca, & naturali alteri par ſit. Neque contrariatur Auguſtinus libro de Trinitate, cap. 11. dum ait, memoriam, intelligentiam, & voluntatem inuicē ſibi æquales eſſe; nam non loquitur de æqualitate perfectionis, quam quælibet harum potentiarum in ſe habet, ſed de ea, quam ex parte ſubiecti omnes ſortiuntur, quæ ſine dubio par eſt, cū omnes in eadem anima reſideant.

128 Supponendo ergo, vt certum, voluntatem, & intellectum non poſſe eſſe potentias animæ rationalis æquales in perfectione; ſed neceſſariò in perfectione vnam alteram antecellere, procedit præſens difficultas, an voluntas ſit perfectior potentia, quàm intellectus; an è contra? Circa quam difficultatem duæ ſunt celebres ſententiæ.

129 Prima ſententia affirmat, intellectum eſſe potentiam perfectiorem, & excellentiorem voluntate; ita D. Thomas pluribus in locis; ſed præcipuè 1. part. quæſt 83. art. 3. quem omnes diſcipuli ſequuntur, Caietanus, & Bañez ibidem, Paludanus in 4. diſt. 49. quæſt. 3. Heruæus quodlibet. 8. quæſtion. 9. Capreolus in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. & diſt. 3. quæſt. 3. Curſus Carmelitanus diſput. vltima de voluntate, quæſt. 4. §. 2. & ex alijs Durandus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. Abulenſis ad caput 5. Matthæi, quæſtion. 30 Paulus Venetus hic textu 58. Conimbricenſes loco ſupra citato art. 2. Suarez libro 5. de anima, cap. 9. Vazquez 1. 2. diſput. 11. capit. 8. & alij plures.

130 Probari ſolet hæc D. Thomæ ſententia multis vijs; primò ex parte obiectorum; nam illa eſt perfectior potentia, quæ perfectiori, & ſubtiliori, & immaterialiori modo attingit ſuum obiectum; ſed intellectus perfectiori, ſubtiliori, & immaterialiori modo attingit ſuum obiectum, quàm voluntas: ergo ex hac parte intellectus perfectior potentia erit, quàm voluntas. Minorem probat, quia intellectus attingit ſuum obiectum abſtractum ab exiſtentia, conſiderando, ſcilicet, nudam rei quidditatem; voluntas verò non niſi rem, prout habet ordinem ad actualem exiſtentiam terminatum.

131 Secundò ex parte habituū; nam illa eſt perfectior potentia, quæ recipit perfectiorem habitum; ſed aliquis habitus intellectus eſt perfectior, & nobilior quocumque habitu voluntatis: ergo ex hac parte potentia intellectus perfectior eſt, quàm potentia volun-

Digitized by Google

lũtatis. Minor probatur ex Philoſopho, qui 1. Metaph. cap. 8. docet, ſapientiam eſſe nobiliſſimum habitum, & idem docet 6. Ethicorum cap. 4. & capite 10. affirmat, nullum habitum volũtatis eſſe nobiliorem iuſtitia, aut amicitia, de quibus videtur conſtare, eſſe imperfectiores ſapientia.

132 Tertiò ex parte actuum, quia illa eſt perfectior potentia, quæ elicit perfectiorem actum; ſed actus intellectus eſt perfectior, quàm voluntatis; ergo, &c. minorem probant, tum quia voluntatis actus dependẽt ab actibus intellectus, quibus proponitur voluntati, quid ab ipſa amplectendum, vel fugiendum ſit: tum etiam, quia ille actus eſt perfectior, in quo hominis felicitas conſiſtit, vt affirmat Ariſtoteles libro 10. Ethicorum cap. 7. hæc autem conſiſtit, teſte eodem Ariſtotele ibidem cap. 8. in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum.

133 Quartò probãt, quia inter potẽtias animæ illa dicitur perfectior, quæ immediatiùs ſequitur ad animam; ſed intellectus immediatius ſequitur ad animã, quàm voluntas: ergo inter potẽtias animæ perfectior erit intellectus, quàm voluntas. Minorem probant, quia ſicut in anima actus intellectus præſupponitur ad actum voluntatis; ita & potentia intellectiua ad potentiam volitiuam.

134 Secunda ſententia, quæ nobis videtur probabilior, & ſequenda, oppoſitum affirmat, ſcilicet, voluntatem eſſe potentiam perfectiorem, & excellentiorem intellectu; ita ex profeſſo Scotus noſter in 4. diſtinct. 49. quæſtione laterali ad 4. quæſtionem, quem omnes diſcipuli ſequuntur, & inter ipſos Pater Antonius Hiquæus ſatis fusè in commento prædicti loci, & Pater Hugo Cauellus, diſputat. 3. de anima ſect. 1. & ex alijs Alexander Alenſis 3. part. quæſt. 80. membro 1. & 4. part. quæſtione 92. membro 3. artic. 4. Albertus magnus in 1. diſt. 1. quæſt. 14. Henricus quodlibeto 1. quæſt. 14. D. Bonauentura, Ægidius, Gabriel, Maior, Argentina in 4. diſtinct. 49. Aureolus apud Capreolum in 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. Ochamus ibidem q. 2. ad 2. principale, & plures alij.

135 Et omiſſa probatione, quę pro vtraque parte deduci ſolet ex obiectis, ſupponendo, quòd obiectum adæquatum intellectus ſit verum, & obiectũ adæquatum voluntatis ſit bonum, & faciendo comparationẽ inter verum, & bonum, quodnã ipſorum perfectius, & excellẽtius ſit; quia, vt benè, & acutè vidit Scotus in initio quæſtionis lateralis citatæ, ex iſto capite nulla ratio efficax deduci poteſt, neque pro vna, neque pro altera ſententia; tum quia pri-

primum, quod ſupponitur, ſcilicet, verum eſſe obiectũ adæquatum intellectus, & non ens, falſum omninò eſt & ſecundũ, ſcilicet, bonum eſſe obiectum adæquatum voluntatis, ſaltem dubium eſt, & ex dubio, quãto magis ex falſo, nullum argumentum efficax deduci poteſt. Tum etiam, quia verum, & bonum tranſcendentia ſunt, & cũ omnia tranſcendentia cõuertibilia ſint, & denominẽt ſe mutuò, ideò nõ apparet locus, facta cõparatione inter ipſa, vndè conuinci poſsit, quòd vnum ſit perfectius alio, aut ècõtra; nam ſicut bonum eſt bonum per eſſentiam, & verum ſolũ eſt bonũ per participationem; ita èconrario verum eſt verum per eſſentiam, & bonum ſolùm eſt verum per participationem. Probanda igitur eſt noſtra, & Scoti ſententia ex alijs duobus capitibus, ſcilicet, ex parte habitus, & ex parte actus.

136 Ex parte habitus probat Scotus, voluntatem eſſe perfectiorem, & nobiliorem potentiam, quàm intellectum; quia ſicut actus eſt nobilior, ad quẽ diſponit nobilior habitus; ita potentia eſt nobilior, quæ eſt capax nobilioris habitus; ſed voluntas eſt capax recipiendi habitum charitatis, qui habitus eſt nobilior, & perfectior omnibus alijs, etiam per ſe infuſis, tam intellectus, quàm voluntatis; ergo volũtas erit perfectior, & nobilior potentia, quàm intellectus. Minorem probat, tum ex auctoritate illa Pauli 1. ad Corinth. 13. *Nunc manent tria hæc, fides, ſpes, charitas; maior autem horum eſt charitas*: tum etiam ex illa auctoritate D. Auguſtini 5. de Trinitate cap. 19. *in donis Dei nullum eſt maius donum charitate, nec æquale.*

137 Quod ſi ad Apoſtolum, & Auguſtinum reſpondeatur, quòd loquuntur pro hoc ſtatu viæ, & nõ pro ſtatu patriæ, vbi lumen gloriæ eſt habitus nobilior, & excellentior, quàm habitus charitatis; contra hoc eſt (inquit Scotus) primò auctoritas Hugonis, qui hanc ſemper eminentiam charitatis intelligit, etiam in patria, ſuper illum locum Diui Dionyſij de Angelica Hyerarchia cap. 7. *Super acutum, ſuper feruidum, & dilectio ſupereminet ſcientiæ.* Vndè in patria ſuprema Angelorum Hyerarchia ab ardore dicitur Seraphim, & inferior illi propinquiorà ſcientia dicitur Cherubim, nõ alia ratione, niſi quia, vt modo ex Hugone, & Diuo Dionyſio referebamus, etiam in patria, *dilectio ſupereminet ſciẽtiæ.* Secundò militat ratio, nam perfectiſsimus habitus voluntatis in via perficit eam ſecundum capacitatem, quam habet pro tunc; ergo ſi ille eſt habitus nobilior, quàm intellectus, capacitas voluntatis pro via maior erit, quàm capacitas intellectus; ergo & pro patria; quia eadem eſt capacitas hic, & ibi lo-

Digitized by Google

loquendo de capacitate remota, quæ eſt ſecundum gradum naturæ capacis: ergo eodem modo erit philoſophandum loquendo de capacitate propinqua, quæ eſt, quam tam voluntas, quàm intellectus recipiũt per habitus per ſe infuſos; patet iſta vltima conſequẽtia; quia capacitas remota, & naturalis non poteſt ſatiari, niſi per aliquid proportionabiliter perficiens eam, & conſequenter non niſi per nobilius, ſi ipſa eſt aliquid nobilius.

138 Ex parte actus, idem probat Scotus varijs vijs; primò, quia etiamſi intellectus, & voluntas mutuò ſe moueant, & in ſuis operationibus ad inuicem dependeant, ſed diuerſimodè, nam voluntas in ſuis operationibus mouetur, & dependet ab intellectu, tanquam à ſeruo adminiſtrãte ei obiectum in diſpoſitione requiſita ad hoc, vt ab ipſa poſſit proſequi. Et ideo ſanctus Bernardus libro de *libero arbitrio*: rationem pediſſequam voluntatis appellat. At intellectus in ſuis operationibus liberis mouetur, & dependet à voluntate, tanquam à Domina, & Regina, vt docet D. Anſelmus libro de *conceptu Virginis*, cap. 4. quæ per ſuum imperium (vt ſect. præcedenti oſtendimus) tam intellectum, quàm cæteras potentias animæ in hanc, atque illam partem, quoad exercitium pro arbitrio ſuo flectit, & reflectit; ſolaque de ſe pronunciat, *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*. Conſtat ergo manifeſtè, tã ex dependentia, quàm habet voluntas in ſuis operationibus ab intellectu, tanquam à ſeruo, quàm ex dependentia, quam habet intellectus in ſuis operationibus liberis à voluntate; tãquam à Domina, & Regina, voluntatem eſſe potentiã perfectiorem, & excellentiorem ipſo intellectu.

139 Secundò, quia ex Philoſopho. 9. Metaph. textu 15. *Poſterius generatione eſt prius perfectione*; ſed volitio eſt poſterior generatione ipſa intellectione; ergo volitio eſt perfectior ipſa intellectione. Item finis eſt perfectior medijs; ſed volitio eſt finis intellectionis; ergo eſt perfectior illa. Minorem (etſi manifeſta ſit) probat Scotus, tum ex Anſelmo libro 2. *Cur Deus homo* cap. 1. tum etiam ex D. Auguſtino 19. de *Ciuitate Dei* cap. 14. vbi ſic ait, *Homini rationalis anima ineſt, vt mente aliquid contempletur, & ſecundum hoc aliquid agat, & poſt, vt aliquid vtile cognoſcat, & ſecundum eam cognitionem vitam, moreſque componat.*

140 Tertiò, quia id, quod poſſidentem ſimpliciter bonum reddit, perfectius, & optabilius eſt eo, quod non reddit ſimpliciter bonũ; ſed amore, qui eſt actus volũtatis, redditur homo ſimpliciter bonus, non autem cognitione, quæ eſt actus intellectus; ergo actus amoris quid
per-

perfectius, & optabilius eſt, quā actus cognitionis. Minor eſt Auguſt 11. de *Ciuitate Dei* c. 28. vbi ſic ait, *Vir bonus nō dicitur, qui ſcit id, quod bonū eſt, ſed qui diligit*. Vnde cōcludit, in hominibus, qui rectè amant, magis amari amorē ipſum. Et confirmatur, quia in his, quorum vnū in alio non continetur, id habetur præſtantius, cuius oppoſitū peius eſt, ex regula illa 7. Ethicorū c. 10. *Illa ſunt meliora, quorū oppoſita ſunt deteriora*: oppoſitum verò amoris peius eſt, magiſque deteſtabilius, quàm oppoſitū cognitionis, vt patet in odio Dei, & eius ignoratione; multo quippe deteſtabilius, & peius eſt, Deum odiſſe, quàm Deum ignorare.

141 Reſpondēt Conimbricēſes, ſupradicta eſſe vera loquēdo moraliter, ſeu in eſſe moris; non verò loquēdo naturaliter, & in eſſe entis, in quo ſenſu procedit diſputatio præſens, ſed contra hoc eſt, quòd actus humani, ſeu liberi, ſiue ſint actus voluntatis, ſiue intellectus, aut cuiuſcumque alterius potentiæ ſubditæ imperio voluntatis, in tantum ſunt moraliter boni, in quantum ſecundū ſuam entitatem phyſicam, & naturalē cōformātur ordini ſuæ naturæ debito, & in tantū ſunt mali moraliter in quantum deuiant ab ordine ſuæ naturæ debito (loquor non de actibus humanis, qui ſolùm ſunt mali, quia prohibiti; ſed de actibus humanis, qui ideo ſunt prohibiti, quia mali) ergo ſi actus humanus amoris (etiam per aduerſarios) eſt in genere amoris magis bonus, & perfectus, quàm humanus, & liber actus cognitionis eiuſdem obiecti, hoc erit, quia etiā actus amoris in ſua naturali, & phyſica entitate magis conformatur ordini ſuæ naturæ debito, quàm actus cognitionis eiuſdem obiecti; & ecōtra, ſi oppoſitū actus amoris in genere moris peius eſt, quàm oppoſitum actus cognitionis eiuſdem obiecti, hoc erit, quia etiam oppoſitū actus amoris in ſua naturali, & phyſica entitate magis deuiat ab ordine ſuæ naturæ debito, & cōſequenter diſtinctio data à Conimbricēſibus de eſſe morali, & eſſe naturali vim argumenti Scoti non infringit, ſed potius corroborat; cum ex maiori perfectione, & ex maiori defectu morali (in his actibus humanis, qui ſunt prohibiti, quia mali) optimè colligatur maior etiā perfectio, vel maior defectus in eſſe naturali prædictorū actuū.

142 Poſſumus præterea confirmare actum amoris, nō ſolùm in eſſe morali, ſed etiā in ſuo eſſe phyſico, & naturali eſſe perfectiorem actu cognitionis, cæteris paribus (id eſt, quando non ſolùm verſantur circa idē obiectum, ſed etiam ſunt eiuſdem ordinis; quia vterque eſt naturalis, vel vterque eſt ſupernaturalis, vterque viæ, vel vter-

Digitized by Google

vterque patriæ) ex eo quòd actus amoris, quo diligimus (exempli gratia) Deum, magis vnit amantem Deo, quàm vnit actus cognitionis, quo cognoſcimus Deum, ipſum cognoſcētē; ergo adhuc in ſuo eſſe phyſico, & naturali actus amoris perfectior eſt, quàm actus cognitionis. Antecedēs patet, quia auerſio à Deo repugnat amori Dei: ſecus verò Dei cognitioni; vndè D. Dionyſius libro de *cæleſti Hyerarchia* cap. 7. nō cognitioni, ſed amori attribuit vim vnientem, & transformantem amantem in rem amatam.

143 Sed iam ad argumenta in fauorem primæ ſententiæ adducta reſpondeamus; ad primū negamus minorē, ſcilicet, intellectum perfectiori, ſubtiliori, ſeu immaterialiori modo attingere ſuum obiectū, quàm voluntatem: & ad probationē dicimus, ex eo quòd intellectus attingat obiectū abſtractā ab exiſtentia, voluntas verò, vt dicit ordinē ad actualem exiſtentiam, nō rectè inferri, intellectum attingere ſuum obiectū perfectiùs, ſubtiliùs, ſeu immaterialiùs, quàm voluntatem; quod cum Scoto triplici via oſtendo.

144 Primò, quia immaterialitatem, ſeu ſubtilitatem, tam in eſſendo, quàm in operando, & conſequēter perfectionem, quæ ex hoc capite prouenire poteſt, non recipiunt intellectus, & voluntas ex obiectis circa quæ verſantur; aliàs cum tam intellectus, quàm voluntas verſentur, non ſolùm circa obiecta ſpiritualia, ſed etiam circa materialia; ſi intellectus, & voluntas immaterialitatem, ſeu ſubtilitatem, tam in eſſendo, quàm in operando reciperent ex obiectis partim eſſent, ſpirituales, & partim materiales; quod eſt abſurdum: ſed immaterialitatem, ſeu ſubtilitatē, tam in eſſendo, quàm in operando ſolùm recipiunt ex ſubiecto, cuius ſunt potentiæ, & cū quo (in ſententia noſtra, & Scoti) realiter identificantur; quod cū in præſenti ſit anima rationalis reſpectu vtriuſque potentiæ, non poterit intellectus, neque quoad eſſe, neque quoad operari eſſe immaterialior, quā voluntas, neque è contra; & conſequenter ex immaterialitate, ſeu ſubtilitate, tā in eſſendo, quàm in operando harum potentiarum nullum argumētum poteſt deſumi ad probandum, intellectum eſſe perfectiorem voluntate; aut ècōtra voluntatem eſſe perfectiorem intellectu, cum iſtæ potentiæ in immaterialitate, ſeu ſubtilitate omnino æquales ſint, neque vna exuperet alteram.

145 Secundò, quia falſum eſt id, quod in prædicto argumento aſſumitur, ſcilicet, intellectum ſolùm attingere obiectum abſtractum ab actuali exiſtentia; voluntatem verò

ſolùm attingere obiectum, vt dicit ordinem ad actualẽ exiſtentiam: licet enim intellectus per intellectionem, quæ dicitur abſtractiua, attingat obiectũ abſtrahendo ab actuali exiſtentia, & reali præſentia; tamen per cognitionem, quæ dicitur intuitiua, obiectum attingit, vt actualirer exiſtens, & realiter præſens eſt, & ſimiliter licet voluntas per actum, qui dicitur deſiderium, attingat obiectum cum ordine ad futuram actualem exiſtẽtiam; tamen per actum, qui dicitur ſimplex complacentia attingere poteſt obiectum abſque vllo ordine ad actualem exiſtentiam, vt videre eſt in delectationibus, quæ moroſæ nuncupantur. Neque obſtat, quòd ſimplex complacentia ſit actus minùs perfectus reſpectu deſiderij; nam etiam in intellectu cognitio abſtractiua eſt actus minùs perfectus reſpectu intuitiuæ.

146 Tertiò, quia data hypotheſi, quòd intellectus (vt argumẽtum aſſumit) ſolùm cognoſceret obiectum abſtractum ab exiſtentia actuali, & quòd voluntas ſolùm poſſet tendere in obiectum cum ordine ad actualem exiſtentiam; potius ex hoc diſcrimine colligendum erat oppoſitum eius, quod intendit argumentum, nimirum, actum voluntatis natura ſua eſſe perfectiorem, quàm actum intellectus: aſſumptũ patet, nam ſicut obiectum, dum actualiter exiſtit, perfectius eſt ſe ipſo, dum actualiter nõ exiſtit; ita actus, quo attingitur obiectum ab aliqua potentia, vt actualiter eſt exiſtens, perfectior eſſe debet, quàm illæ, quo attingitur idem obiectum abſtractum ab actuali exiſtentia. Vndè omnes affirmant, intellectionem intuitiuam eſſe perfectiorem, quàm abſtractiuam eiuſdem obiecti, & actum deſiderij eſſe perfectiorem, quàm ſimplicem complacentiam eiuſdem obiecti, ſanè non alia ratione, niſi quia intellectio intuitiua, & actus deſiderij terminantur ad obiectum actualiter exiſtens, ſeu cum ordine ad actualem exiſtẽtiam; cognitio verò abſtractiua, & actus ſimplicis cõplacentiæ terminantur ab obiectũ abſtractum ab actuali exiſtẽtia, aut in ordine ad actualem exiſtentiam.

147 Ad ſecundum conceſſa maiori, negamus minorem, ſcilicet, aliquem habitum intellectus eſſe natura ſua perfectiorem, & nobiliorem quocumque habitu voluntatis: & ad probationem eius, deſumptam ex auctoritate Philoſophi, qui locis ibi citatis docet, ſapientiam eſſe nobiliſſimũ habitum, optimè reſpondet Scotus, Philoſophum nomine ſapientiæ vtrumque mentis actũ, ſeu habitum comprehendiſſe: Philoſophus enim in ethicis, in

in 9. Metaph. in 3. de anima, & 2. Phyſicorum pro eodem ſumit potentiam rationalē, mentem, propoſitum, artem, electionem, intellectum, appetitum, quæ eſt etiam doctrina D. Thomæ in 3. d. 27. q. 1. art. 4. ad 1. & de veritate q. 22. artic. 11. ad 12.

148 Ad tertium, conceſſa etiam maiori, negamus minorem, ſcilicet, actum intellectus eſſe perfectiorem actu voluntatis: Et ad primam probationem patet ex dictis nu. 138. intellectum, & voluntatem, etſi mutuò ſe moueant, & in ſuis operationibus adinuicem dependeant; ſed cum hoc diſcrimine (quod ſatis manifeſtè oſtendit excellentiam voluntatis ſupra intellectum) quòd voluntas in ſuis operationibus mouetur, & dependet ab intellectu, tanquam à ſeruo miniſtrante ei obiectum in diſpoſitione requiſita ad hoc, vt ab ipſa poſsit proſequi: at intellectus in ſuis operationibus liberis mouetur, & dependet à voluntate, tanquam à Domina, & Regina, quæ per ſuum imperium, tam intellectum, quàm cæteras potentias animæ in hanc, atque illam partem pro arbitrio ſuo flectit, atque reflectit. Ad ſecundam probationem fatemur, illum actum eſſe perfectiorem alijs, in quo hominis felicitas conſiſtit, & cum obijcitur ex Ariſtotele, felicitatem hominis conſiſtere in contemplatione ſubſtantiarū ſeparatarum, patet ex dictis nu. 147. Ariſtotelem nomine cōtemplationis vtrumque mentis actum comprehendiſſe.

149 Ad quartam, & vltimam benè reſpondet Scotus, admiſſo, quòd intellectus priùs cauſetur ab anima, quàm volūtas, argumentum conuincere oppoſitum illius, quòd intendit, ſcilicet, voluntatem eſſe perfectiorem intellectu, quia vt nu. 139. dicebamus ex Philoſopho 9. Metaph. tex. 15. *poſterius generatione eſt prius perfectione*; & dicitur notanter, *admiſſo, quòd intellectus priùs cauſetur ab anima, quàm voluntas*; nam in ſententia eiuſdem Scoti, & quam nos ſequimur de identitate reali intellectus, & voluntatis, tam inter ſe, quàm ad animam, etſi admitti debeat, animam eſſe priorem, quàm intellectum, & voluntatem; & ſimiliter intellectum eſſe priorem voluntate in ſubſiſtendi conſequentia, & ad modum, quo in diuinis dicunt Theologi, eſſentialia eſſe priora notionalibus; nullo tamen modo admitti debet, quòd voluntas ab intellectu, & vtrumque ab anima realiter cauſentur, ſeu dependeant; quia implicationem involuit, quòd idem realiter cauſetur, & realiter dependeat à ſeipſo.

Digitized by Google

QVÆSTIO IV.

De potentia loco motiua.

1 PRo intelligentia quæſtionis notandum eſt ex Diu. Thoma opuſcul. 35. *de motu cordis*, in animantibus duplicem eſſe potentiam motiuam, vnam naturalem, & alteram animalem. Naturalis dicitur illa, quæ in ſua operatione non pendet à cognitione, vel appetitione; ſed ex ſolo impetu naturæ operatur; talis eſt potentia motiua, qua mouetur cor motu dilatationis, & conſtrictionis; atque etiam illa, qua mouentur imperfectiſſima animalia, ſaxis affixa, propria membra dilatando, vel contrahendo. Animalis verò illa dicitur, quæ non mouet, niſi præcedente cognitione, & appetitu, cuius actus proprius eſt motus progreſsiuus, & localis. In præſenti ergo ſolùm eſt ſermo de hac potentia animali, progreſſiua, ſeu loco motiua; nam prior potentia, etſi ſit vitalis, non eſt propria animalium, cũ ſuo modo etiam in plantis reperiatur.

2 Et in primis dubitari poteſt, quæ facultates animantium ad motum localem, ſeu progreſsiuum ipſorum concurrant? Cui reſpondendũ eſt, tres facultates concurrere, nimirum, *directiuam*, quę in brutis eſt æſtimatiua; in hominibus autem, non ſolùm æſtimatiua, ſed etiam, & præcipuè intellectiua. Concurrit *impulſiua*, quæ in brutis eſt appetitus ſenſitiuus; in hominibus verò, non ſolùm appetitus ſenſitiuus, ſed etiam, & præcipuè appetitus rationalis, ſeu voluntas. Concurrit *executiua*, quæ eſt quædã facultas inhærens in membris, quæ motum proximè exequitur; ita Ariſtoteles hoc in libro cap. 4. textu 16. & cap. 10. textu 48. & 52. & ab omnibus recepta.

3 Ratio huius doctrinæ eſt, quia animalia mouentur motu progreſsiuo, ſeu locali ad quærenda ſibi conuenientia, vel fugienda ſibi noxia: ergo ex appetitu, quo ea appetunt, vel fugiunt; ſed appetitus non operatur, niſi prævia cognitione, per quam proponitur ei obiectum conueniens, vel diſconueniens; ergo vtraque hæc potentia per proprium actum concurrit ad talem motum; intellectus, aut æſtimatiua per modum dirigentis; appetitus verò per modum imperantis, ſi ſit voluntas, vel impellentis, ſi ſit ſenſitiuus appetitus.

4 Quòd etiam facultas executiua in membris reſidens cõcurrat ad prædictum motum progreſsiuum, ſeu localem, ex eo patet, quia cognitione, & appetitione præſuppoſitis, reſtat difficultas ex par-

parte membrorum, quæ cum grauia ſint, & per grauitatem non inclinentur in talem motum, ſed potiùs impediantur, indigent virtute motiua intrinſeca, per quam talis difficultas ſuperetur, & ita moueantur.

5 Secundò dubitari poteſt, cuinam ex tribus prædictis facultatibus ratio formalis potentiæ loco motiuæ conueniat? Prima ſententia affirmat rationem formalem potentiæ loco motiuæ ſolùm competere facultati appetitiuæ, vt directæ à potentia cognoſcitiua; & fundamentum huius ſententiæ eſt, quia auctores illius ſuſtinent, in membris exterioribus non dari reſpectu motus localis aliquam virtutem actiuam; ſed ſolùm diſpoſitiuam ad recipiendum motum localem, phyſicè, & realiter cauſatum à potentia appetitiua directa à potentia cognoſcitiua; ita Salas 1.2. diſputat. 1. quæſt. 3. qui pro eadem ſententia citat Diu. Thomam 1. part. quæſtio. 75. artic. 3. ad 3. & quæſt. 78. articul. 1. ad 4. & Caietan. 3. de anima cap. 6. Fonſecam 9. Metaph. cap. 2. quæſt. 6. ſection. 2. 3. & 5. Capreolum in 2. diſt. 1. quæſt. 2. ad 3. Ferrarienſem 2. contra gentes cap. 82. Medinam 1. 2. quæſt. 9. artic. 1.

6 Fundamentum prædictæ ſententiæ probat Salas; primò, quia non ſunt multiplicandæ potentiæ actiuæ ſine vrgente neceſsitate; ſed nulla vrget neceſsitas ponendi in membris exterioribus aliquam potentiam phyſicè actiuam motus localis, diſtinctam à potentia appetitiua directa à cognitione; ergo in ſola potentia appetitiua directa à potentia cognoſcitiua ponenda eſt actu, & formaliter ratio potentiæ loco motiuæ. Minor probatur ex Ariſtotel. qui cap. 10. huius libri textu 54. vim localiter mouendi, ſolùm appetitui directo per cognitionem attribuit, verba Ariſtotelis ſunt, *Imaginatio quoque cum moueat, non mouet ſine appetitu vnum quid; igitur mouens ipſum appetitum*; & textu 54. appetitum ait, eſſe principium mouens; potentiam verò executiuam inſtrumentum.

7 Secundò probat, quia nulla pars agit in ſe ipſam actione tranſeunte; ergo nerui, muſculi, & lacerti non ſe mouent localiter per virtutem actiuã, in ipſis reſidentem, ſed à potentia appetitiua directa à cognoſcitiua, nullo organo affixa, vel in alio corporis mẽbro collocata. Et confirmatur, quia neque in Deo, neque in Angelis potentia loco motiua diſtinguitur ab intellectu, & voluntate; ergo idem dicendum erit in hominibus.

8 Sed hæc ſententia non placet; fũdatur enim in principio falſo, ſcilicet, in membris corporeis animalium non dari

virtutem phyſicè effectiuam motuum localium; oppoſitum enim tenet communis, & vera ſententia, quam vt certam ſupponit Scotus in 2. diſt. 42. quæſt. 4. §. *Ad quæſtionem tertiam.* Et expreſsè defendunt recentiores, & inter ipſos Suarez tomo 1. Metaph. diſputat. 18. ſect. 7. numer. 31. & Vazquez 1.2. diſputat. 34. cap. 2. eſtque expreſſa Ariſtotelis in hoc 3. de anima capit. 10 vbi poſtquam docuiſſet, quòd imaginatiua in brutis dirigit, & appetitus ſenſitiuus mouet, ſubdit, in ipſo corpore eſſe inſtrumentum ad huiuſmodi motum; conſtat autem, inſtrumentum motus non ſe habere paſsiuè ad motum, ſed actiuè.

9 Et probari poteſt; primò, quia ſi ſolus appetitus directus à cognitione eſſet cauſa effectiua motus localis, ſequeretur, non diſtingui in animantibus loco motiuum ab appetitiuo, ſenſitiuo, & intellectiuo; & conſequenter non eſſent tot gradus vitæ, aut tot potentiæ vitales, quot enumerauit Ariſtoteles 3. huius operis capit. 3. Secundò, quia in animalibus imperfectis eſt ſenſitiuum, & appetitiuum, & non loco motiuum. Rurſus in animalibus perfectis poteſt eſſe læſum organum ad motum localem, & non ad cognoſcendum, & appetendum; ergo potentia loco motiua diſtincta eſt in animalibus à cognoſcitiua, & appetitiua. Et denique tertiò, quia ſi corpora noſtra nullam actiuitatem haberent ad motum localem, ſed ſolùm paſsiuè illum reciperent à voluntate, & intellectu; ſequeretur perſeuerãte eadem intellectione, & volitione motus, nos eadem velocitate, moueri poſſe, cum vires corporales deficiunt, ac ſi integræ eſſent.

10 Neque obſtat, quòd aduerſarij reſpondent, ad motum localem animantium, licet nõ requiratur virtus effectiua in corporibus; requiri tamen aliquas diſpoſitiones ad recipiẽdum motum, & ita ex defectu iſtarum diſpoſitionum nõ poſſe nos ita velociter moueri, cũ ægrotamus, & debiles ſumus, ac cum valemus, & robuſti ſumus. Nam contra hoc eſt, quòd ad motum localem ex parte paſsi nulla alia diſpoſitio eſt requiſita, quàm quantitas corporis, etſi aliquid ampliùs, quã quantitas requiritur, ſolùm eſt, quòd grauitas paſsi ſit accommodata virtuti motiuæ; quia nõ poteſt quælibet virtus motiua mouere quamlibet grauitatem; ergo corpus eiuſdẽ grauitatis, ſiue languidum, ſiue robuſtum ſit, poſſet moueri eadẽ velocitate, ſi voluntas, & intellectus ſolũ eſſent principiũ actiuum motus localis, & non aliqua virtus actiua, reſidens in membris corporeis.

11 Ne-

Digitized by Google

11 Neque ſecundò obſtat, quòd anima ſit forma corporis & ideò indigeat debitis diſpoſitionibus, vt ſuas eliciat operationes; nam ſi virtus cognoſcitiua, & appetitiua ſolū eſſent principium motus localis, diſpoſitiones, quæ ſufficerent ad eodem modo intelligendū, & appetendum, ſufficerent etiā, ad mouendum eodem modo localiter; & ſic impertinenter ſe haberet ad hoc, quòd corpus eſſet languidum, vel robuſtum; ſicut impertinens eſt ad hoc, vt eodem modo homo intelligat, & appetat.

12 Rationes, quas in contrarium adducebat Salas, friuolæ ſunt; ad primam, conceſſa maiori, negamus minorem, ſcilicet, potentias cognoſcitiuas, & appetitiuas ſufficere ad motū localem; nam etiamſi reſpectu motus localis potentia cognoſcitiua ſit principium directiuū, & appetitiua impulſiuum, ſeu imperatiuum (& hoc eſt quod docuit Ariſtoteles loco in argumento citato, in quo ordine mouendi optimè appellauit potentiam executiuā motus instrumentum appetitus) nulla tamen ex his potentijs eſt executiua, ſeu elicitiua motus localis; ſed hoc provenit tantùmmodo à virtute quadā exiſtente in corporeis membris.

13 Ad ſecundum, in ſententia noſtra, & Scoti, quæ ſuſtinet, idem poſſe mouere ſe ipſum, licet non actione vniuoca, ſaltem actione æquiuoca, reſpōdetur facilè, negando antecedens; nam actio, qua quælibet pars animalis mouet ſe ipſam motu locali, non eſt vniuoca, ſed æquiuoca. In ſententia aliquorum Thomiſtarum, quæ ſuſtinet, ſaltem in actione immanente, idem poſſe mouere ſe ipſum, reſpondet Monteſinos, conceſſo antecedenti, negando conſequētiam; nam motus progreſsiuus, ſeu localis, quo animalia, vel quælibet pars eorum, ſe ipſa mouent, non eſt tranſiens, ſed immanens; aliàs, inquit, non eſſet vitalis. In ſententia denique aliorū, qui nullo genere actionis affirmant, idem poſſe mouere ſe ipſum, poteſt etiam reſponderi, in animali eſſe partes heterogenias, & diuerſæ rationis, quarum vna eſt executiua motus progreſsiui, ſeu localis, & non altera; & conſequenter vna per ſe mouens, & altera per ſe mota; quod ſi etiā pars per ſe mouens, & executiua motus mouetur, hoc eſſe per accidens, nimirum, quia continua eſt cum parte per ſe mota.

14 Ad confirmationem fatemur, in Deo, & in Angelis potentiā executiuā motus localis, non diſtingui ab intellectu, & voluntate; quia cū ſint purè ſpirituales, non apparet, quid aliud eſſe poſſit in eis potentia executiua prædicti motus; ſe-

cus tamen in animalibus, cum corporea ſint.

15 Secunda ſententia eſt aliorum, qui etiamſi non negent, ſed potiùs affirmēt, dari in mēbris corporeis animaliū virtutem actiuè, & phyſicè executiuam motus localis; dicunt tamen, appetitum directū à cognitione ſimul cum illa phyſicè concurrere ad productionem prædicti motus; & conſequenter potentiam loco motiuam, ſeu phyſicè productiuam motus localis, actu, & formaliter conſiſtere in vtraque iſta facultate; ita Conimbricenſes hic cap. 13. q. 5. art. 3. & alij.

16 Sed in explicādo, quo pacto iſtæ duæ facultates ſubordinentur, ſeu coniungantur ad phyſicè producendū motū localem, non eſt vnanimis conſenſus inter iſtos auctores; nam Conimbricenſes affirmāt, appetitū directū à cognitione cōcurrere, vt cauſam vniuerſalē; vim autem executiuā motus, quæ in mēbris reſidet, vt cauſam particularem. Alij verò dicunt, iſtas duas facultates cōcurrere, vt duas cauſas partiales, vnam totalem, & adæquatam conſtituentes ad modum, quo ex intellectu, & voluntate conſtituitur vna cauſa totalis, & adæquata volitionis, in ſententia eorum, qui affirmant, intellectum ſimul cum voluntate phyſicè concurrere ad volitionem.

17 Sed nobis tenendum eſt cum Ariſtotele, Scoto, alijſque auctoribus numer. 8. citatis, in membris animalium, quæ loco mouentur, non ſolùm dari virtutem phyſicè effectiuam motuum localiū; ſed etiam ab ipſa ſola prædictos motus phyſicè provenire; potentias verò cognoſcitiuam, & appetitiuā ſolùm moraliter in prædictos motus influere; cognoſcitiuā dirigendo appetitum; appetitiuā verò, mouēdo per impulſum, ſeu imperiū potentiā executiuam, quæ reſidet in membris ad ipſum motum phyſicè eliciendum; & conſequēter in ſola facultate executiua, quæ reſidet in membris animaliū, quæ loco mouentur, conſiſtere actu, & formaliter potentiā loco motiuam; & ideò meritò Ariſtotelem illam diſtinxiſſe à ſenſitiua, intellectiua, & appetitiua.

18 Prior pars noſtræ ſententiæ, ſcilicet, in membris animalium, quæ loco mouentur, dari virtutem phyſicè effectiuam motuum localium, ſatis probata manet ex refutatione primæ ſententiæ: ſecunda verò pars, videlicet, ab iſta ſola virtute phyſicè prædictos motus provenire; & conſequēter ipſam ſolam eſſe actu, & formaliter potentiam loco motiuam appellandam, non meliùs probari poteſt, quàm refellendo illos duos modos, quos excogitati ſunt ab auctoribus ſecundæ ſententiæ ad ſuſtinendum,

Digitized by Google

dum, etiam potentiam appetitiuam directam à cognoſcitiua phyſicè influere in motus locales.

19 Prior modus refelli poteſt, quia aliquid aſſumit, non ſolùm probatu, ſed etiam creditu difficillimum, ſcilicet, appetitum, ſeu voluntatem eſſe cauſam phyſicam vniuerſalem reſpectu motuum localium, qui à potentia loco motiua in membris reſidēti dimanant: ſequeretur enim ex hoc, à prædicta potentia loco motiua nullum motum localē dimanare poſſe abſque interuētione influxus actualis voluntatis; ſicut neque influere poſſunt cauſæ ſecundæ, & particulares in ſuas operationes abſque interuentione influxus actualis cauſæ vniuerſalis: conſequens autem falſum eſt, & contra experientiam, qua experimur, multos motus locales dimanare à potentia loco motiua, quæ reſidet in membris, abſque interuentione actualis influxus voluntatis, imò omnes, qui de facto fiunt cum interuentione actualis influxus voluntatis, potuiſſe eoſdem numero fieri ſine talis voluntatis interuentione.

20 Poſterior modus refellitur hac ratione; quotieſcumque aliqua cauſa ſecunda ſecundum virtutem, quam in ſe habet, eſt ſufficiens, & adæquatum principium alicuius effectus ſecundum totam rationē illius, non poteſt noua cauſa ſecunda, ſeu particularis ad illū effectum producendum ſimul accedere (aliàs idem numero effectus pēderet à duabus cauſis totalibus, & adæquatis; quod non ſolùm de facto non contingit, ſed etiam probabilior ſententia fert, implicationem involvere) ſed in ſententia, quæ ſuſtinet, in membris corporalibus animantium dari virtutem phyſicè effectiuam motus localis, diſtinctam ab intellectu, & voluntate, ſeu à cognitione ſenſitiua, & appetitu, membra corporalia per iſtam virtutem ſunt integrum, & adæquatum principium motus localis ſecundum totam rationem realem, & phyſicam, quæ in ipſis reperitur; ergo quamuis accedere poſsit potentia cognoſcitiua ad dirigendum appetitum, ſeu voluntatem; & ſimiliter appetitus, ſeu voluntas ad imperandum potentiæ loco motiuæ, ſeu illam impellendum, quæ eſt in membris corporalibus animalium, vt motus locales phyſicè producat, non verò ad ſimul cum ipſa motum localem phyſicè eliciendum, ſeu producendum.

21 Nec valet, quod aduerſarij reſpondent, ſcilicet, falſum eſſe, membra exteriora per virtutem phyſicè effectiuam motus localis, quæ eſt in ipſis, eſſe integrum, & adæquatum prin-

principium motus localis ſecundum omnem rationē phyſicam, & realem, quæ in motu reperitur; nam in motibus localibus, quando ſunt imperati à voluntate, reperitur (inquiunt) ratio liberi, reſpectu cuius membra exteriora per virtutem loco motiuam, quæ eſt in ipſis, non habent, quod ſint principia, cum ratio liberi in motu membrorum exteriorum ſolùm proveniat à voluntate.

22 Hoc, inquam, non valet; nam contra hoc eſt in primis, non eſſe certum, ſed in opinione poſitum, an ratio liberi in actibus imperatis à voluntate aliarum potentiarum ſit aliquid reale, & phyſicum in ipſis exiſtēs? Communior enim, & mihi probabilior eſt ſententia, quæ ſuſtinet, rationem liberi non eſſe aliquid reale, & phyſicum, intrinſecè exiſtens in prædictis actibus imperatis; ſed quid morale, & denominationem quandam extrinſecam, ab actibus voluntatis provenientem; ſicut eſt in obiecto eſſe volitum, eſſe cognitum, eſſe viſum, &c. Deinde dato, quòd ratio liberi eſſet, quid phyſicum, & realiter exiſtens in actibus imperatis aliarū potentiarum, non ideò dicēdum eſſet in motu locali provenire à voluntate phyſicè, ſed provenire ab intellectu, vt à potentia dirigente, & à voluntate, vt à potentia imperante, phyſica verò à potentia loco motiua exiſtente in membris corporeis hominis; nō ſecus, ac provenit ipſa ſubſtantia motus localis; quod declarari, & comprobari poteſt in eodem motu locali, in quo, quòd ſit circularis, vel quòd ſit rectus, omnes fatentur eſſe rationes modales phyſicas, & reales; & tamen nullus dicet, has rationes modales provenire ab intellectu, & voluntate, tanquam à principio phyſicè influente, licet revera ab intellectu, & voluntate proveniant; ſed omnes dicunt, ab intellectu provenire, vt a principio dirigente, & à voluntate, vt à principio imperante; à potentia verò loco motiua, vt a principio phyſicè influente, non ſecus, ac influit in ipſam ſubſtantiam talium motuum.

23 Vltimò dubitari poteſt, quænam ſit cauſa, ob quā potentia loco motiua reſidens in membris animalium, ita deſpoticè obediat tam voluntati, quàm appetitui ſenſitiuo, vt ſtante actu efficaci voluntatis, quo membris imperat, vt localiter moueantur, vel ſtante actu appetitus ſenſitiui, quo illa impellit ad localem motum, ſtatim prædicta membra, & ſine vlla reſiſtētia (niſi aliàs ſint impedita) per virtutem loco motiuam in ipſis reſidentem, prædictum motum localem exequantur, ſuppoſito (vt probatum eſt) quòd neque volun-

tas,

tas, neque appetitus ad prædictos motus locales phyſicè concurrant?

24 Huic dubitationi reſpondendum eſt, cauſam huius eſſe naturalem ſympathiam, & cōſenſionem, ac ſubordinationē, quam habent iſtæ potentiæ ex eo, quòd radicantur in eadem anima; ita Greg. de Arimino in 2. d. 11. quæſt. vnica, & eſt magis recepta inter recentiores; nam eam defendunt Vazquez 1. 2. diſput. 34. cap. 3. Valentia quæſt. 4. puncto 1. Monteſinos diſput. 13. quæſt. 4. & videtur mihi eſſe mentem Scoti in 2. diſt. 42. quæſt. 4. §. *Ad quæſtionē ſecundam*; licet enim ibi expreſsè non declaret, quo pacto potentiæ motiuæ moueantur à voluntate, tamen affirmando, vt affirmat, potentiam loco motiuam eſſe in obedientia ſeruili, & deſpotica voluntatis, & in tantum illi obedire, vt nullum membrum habile ad motum, niſi ſit aridum, illi reſiſtat, ſatis manifeſtè inſinuauit hoc noſtrum aſſertum. Nam ſuppoſito, quòd voluntas, vel appetitus non moueant potentias loco motiuas influendo phyſicè in earum operationes, ſeu motus, vt ex Scoto, & alijs ſtabilitum eſt, nulla alia poteſt aſſignari ratio, vel cauſa, ob quam potentiæ loco motiuæ deſpoticè, & abſque vlla reſiſtentia à voluntate, ſeu appetitu moueātur, præter iſtam ſympathiā; & hæc eſt fundamentalis ratio noſtri aſſerti.

25 Idem, quod dictum eſt de potentia loco motiua, dicendum eſt etiam de potentia intellectiua, & ſenſitiua interiori, nimirum, rationem, ſeu cauſam, ob quam deſpoticè, & ſine mora (quando adſunt, tam in intellectu, quā in ſenſu interiori omnia requiſita ad ſuas functiones exercendas) obediunt imperio voluntatis, non eſſe aliquem influxum phyſicum, per quem voluntas influat in ipſarum operationem, ſed eſſe naturalem ſympathiā, & conſenſionem, ac ſubordinationem, quam habent iſtæ potentiæ ex eo, quòd radicentur in eadem anima. Et dixi notanter (quando adſunt tam in intellectu, quàm in ſenſu interiori omnia requiſita ad ſuas functiones exercendas) quia ad producendam intellectionem, vel ſenſationem internā non ſufficit ſola potentia intellectiua, vel ſenſitiua, ſed etiam requiruntur ſpecies intentionales, & cōtingere poteſt, imò multoties contingit, quòd quādo voluntas imperat intellectui, vel ſenſibus internis, vt circa aliquod obiectum operentur, neque in intellectu, neque in ſenſu interiori ſint ſpecies intentionales illius, & cōſequenter, quòd neque intellectus, neque ſenſus internus deſpoticè, & ſine mora voluntati obediant, quouſque voluntas imperet potentiæ loco motiuæ,

uæ, vt applicet prædictum obiectum alicui ſenſui ex exterioribus; aut ècontra aliquem ex ſenſibus exterioribus prædicto obiecto, vt ipſo ſenſato, emittat ſpeciem intẽtionalem ſui in ſenſum internum, & inde miniſterio intellectus agentis in intellectum paſſibilem, vt ſic tam intellectus, quàm ſenſus internus habeant omnia requiſita ad functiones ſuas exercendas, & conſequenter apta ſint imperio voluntatis obedire.

26 His addit Scotus loco ſecundi citato §. *Ad quæſtionem tertiam*, & §. *Reſpondeo*, propoſitione 3. & §. *Ad argumenta*, in ſolutione 3. alium modum, ſecundum quem potentiæ, tam ſenſitiuæ, quàm intellectiuæ dici poſſunt eſſe ſubiectas motioni voluntatis, nimirũ, quoad intenſionem, ſeu remiſſionem ſuorum actuum, quod non dicit prouenire ex ſympathia harum potentiarum, neque ex applicatione obiectorum, & aliarum conditionum in prædictis potentijs ad agẽdum requiſitarum; ſed ex eo, quòd complacente voluntate in obiecta operationum iſtarum potentiarum, prædictæ potentiæ in ſuis operationibus firmãtur, & ipſæ operationes intẽdũtur; ècontra verò diſplicente voluntate circa obiecta operationum iſtarum potẽtiarum, prædictæ potentiæ in ſuis operationibus infirmantur, & ipſæ operationes remittuntur.

27 Et præter experientiam, qua vnuſquiſque in ſe experitur, exiſtente aliqua cognitione, vel ſenſatione alicuius obiecti, prædictam cognitionem, vel ſenſationem intendi, & perfici per hoc ſolum, quod voluntas complaceat in tali cognitione, vel ſenſatione, & in obiectis earum; & ècontrario remitti, & quaſi attenuari per hoc ſolum, quòd talis cognitio, vel ſenſatio, earumque obiecta ſibi diſpliceant; probat Scotus ex illo recepto axiomate, *virtus vnita fortior eſt ſe ipſa diſperſa*. Nam cum voluntas ſibi complacet in operatione, & obiecto ſenſus, vel intellectus, virtus, quam habet anima, tam ad volendum, quàm ad intelligendum, vel ſentiendum, magis vnita eſt, ac quando verſatur voluntas circa diuerſum obiectum: ac per conſequens non mirum, quòd potentiæ intellectiuæ, vel ſenſitiuę fortiùs, & intenſiùs operentur, quando voluntas complacet in earum operationibus, & obiectis, ac quando non habet talem cõplacentiam, ſed potius diuertitur ad oppoſitum.

28 Sed contra iſtam additionẽ Scoti inſurgit Vazquez loco ſupra citato cap. 1. intendens probare, falſum eſſe id, quod in ipſa aſſumit Scotus, nimirum, potentias eiuſdem agentis firmari, ſeu fortiùs, & intenſiùs operari, ex eo quòd ver-

verſentur ſimul circa idem obiectum; primò, quia cum intellectus & voluntas nimis attendũt ad, opus nutritionis, potentia nutritiua, tantùm abeſt, vt in ſua operatione firmetur, & intenſiùs operetur, quòd potiùs infirmatur, & remiſſiùs ſuam operationem exercet, vt teſtatur experientia. Secundò, quia ſtante iſta doctrina Scoti, aſſerendum eſſet, quod, ſicut intellectus, & ſenſus firmantur in ſuis operationibus, ex eo quòd voluntas ſimul cum illis operetur circa idem obiectum; ita è contrario voluntatem firmari in ſua operatione, ex eo quòd intellectus, vel ſenſus ſimul cum illa circa idem obiectum operentur; & conſequenter ſicut propter primum affirmat Scotus, ſenſus, & intellectum moueri à voluntate quoad intenſiorem, vel remiſsiorem operationem; ita propter ſecundum ſubſtinere cogitur, voluntatem moueri à ſenſibus, vel intellectu quoad intenſiorem, vel remiſsiorem actum; quod nullus admittit.

29 Sed hæc ad infringendam doctrinam Scoti, deſumptam ex illo recepto principio, *virtus vnita fortior eſt ſe ipſa diſperſa*, leuia ſunt. Ad primum deſumptum ex inſtantia nutritionis reſpondemus, ex nimia attentione intellectus, & voluntatis circa opus nutritionis, non infirmari potentiam nutritiuam in ſua operatione per ſe, & quantum eſt ex nimia attentione intellectus, & complacentia voluntatis; ſed potius firmari, ſicut & firmantur ceteræ potentiæ, quæ neceſſariò, ſeu naturaliter operantur; ſed infirmitatem, quam in prædicto caſu experimur, provenire per accidens, nimirùm, quia dum nimis intellectus attendit ad nutritionem, aſtringitur, & cogitur etiam potentia ſenſitiua ad attendendum circa idem obiectũ, & cum potentia iſta ſit corporea, & pendens ab organo, & ſpiritibus vitalibus, fit, vt per nimiam eius attentionem attrahantur ſpiritus vitales, neceſſarij ad hoc, vt ipſa operetur, ex alijs partibus; & conſequenter ex partibus, vbi neceſſarij erant ad nutritionem; & hinc provenire potentiam nutritiuam infirmari ex defectu, ſcilicet, ſpirituum vitaliũ, à quibus in ſua operatione dependet.

30 Ad ſecundum dicimus, quòd etiamſi ex conſortio voluntatis cum intellectu, vel ſenſibus in operando circa idẽ obiectum, non ſolùm virtus intellectiua, vel ſenſitiua, ſed etiam volitiua ſit magis vnita, & conſequenter fortior ad operandum; nihilominus non dici voluntatem moueri ad intenſiùs operandum ab intellectu, vel ſenſibus; ſicut è contra intellectus, vel ſenſus dicun-

cuntur moueri à voluntate, duplici cauſa; prima, quia adhuc poſita in virtute voluntatis iſta maiori fortitudine ad operandum, proveniente ex conſortio operationum aliarum potentiarum circa idem obiectum, ſicut relinquitur in poteſtate voluntatis, quòd actualiter operetur, vel nō operetur circa prædictum obiectum; ita & quòd totam ſuam virtutem, vel partem illius ſolùm applicet; ac per cōſequēs exercitium operationis intenſioris, vel remiſsioris reducitur immediatè in ipſam, tanquam in cauſam, & nō in alias potentias, quæ ſimul cum illa operantur. Secunda, quia in poteſtate volūtatis poſitum eſt ob eius libertatem, quòd intellectus, & ſenſus operentur ſimul cum ipſa circa idem obiectum, & non è contra; & conſequenter quòd tam ipſa ex conſortio aliarum potentiarum, quàm aliæ potentiæ ex conſortio cum volūtate in operando circa idem obiectū in ſuis operationibus firmentur, & perficiantur.

DISPVTATIO SEPTIMA.

Et vltima de anima rationali in ſtatu ſeparationis à corpore.

ABſolutis tribus libris, in quibus cum Ariſtotele diſputauimus de his, quæ ad eſſentiam animæ, illiuſque proprietates pertinent; diſputandum ſolùm ſupereſt de ſtatu, quem anima noſtra rationalis habebit poſt receſſum à corpore: quæ diſputatio in illa ſola locum habet, quia ſola immortalis eſt; de qua re Ariſtoteles nihil ſcripſit; non tamen ideò res hæc aliena cenſenda eſt ab hoc tractatu, quia verè pertinet ad perfectam notitiam habendam de anima noſtra rationali. Sunt autem ſex ſcitu digna, quæ de anima rationali in ſtatu ſeparationis deſiderari poſſunt: primum, *An prædictus ſtatus ſit animæ rationali naturalis, an violentus?* Secundum, *An ſpecies, atque habitus in intellectu, & voluntate animæ coniunctæ reſidentes, eandem à corpore ſeparatam comitentur?* Tertium, *An anima in ſtatu ſeparationis recipiat nouas ſpecies?* Quartum, *De modo actualiter cognoſcendi animæ ſeparatæ.* Quintum, *De obiectis cognitionis animæ ſeparatæ.* Sextum, *De loco, & motu locali ipſius.*

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

An ſtatus ſeparationis ſit animæ rationali naturalis, an violentus?

1 PRo intelligentia quæſtionis primò ſupponendum eſt, vt certum (non obſtante, quòd ab aliquibus in dubium reuocetur) ex vi ſeparationis animæ rationalis à corpore, quæ fit, quando moritur homo, nihil abſolutum acquirere, vel dimittere animam rationalem; ſed ſolùm dimittere informationem, ſeu vnionem, quam habebat cum corpore, quæ informatio, ſeu vnio in noſtra, & Scoti ſententia non conſiſtit formaliter in aliquo abſoluto; ſed in duplici reſpectu ex extrinſecis aduenientibus, nimirum, tranſmutantis formaliter ad tranſmutatum, quem dicit anima ad corpus, & tranſmutati ad tranſmutans formaliter, quam dicit corpus ad animam; ad quas relationes poſſe dari per ſe motum, ſeu mutationem, non obſtante, quòd ex Ariſtotele ad relationes intrinſecus aduenientes nõ detur per ſe motus, ſæpè cum Scoto in his commentarijs ſtatuimus.

2 Secundò ſupponendum eſt ex Scoto in 4. diſt. 43. quæſt. 4. §. *Intelligendum eſt*, tripliciter poſſe aliquid appellari naturale; primò, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra ſupernaturale, & hoc pacto naturale dicitur tale per ordinem ad efficiens, non ſecus, ac ſupernaturale: quod enim provenit à cauſa naturali naturale dicitur; ſicut è contra, quod provenit à cauſa ſupernaturali dicitur ſupernaturale.

3 Secundò, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra liberũ; & hoc etiam pacto, naturale dicitur tale per ordinem ad efficiens, non ſecus, ac liberum: quod enim provenit à cauſa natura ſua ad agendum determinata, naturale dicitur, ſicut è contra, quod provenit à cauſa natura ſua ad agendum libera, & indeterminata, liberum appellatur. Et in hoc ſenſu, inquit Scotus, ſumpſit Ariſtoteles *naturale* 2. libro Phyſicorum textu 49. diuidens naturam contra agens à propoſito, & 9. Metaph. cap. 2. & 4. diuidens potentiam actiuam immediatè in liberam, & naturalem.

4 Tertiò, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra violentũ; quo pacto naturale non dicitur

tur tale per ordinē ad efficiens, à quo producitur, ſicut neque violentum; ſed in ordine ad paſſum, ſeu ſubiectum, in quo recipiũtur (vt ex profeſſo cum Scoto docuimus 2. libro Phyſicorum diſp. 1. quæſt. 4. explicando definitionem naturæ traditā ab Ariſtotele) quando enim id, quod recipitur in aliquo ſubiecto, eſt ſecūdum propriam, & internam inclinationem, ſeu propenſionem ſubiecti, in quo recipitur, dicitur tali ſubiecto naturale, vt calor reſpectu ignis, frigiditas reſpectu aquæ, motus deorſum reſpectu grauis, motus ſurſum reſpectu leuis, &c. Quando verò eſt contrarium eius, ad quod ſubiectum dicit internam, & innatam inclinationem, ſeu propenſionem, dicitur eſſe tali ſubiecto violentum, vt frigiditas reſpectu ignis, calor reſpectu aquæ, motus deorſum reſpectu leuis, motus ſurſum reſpectu grauis, &c. Et quia contingere ſolet, paſſum non dicere inclinationem, ſeu propenſionem naturalem ad formā, quam in ſe recipit, neque ad oppoſitam illius, vt contingit in ſuperficie reſpectu albedinis; hinc colligit Scotus, inter naturale, & violentum dari medium, id eſt, aliquid, quod ſit neutrum eorum, quia neque naturale, neque violentum ſed neutrum. Et hinc etiam colligit, materiam primam ex ſe ſub nulla forma ſubſtantiali poſſe pati violentiam; quia etiamſi dicat inclinationem, & propenſionem naturalem ad recipiendas formas ſubſtantiales; ſed non determinatè magis ad iſtam, quàm ad illam.

5 Ad rem ergo; cum in hac quæſtione inquirimus, an ſtatus ſeparationis ſit animæ rationali naturalis, an violentus? non ſumitur naturale, vt opponitur ſupernaturali, neque etiā, vt opponitur libero; ſed vt naturale opponitur violento; & in hoc ſenſu conueniunt omnes, vt ſaluetur integritas, & pulchritudo vniuerſi, naturale eſſe, quòd animæ vniantur ſuis corporibus, ſaltem temporaliter, quia id poſtulat natura vniuerſi, quæ ex hominibus, tanquam ex principaliori parte coaleſcit. Vndè quæſtio ſolum eſt de peculiari inclinatione ipſius animæ; quia particularis inclinatio ſæpè eſt contraria inclinationi vniuerſi, vt patet in aſcenſu aquæ, ne detur vacuum, qui teſte Scoto in 3. diſt. 27. num. 13. eſt aquæ violentus, licet reſpectu boni vniuerſi cuius aqua eſt pars, ſit aquæ talis aſcenſus naturalis.

6 Circa propoſitam quæſtionem plures reperio ſententias; prima fuit Platonis, qui voluit, animas noſtras fuiſſe ante corpora procreatas, & ad ſupplicium fuiſſe in corpora detruſas, & conſequenter, ſtatum ſeparationis eſſe animabus noſtris

ſtris naturale; coniunctionis verò ad corpus violentum. Secunda eſt Diu. Thomæ, qui 1. part. quæſt. 118. artic. 3. & librò 4. contra gentes, cap. 79. ſupponens, ſtatum coniunctionis eſſe ſimpliciter connaturalem animæ, de ſtatu ſeparationis docet eſſe contra naturalem inclinationem animæ, & conſequenter animæ violentum, vt explicat, & defendit Ferrara 2. contra gentes. Tertia ſententia eſt, quæ tribuitur Auicenæ 9. Metaphiſ. cap. 1. qui etiamſi ſupponat contra Platonem, animam ab initio infundi corpori; nihilominus ſuſtinet, ſtatum eius connaturalem eſſe ſtatum ſeparationis; coniunctionis verò ſtatum conuenire animæ, ſicut ordinatum ad ſtatum ſeparationis, admodum, quo ordinatur in ipſo homine ſtatus pueritiæ ad ſtatum ſolidiorem, & perfectiorem. Quarta ſententia eſt, quæ communiter tribuitur Scoto in 4. diſtinct. 43. quæſtio. 2. hæc affirmat, vtrumque ſtatum eſſe animæ connaturalem, & conſequenter in nullo quieſcere violenter, quam etiam amplectitur Suarez libro 6. de anima cap. 9. addens, magis connaturalem eſſe ſtatum coniunctionis, atque adeò minus conſentaneum illi eſſe ſtatum ſeparationis. Quinta ſententia ſuſtinet, ſtatum ſeparationis neque eſſe naturalem, neque violentum animæ, ſed neutrum; quia nec iuxta, nec contra eius inclinationem naturalem; ita explicāt Conimbricenſes tractatu de anima ſeparata diſput. 2. articul. 2. & in eundem ſenſum trahunt modum loquendi D. Thomæ. Sexta demum ſentētia eſt Auerſæ quæſtio, 59. *de ſtatu ſeparationis animæ*, ſect. 1. qui diſtinctione vtitur; affirmat enim, animam rationalem tripliciter conſiderari poſſe; primò, quatenus ex natura ſua eſt independens à materia, & apta ſeparata exiſtere, & vt ſic ſtatum ſeparationis poſſe dici ei naturalem. Secundò, quatenus eſt vera forma corporis, apta cum illo ſubſtātiam completam, ſcilicet, hominem, componere, & vt ſic ſtatum ſeparationis eſſe illi violentum. Tertiò ſimpliciter, & abſolutè, inquantum, ſcilicet, eſt quædam ſubſtantia intellectiua, & vt ſic habere ſe indifferēter tam ad ſtatum coniunctionis, quàm ſeparationis; quia in vtroque eſt apta intelligere, neque ſecundum eam præciſè rationem vnum, aut alium ſtatum ſibi determinare.

7 Sed in hac multiplici opinionum varietate dico primò; ſtatus coniunctionis animæ rationalis ad corpus corruptibile toto tempore, quo durat, eſt illi naturalis, & nullo modo violentus; in hac concluſione cōueniunt omnes aucto-

res citati, vno excepto Platone, qui deceptus errore de productione animarum ante corpora, erroneè etiam oppoſitum affirmauit: ratio efficax, & fundamentalis eſt, quia intrinſecum eſt animæ eſſe actũ, ſeu formam corporis phyſici, & organici, & conſequenter corruptibilis; ergo informare, ſeu vniri corpori corruptibili, erit ei connaturale, & ſecundum propenſionem, & inclinationem ſuæ naturæ.

8 Dices; per vnionem animæ rationalis ad corpus materiale, & corruptibile priuatur anima cognitione perfecta ſubſtantiarum, tam materialium, quàm ſpiritualium, & aliorum plurimorum, ad quorum cognitionem recipiendam ineſt animæ rationali propenſio, & inclinatio naturalis; ergo ſtatus iſte coniunctionis, ſeu vnionis animæ rationalis ad corpus materiale, & corruptibile erit animæ rationali violentus.

9 Reſpondetur, ad violentum non ſufficere, quòd aliquid ſit contra propenſionem, & inclinationem naturalem paſſi, ſed etiam requiri ab Ariſtotele 3. ethicorum c. 3. quòd à principio extrinſeco proueniat: conſtat autem, priuationem cognitionis perfectæ ſubſtantiarum, tam materialium, quàm ſpiritualium, &c. quam habet anima rationalis in ſtatu coniunctionis, ſeu vnionis ad corpus materiale, & corruptibile, etſi ſit contra propenſionem, & inclinationem naturalem animæ rationalis; non tamen provenire à principio extrinſeco, ſed potiùs à principio intrinſeco, cũ proveniat à coniunctione, & vnione animæ rationalis ad corpus materiale, & corruptibile, ad quam anima rationalis extrinſeca natura ſua dicit propenſionem, & inclinationem naturalem, ſaltem pro tempore, quo durat; quod declarari, & confirmari poteſt inſtantia paruulorum, qui vſu rationis carent, quæ carentia, etſi ſit contra propenſionem, & inclinationem naturalem, quam habent animæ rationales ipſorum ad ratiocinandum; non tamen dicuntur animæ ipſorum pro tunc pati violentiam, quia illa carentia non provenit ab extrinſeco, ſed potiùs ab intrinſeca, & cõnaturali ratione illius ſtatus paruulorum.

10 Dico ſecundo; ſtatus ſeparationis à corpore corruptibili eſt animæ rationali connaturalis ſecundariò; eſt contra ſecundam, & quintam ſententiam: colligitur ex Scoto loco ſupra citato, §. *De tertia*, num. 15. & præter Suarez, tenent etiam hanc ſententiam Hugo Cauellus diſput. 4. de *anima ſeparata*, ſect. 1. num. 3. & Auicena pro tertia ſententia citatus; ratio eſt, quia anima ra-

Digitized by Google

rationalis, etſi primò condita ſit à Deo ad informandum, & viuificandum corpus hominis, quod ex limo terræ formauerat, iuxta illud Geneſis 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem*; & ideò ſupra num. 7. dicebamus, ſtatum cõiunctionis animæ rationalis ad corpus materiale, & corruptibile, eſſe ipſi animæ primariò connaturalem, & nullo modo violentum; tamen cum natura ſua incorruptibilis, & immortalis ſit; corpus autem, quod informat, corruptibile, & mortale, ideòque nõ petat illud inamiſſibiliter, ſed potius amiſſibiliter informare, ſecundariò naturaliter petit, vt cum ab iſto corpore ſeparatur, in ſtatu ſeparationis permaneat. Et confirmatur, quia animæ rationali debetur ex natura ſua perpetua duratio, ſed non in corpore, quod de ſe eſt mortale, & corruptibile; ergo extra illud.

11 Dico tertiò; ſtatus ſeparationis animæ rationalis à corpore corruptibili non eſt illi violentus; ita Scotus, & alij auctores numero præcedenti citati; & quo adhoc conueniũt etiam nobiſcum Conimbricẽſes pro quinta ſententia adducti; eſt tamen contra auctores ſecundæ ſententiæ, & etiam ex parte contra Auerſam citatũ pro ſexta ſententia. Colligitur ex præcedenti aſſerto, nam ſi, vt ibi ſtatuimus, ſtatus ſeparationis eſt animæ rationali cõnaturalis, conſequenter non poterit eſſe violentus; nam cõnaturale, & violentum oppoſita ſunt.

12 Obijcies primò; Anima eſt pars hominis; ſed pars ſeparata à toto eſt imperfecta; ergo & violenta. Reſpondet Scotus, minorem eſſe veram, quando pars recipit in ſuo eſſe perfectionem à toto; ſecus verò ſi perfectionem in ſuo eſſe à toto non recipiat, ſed potius tribuat perfectionẽ ipſi toto, & hoc cõtingere in anima rationali, quæ ſicut in ſuo eſſe non dependet à toto, ſed potius totum in ſuo eſſe depẽdet ab illa; ita in ſuo eſſe non recipit à toto perfectionem, ſed potius totũ illam recipit ab ipſa.

13 Obijcies ſecundo; ſtatus cõiunctionis cum corpore materiali, & corruptibili eſt animæ rationali connaturalis, vt dictum eſt in primo aſſerto; ergo ſtatus ſeparationis à prædicto corpore, cum conſiſtat in priuatione illius, erit animæ rationali violentus. Reſpondetur, quòd ſi ſtatus coniunctionis animæ rationalis cum corpore corruptibili (quem poſuimus in primo aſſerto animæ rationali connaturalem) foret natura ſua inamiſſibilis, & incorruptibilis, concluderet argumentum; ſed quia natura ſua potius ex poſcit, eſſe

 ami-

amiſsibilem,& corruptibilem, & ex alia parte anima rationalis natura ſua eſt incorruptibilis, & immortalis, potiùs argumentum oppoſitum conuincere, nimirum, ſtatum ſeparationis animæ rationalis à corpore corruptibili, & perſeuerantiam in illo eſſe animæ rationali, licet ſecundariò, connaturaliter debitum.

14 Sed quid dicendum eſt de appetitu, tam innato, quàm elicito animæ ſeparatæ reſpectu reunionis ad corpus? Dico quartò; licet ſtatus coniunctionis ad corpus corruptibile ſit animæ rationali à principio ſuæ conditionis connaturalis eo modo, quo in primo aſſerto dictum eſt, nihilominus in ſtatu ſeparationis à corpore corruptibili non dicit ad reunionem cum illo, neque appetitū innatū, neque appetitum elicitum ordinatum; colligitur ex Scoto loco citato, §. *De tertio,* vbi ait, animam rationalē propriè non inclinari naturaliter ad vnionē cum corpore corruptibili, vel ſi ſic inclinatur, eius appetitū fuiſſe ſatiatū per hoc, quòd ſemel illud informauit: ſentit ergo, in anima ſeparata nō manere appetitū innatum ad reunionem cum corpore corruptibili, quod ſemel informauit.

15 Ratio à priori eſt, quia nulla res appetit, neque appetitu innato, neque appetitu elicito (niſi fortè appetitus elicitus inordinatus ſit) minùs bonum, derelinquendo maius bonum; ſed reſpectu animæ rationalis ſtatus ſeparationis à corpore corruptibili eſt maius bonum, quā ſtatus coniunctionis cum illo; ergo in ſtatu ſeparationis animæ rationalis à corpore corruptibili, nō poterit eſſe in illa neque appetitus innatus, neq; elicitus ordinatus ad reunionē cū corpore corruptibili. Minor probatur, nā ille ſtatus reſpectu animæ rationalis reputatur maius bonū illius, in quo anima rationalis reperitur aptior, & expeditior, tā ad intelligendū, quàm ad perſeuerādū in actibus intellectus; ſtatū verò ſeparationis animæ à corpore corruptibili eſſe magis aptam, & expeditam, tam ad intelligendum, quā ad perſeuerandum in actibus intellectus, non ſolùm admittitur ab omnibus, ſed etiam colligitur ex illo Sapientiæ 9. *Corpus, quod corrumpitur aggrabat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum, multa cogitantem.*

16 Dico quintò; anima ſeparata à corpore corruptibili dicit inclinationem naturalem, ſeu appetitum innatum ad ſtatum reunionis cum corpore immortali, & incorruptibili; ita Scotus in 4. diſt. 43. quæſt. 4. ratio efficax eſt, quia, vt in primo aſſerto dicebamus, cum intrinſecum ſit animæ rationali eſſe actū corporis phyſici, & organici, negari nō po-

poteſt, quòd informare, ſeu vniri corpori ſit illi connaturale, & ſecundùm inclinationem paſsiuā ſuæ naturæ; ergo dū eſt ſeparata à corpore dicit inclinationem paſsiuam naturalē, ſeu appetitum innatum ad reunionem cum corpore; ſed nō cum corpore mortali, & corruptibili, vt in quarto aſſerto præcedenti oſtenſum eſt; ergo cum corpore immortali, & incorruptibili.

17 Confirmatur, & declaratur amplius; ideò in aſſerto quarto præcedenti negabamus cum Scoto, animam ſeparatam dicere inclinationē naturalem, ſeu appetitum innatum ad reunionem cum corpore mortali, & corruptibili, non obſtante, quòd ſtatus coniunctionis cū corpore mortali, & corruptibili, quem habet anima, à prima ſua conditione, & toto tempore, quo durat, ſit ipſi animæ connaturalis, quia ſtatus ſeparationis, qui eſt etiā connaturalis animæ, eſt ipſi animæ maius bonum, quàm ſtatus coniunctionis cum corpore mortali, & corruptibili, & nulla res appetit appetitu innato minus bonum derelinquendo maius bonum, quod poſsidet; ſed vnio animæ rationalis cum corpore immortali, & incorruptibili eſt maius bonum animæ rationalis, quàm ſtatus ſeparationis à corpore, cum non ſolùm non aggrauet animam, neque illam impediat, quòd perfectiſsimè elicere poſsit omnium intellectiones, quas elicere poteſt in ſtatu ſeparationis; ſed etiam tribuat animæ, quòd elicere poſſit ſenſationes, aliaſque operationes dependentes ab organo corporeo, quas in ſtatu ſeparationis elicere non poterat; ergo è contrario fatendum erit, in anima ſeparata ineſſe inclinationem paſsiuam naturalem, ſeu appetitum innatum ad vnionem, ſeu coniunctionem cum corpore incorruptibili, & immortali.

18 Sed obijciunt aliqui Thomiſtæ, quibus hoc quintum aſſertum minimè placet, ſequi ex eo reſurrectionem eſſe animæ rationali naturalem. Sed huic obiectioni facillimè reſpondet Scotus ſub hac diſtinctione; ſequitur reſurrectionē eſſe animæ rationali naturalē, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra violentum, verum eſt, imò hoc eſt noſtrum aſſertum; ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra ſupernaturale falſum eſt; nam optimè ſtat, quòd aliqua forma ſit naturalis alicui ſubiecto, vt naturale diſtinguitur contra violentum; & nihilominus quòd ſit ſupernaturalis quoad executionem, & in ordine ad efficiens, vt docet Scotus, non ſolùm loco citato, ſed etiā quæſtio. 1. prologi, vbi etiam *ad primum principale*, num. 25 docet, Deum clarè viſum eſſe finem no-

noſtrum naturalem, vt naturale ſumitur contra violentū; ſed non naturaliter attingibilem, ſed potius ſupernaturaliter. Vndè inferre, vt inferunt Thomiſtæ, reſurrectionem eſſe animæ naturalem, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra ſupernaturale, & in ordine ad efficiens, ex eo, quòd nos cum Scoto affirmamus, eſſe naturalem animæ, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra violentum, & in ordine ad ſubiectū, paralogiſmus, & fallacia *accidentis* eſt.

19 Dico vltimò; animæ ſeparatæ appetitu elicito appetunt reunionem ad ſua corpora in ſtatu immortali, & incorruptibili, vt erunt poſt reſurrectionem; ſed cum hoc diſcrimine, quòd ſi talem vnionem non agnoſcant eſſe poſsibilem, vt non agnoſcunt ſolo lumine naturali, actus elicitus, quo illam appetunt, ſolùm erit inefficax, ſeu conditionatus, vt docet Scotus in 2. diſt. 6. quæſt. 1. §. *Ad argumenta*: at ſi illam agnoſcant, vt de facto illam agnoſcunt beatæ animæ lumine ſupernaturali, non ſolùm, vt poſsibilem, ſed etiam, vt aliquando futuram, actus elicitus, quo illam appetunt, erit efficax, & abſolutus, iuxta illud Apocalypſis cap. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum, & clamabant, vſque quo Domine non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum*? Et ratio in promptu eſt, quia cognoſcunt fore, vt reuniantur corporibus, in quibus omnem perfectionem aſſequuntur, & nulla priuantur. Neque ideò nunc violentiam patiuntur eo, quòd illis vnio ad prædicta corpora dilatetur, quia cognoſcunt, hoc pendere ex libera voluntate Dei, cui libenter ſe ſubmittunt.

20 Ex dictis, & diſcuſsis in hac quæſtione facilè colligi poteſt, quem ordinem perfectionis obſeruent inter ſe hi tres ſtatus animæ rationalis, ſcilicet, coniunctionis cum corpore corruptibili, ſeparationis à corpore corruptibili, & reunionis ad corpus incorruptibile, ſuppoſito, vt probatū eſt, quòd omnes ſint animæ rationali naturales, ſumpto naturali, vt opponitur violento. Dicendum eſt enim, animam in eis procedere, quaſi ab imperfecto ad perfectum: nam in primo ſtatu coniunctionis cum corpore corruptibili, etſi vtatur ratione, ſed imperfectè, & quaſi in via ad ſtatum perfectiorem: in ſecundo ſtatu ſeparationis à corpore corruptibili ſubire naturalem conditionē, maioremque intelligendi perfectionem acquirere, & demū in tertio, & vltimo ſtatu reunionis, ad corpus incorruptibile nanciſci omnem ſuam perfectionem.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

An ſpecies, atque habitus in intellectu, & voluntate animæ coniunctæ reſidentes, eandem à corpore ſeparatam comitentur?

1 NOn inquirimus de potẽtijs animæ, an ipſam animam ſeparatam concomitentur? quia in ſententia noſtra, & Scoti, quæ ſuſtinet, potentias animæ non organicas, vt ſunt intellectus, & voluntas, eſſe idem realiter cum illa; potentias verò animæ organicas, vt ſunt ſenſitiuæ, appetitiuæ ſenſum conſequentes, & vegetatiuæ, eſſe idem realiter, non cum anima, ſed cum illo organo ſubſtantiali corporeo, & animato, in quo reſident; ita certum eſſe debet, potentias nõ organicas concomitari animã ſeparatam, ac certum, & indubitatum eſt, animam ſeparatã concomitari ſe ipſam; & è cõtra potentias organicas non concomitari animam ſeparatam, ac certum eſt, animam ſeparatam à corpore organico, ipſum corpus organicum, à quo ſeparatur, illam non concomitari.

2 Neque etiam inquirimus, an ſpecies intentionales ſenſitiuæ, quæ erant in potentijs ſenſitiuis animæ coniunctæ reſidentes, & ſimiliter habitus ipſarum, ipſam animam in ſtatu ſeparationis concomitentur; nam cum prædictæ ſpecies intentionales, & prædicti habitus ſint in potẽtijs ſenſitiuis, tãquam in ſubiecto, ſi potentiæ ſenſitiuæ, vt dictũ eſt, animam ſeparatã non concomitantur, neque etiã prædictæ ſpecies intentionales, & prædicti habitus animã ipſam ſeparatã concomitari poterunt; nã manifeſtũ eſt, accidẽtia ſine ſubiecto perſiſtere nõ poſſe. Solũ ergo procedit quæſtio de ſpeciebus intentionalibus intelligibilibus, & de habitibus in intellectu, & voluntate animæ cõiunctæ reſidentibus, tanquã in ſubiecto, an iſtæ ſpecies, & habitus concomitentur animam in ſtatu ſeparationis, non ſecus, ac intellectus & voluntas, quæ ſunt eorum ſubiecta, dictum eſt, illam concomitari.

3 Si ſermo ſit de ſpeciebus intentionalibus impreſsis, diſtinguendum eſt, nam ſicut inter actuales intellectiones, quæ appellantur ſpecies expreſſæ, aliæ ſunt intuitiuæ, illæ, ſcilicet, quæ terminantur ad obiectum, vt obiectiuè realiter præſens, & exiſtens eſt, & aliæ abſtractiuæ, illæ, ſcilicet, quæ terminantur ad obiectum, abſtrahendo à reali præſentia, & exiſtentia obiectiua; ita inter ſpecies intentionales impreſſas aliæ ſunt intuitiuæ, illæ, ſcilicet, quæ ſimul cum intellectu concurrunt ad intellectionem intuitiuam; aliæ verò abſtractiuæ, illæ nimirum,

quæ cum intellectu ſimul concurrunt ad intellectionem abſtractiuam.

4 Hac diſtinctione ſuppoſita, dico primò; ſpecies intentionales impreſſæ intuitiuæ, quæ ſunt in intellectu animæ coniunctæ, non concomitantur animam ſeparatam; ratio à priori eſt, quia ſpecies intentionales impreſſæ intuitiuæ, quas miniſterio intellectus agentis acquirit anima in ſtatu coniunctionis ad corpus, eſſentialiter dependent, non ſolùm in ſuo fieri, ſed etiam in ſua conſeruatione à reali præſentia, & exiſtentia ſuorum obiectorum in ſenſu interiori relucentium, non ſecus, ac dependent intellectiones intuitiuæ, ad quas dantur; ſed in anima ſeparata nullum obiectum relucet in aliquo ſenſu interiori; quia, vt numer. 1. dicebamus, nulla potentia ſenſitiua concomitatur animam ſeparatam; ergo nulla ſpecies impreſſa intellectiua ex intuitiuis, quas anima in ſtatu coniunctionis miniſterio intellectus agentis acquiſiuit, poterit in intellectu animæ ſeparatæ permanere, ſeu ipſam concomitari.

5 Dico ſecundo; ſpecies impreſſæ abſtractiuæ, quas anima in ſtatu coniunctionis, miniſterio intellectus agentis acquiſiuit, permanent in intellectu animæ ſeparatæ, ipſamque concomitantur; ita Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 1. numer. 3. Diu. Thomas 1. part. quæſtio. 89. artic. 5. eſtque communis ſententia; ratio à priori eſt; quia etiamſi huiuſmodi ſpecies pēdeant in ſuo fieri, ſeu in ſua acquiſitione ab obiectis in ſenſu interiori relucentibus, quæ communiter phantaſmata appellantur; ſed nullo modo pēdent ab eis in ſua conſeruatione; ergo cum nullum habeant contrarium, & in ipſo ſubiectentur in ſolo intellectu, qui eſt potentia animam ſeparatam concomitans, nullum apparet caput, ex quo prouenire poſſit, quòd in ſtatu ſeparationis animæ in intellectu eius non permaneant, ipſamque ſeparatam concomitentur.

6 Si ſermo ſit de habitibus in intellectu, & voluntate animæ coniunctæ reſidentibus, dicendum eſt cum Scoto, & D. Thoma locis num. præcedēti citatis, & cum cōmuni ſententia, quantum eſt ex natura ſua, manere in anima ſeparata, ipſamque concomitari; ratio à priori eſt, quia etiamſi habitus acquiſiti intellectus, & conſequenter voluntatis, pendeāt in ſua acquiſitione à phantaſmatibus, ſicuti & pendēt actus intellectus, & conſequenter voluntatis, quibus medijs acquiruntur; tamen in ſua conſeruatione à phantaſmatibus nō dependent, ſicuti neque ab actibus, quibus acquiruntur, & cū

ſub-

ſubiectentur in intellectu, & voluntate, quæ ſunt potentiæ animam ſeparatam concomitantes, non apparet ratio, ob quam, denegari poſsit, prædictos habitus, quantū eſt ex natura ſua, manere in intellectu, vel voluntate animæ ſeparatæ, ipſamque concomitari.

7 Dixi autem notanter, *quantum eſt ex natura ſua*; quia cum anima ſeparata non maneat in puris naturalibus, ſed vel præmio gloriæ, vel pœna inferni afficiatur, de facto non manent in illa multi habitus ex his, quos in ſtatu coniūctionis, ſeu viæ acquiſiuit, ſeu ei infuſi fuerūt: nam in anima beata non manebunt habitus imperfecti, quia illum ſtatū non decent: damnatæ verò animæ ex infuſis nullū habitū ſupernaturalem retinebunt, etiamſi maneant in illis habitus naturales in pœnam. An autem in animis beatis maneant habitus Theologiæ, & fidei? non eſt huius loci diſcutere: puto tamen, ſcientias omnes euidentes manere in patria; alios verò habitus obſcuros non manere, quia cum in illo ſtatu nequeāt actus imperfecti, ſeu obſcuri elici, ſuperfluè ibi habitus obſcuri admitterentur: & hæc eſt communior doctrina inter Theologos.

8 Sed contra obijcies 1. auctoritatem Pauli 1. ad Corinthios 13. vbi dicitur, poſt mortem ſcientiam eſſe deſtruendā, Reſpondent aliqui ex D. Th. prædictam auctoritatē eſſe intelligendam, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum; quia non elicietur cum cōuerſione ad phantaſma, ſicut modo elicitur. Alij reſpōdent; nō loqui D. Paulum de ſciētia naturaliter acquiſita; ſed de dono ſcientiæ, quod comitatur fidē, & eſt obſcurum, ſicut & illa; quæ expoſitio magis quadrat contextui; ibi enim comparat charitatem donis, & illam excellentiorem eſſe oſtendit his verbis, *ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, &c.*

9 Obijcies ſecundò, ſequi ex præfata doctrina, impios doctos futuros maioris ſcientiæ naturalis poſt mortem, quàm pios ignorantes. Reſpondet D. Thomas loco ſupra citato ad 2. admittendo ſequelam, quæ reſponſio optima eſt, attentis naturis rerum: poſſumus nos addere, Deum infundere maiorem ſciētiam ei, qui ſanctioris vitæ fuit.

QVÆSTIO III.

An anima in ſtatu ſeparationis nouas ſpecies recipiat?

1 IN hac quæſtione vnū eſt certum, & aliud in cōtrouerſiam auctores reuocarunt. Certum eſt, animam ſeparatā non tantùm habere ſpecies hic acquiſitas, ſed etiam plures alias in ſtatu ſeparationis

ac-

Digitized by Google

accipere de nouo; cuius ratio eſt, quia, ſi anima ſeparata ſolùm haberet ſpecies hic acquiſitas, nimis imperfecta foret eius cognitio, præſertim cum plures animæ, nimirum, paruulorum decedant ex hac vita nullis ſpeciebus Intelligibilibus acquiſitis; eſſet autem abſurdum ex defectu ſpecierum animabus ſeparatis tā imperfectam cognitionem tribuere, cum in illo ſtatu, qui connaturalis eſt animæ, diu ſeruantur, ſemperque ſeruarētur, ſi ſolam vim naturæ conſideremus.

2 Quod in controuerſiam auctores reuocarūt, eſt, quo pacto animæ ſeparatæ iſtas ſpecies de nouo in ſtatu ſeparationis recipiant, an ab obiectis, an per infuſionē à Deo? Nam ab intellectu non dimanare ad modum, quo paſſiones dimanant ab eſſentia ſeu intellectus, & voluntas profluunt ab anima (vt aliqui ſibi ſuaſerunt) iā ab auctoribus receptū eſt, & ex profeſſo probant Conimbricēſes tract. de anima ſepara diſput. 3. ar. 4.

3 D. Thomas 1. part. q. 89. art. 1. ad. 3. eodem modo philoſophatur de animabus ſeparatis, ac philoſophatus fuerat de Angelis, quæſt. 55. art. 2. & 2. contra gentes cap. 96. nimirum, animas ſeparatas, ſpecies, quas de nouo accipiunt in ſtatu ſeparationis, nullo modo poſſe illas recipere ab obiectis, ſed ſolum illas recipere per infuſionem à Deo in inſtanti ſeparationis, ſicuti in eius ſententia illas recipiunt Angeli in inſtanti ſuæ creationis, & loquitur abſoluté de ſpeciebus, tam obiectorum materialium, quàm ſpiritualium; & in hoc ſenſu ſui ipſum ſequuntur, Caietanus ad citata loca primæ partis, & præterea quæſt. 57. art. 2. Ferrara libro illo 2. cōtra gentes cap. 96. Capreolus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. & alij.

4 Et inprimis illas non poſſe recipere ab obiectis materialibus probari ſolet; primò, quia ex oppoſito ſequeretur, fruſtra animam vniri corpori materiali; ſequela probatur, quia anima non vnitur corpori materiali propter perfectionem corporis; quia forma ex Ariſtotel. 2. Phyſic cap. 2. text. 23. non eſt propter materiam, ſed è contra: ergo vnitur illi propter ipſius animæ perfectionem acquirendam, nimirum, vt per vſum ſenſuum corporalium acquirat ſpecies ad cognitionem obiectorum materialium requiſitas; quod ſanè ſuperfluum eſſet, ſi ſeparata, & ſine vſu ſenſuum corporalium poſſet illas acquirere.

5 Secundò; non poteſt eſſe tranſitus ab extremo in extremum, niſi per medium; ſed res materialis extra animam eſt omnino materialiter; in intellectu verò eſt omnino immaterialiter; ergo vt ab ſtatu ma-

Digitized by Google

materialitatis, quem habet extra animam, tranſeat ad ſtatum immaterialitatis, quem habet in intellectu, neceſſarium erit, quòd tranſeat per medium, in quo ſit aliquo modo materialiter, & aliquo modo immaterialiter; ſic autem eſt in ſenſu, materialiter, quia ſecundum conditiones indiuiduales; immaterialiter, quia ſecundum Philoſophum 2. de anima, *ſenſus eſt receptiuus ſpecierum ſine materia*, ſine materia, inquam, tali, qualem requirit forma realiter exiſtens extra animam.

6 Tertiò, quia ſi anima ſeparata poſſet acquirere cognitionem vnius ignoti in via per ſpeciem ab illo receptam, ita & cuiuslibet, quia non eſt maior ratio vnius, quàm alterius; & conſequenter diſtantia localis quantacumque obiecti non impediret animæ ſeparatæ cognitionem illius; quod videtur eſſe contra Auguſtinum in libro *de cura pro mortuis agenda*, vbi vult, *animas ſeparatas non agnoſcere ea, quæ hic aguntur, niſi eis exprimantur ab Angelis, vel ab animabus ad eas venientibus, quæ illa hic nouerunt.*

7 Deinde neque etiam illas poſſe recipere ab obiectis ſpiritualibus; probari ſolet; primò, quia obiecta ſpiritualia, omnis externæ motionis, præter quam localis, vel præviæ locali, qualis eſt impreſſio impulſus, expertia ſunt. Secundò, quia cum inter obiecta ſpiritualia, & intellectum animæ ſeparatæ mediet aliquod ſpatium, non poterunt obiecta ſpiritualia producere ſpecies intentionales ſui in intellectu animæ, quin priùs illas producant in ſpatio intermedio; quia nihil agit actione naturali in remotum, quin priùs agat in propinquum; conſtat autem obiecta ſpiritualia, non poſſe producere ſpecies intentionales ſui in ſpatio materiali, & extenſo, cum prædictæ ſpecies ſpirituales, & inextenſæ ſint, & nullum accidens ſpirituale, & inextenſum recipi poſsit in ſubiecto materiali, & extenſo.

8 Nobis tenendum eſt cum noſtro Scoto *in 4. diſt. 45. quæſt. 2* ſpecies, quas de nouo accipiunt animæ ſeparatæ, tam abſtractiuas, quàm intuitiuas, non ſolùm poſſe illas accipere ab obiectis, tam ſpiritualibus, quàm materialibus; ſed etiam de facto plures ex illis accipere, cum hoc diſcrimine, quòd ſpecies obiectorum ſpiritualium recipiunt immediatè ab obiectis, non ſecus, ac illas recipiunt ſenſus noſtri exteriores à ſuis obiectis; ſpecies verò obiectorum materialium recipiunt ab obiectis, media abſtractione intellectus agentis; non ſecus, ac in ſtatu coniunctionis recipiunt ſpecies intelligibiles ab obiectis materialibus relucentibus in phan-

Digitized by Google

phantaſia: & loquutus eſt Scotus conſequenter ad ea, quæ in ſimili controuerſia de Angelis docuerat *in 2. diſt. 3. q. 11.* Scotum ſequuntur omnes diſcipuli, & ex alijs eandem ſententiam ſecuti ſunt Alenſis 2. *part. quæſt. 26. membro* 1. Diuus Bonauentura *in 2. diſtinct. 2. articul. 2. quæſt. 1.* Ricard. *artic. 6. quæſt. 2.* Ocha. *in 4. quæſt. 12. articul. 2.* Gabriel *in canon. lection.* 31. Gregorius *in 2. diſtinction. 7. quæſt 1. artic. 1.* Maior *diſtinct. 3. quæſt. 4* Molina 1. *part. quæſtion.* 55. *art.* 2. & problematicè eam defendunt Conimbricenſes *tractat. de anima ſeparata diſput. 3. artic. 5.* & quantum attinet ad ſpecies obiectorum ſpiritualium idem docent Suarez *libro 6. de anima capit. 6.* & Auerſa *de ſtatu animæ ſeparatæ quæſtion. 59. ſect. 5.*

9 Et in primis animam ſeparatam poſſe accipere ſpecies, tam abſtractiuas, quàm intuitiuas (intuitiuas, inquam, in caſu, quòd obiectum ſit realiter præſens, & exiſtens) non ſolùm ab obiectis ſpiritualibus, ſed etiam à materialibus, de quibus maior exiſtit difficultas, optimè probat Scotus loco citato, §. *Ad quæſtionem ergo*, numer. 12. & 13. hoc diſcurſu, actiuo ſufficienti, & paſſiuo ſufficienti debitè, ſeu ſufficienter approximatis, poteſt ſequi effectus; imò ſi actiuum ſit naturaliter agens, neceſſario ſequitur effectus; ſed in anima ſeparata habente lapidem, ſeu quodcumque aliud materiale obiectum, proportionaliter, & debitè ſibi præſens, concurrunt hæc omnia reſpectu productionis ſpeciei intelligibilis prædictorum obiectorum; ergo anima ſeparata poteſt ab obiectis, etiam materialibus accipere ſpecies intelligibiles. Probatur minor, quia intellectus agens, qui eſt in anima, ſimul cum obiecto eſt ſufficiens cauſa actiua ſpeciei intelligibilis, nec minus cum obiecto extra animam, quàm cum obiecto relucente in phantaſia; nam nihil eſt in phantaſmate, propter quod ſufficiat ad cauſandum ſimul cum intellectu agente ſpeciem intelligibilem, quod eminentiùs non ſit in re, cuius eſt phantaſia; & ſimiliter eſt in anima ſeparata intellectus paſſibilis, qui eſt ſufficienter paſſiuus, ſeu receptiuus talis ſpeciei.

10 Idem confirmat Scotus loco citato, §. *Oppoſitum*, numero 2. hac efficaci ratione: natura, ſeu forma ex Ariſtotel. 2. de cœlo, & mundo, & Damaſceno capit. 64. non eſt ſine propria operatione ſpecifica; nam ſicut eſſe eſt propter operari; ita eſſe ſpecificum eſt propter operationem ſpecificam: anima autem rationalis eſt forma perfectiſſima, & eius propria, & ſpecifica operatio ſecundum in-

intellectum agentem *eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles*; ſecundum poſsibilem *intelligere*; ſecundum voluntatem *velle*: ergo nullus modus eſſendi poteſt conuenire animæ rationali, debitus naturæ ſuæ, in quo non poſsit præſtare omnes iſtas operationes: modò ſic, animæ rationali, cum natura ſua ſit immortalis, debitum eſt, vt in ſtatu ſeparationis à corpore corruptibili perſeueret; ergo in prædicto ſtatu poterit ſupradictas operationes præſtare, ſeu exercere; ſed poſsibile eſt in ſtatu coniunctionis ipſam non acquiſiſſe ſpecies obiectorum, ſicut patet in anima paruuli defuncti; ergo poterit, imò debitum erit ei in prædicto ſtatu ſeparationis illas acquirere poſſe.

11 Deinde animas ſeparatas, ſpecies, quas recipiunt ab obiectis ſpiritualibus, non recipere miniſterio intellectus agentis, ſicut recipient ab obiectis materialibus; ſed ſolùm immediatè ab ipſis obiectis ſpiritualibus admodum, quo ſenſus exteriores, illas recipiunt ab obiectis ſenſibilibus, conuinci poteſt ex eo, quòd tota ratio, ob quam eas non recipiunt ab obiectis materialibus immediatè, ſed miniſterio intellectus agẽtis, eſt, quia ſpecies intelligibiles in ſua entitate ſpirituales ſunt, & nullum ſpirituale poteſt effectiuè provenire ab aliquo materiali, tanquam à cauſa effectiua totali, & adæquata: ergo cũ obiecta ſpiritualia immaterialia ſint, nihil obſtare poterit ad hoc, vt ſpecies intelligibiles eorum ab eis effectiuè producantur immediatè, & tanquam a cauſa totali, & adæquata; & conſequenter abſque interuẽtione, ſeu conſortio intellectus agentis.

12 Confirmatur ampliùs alia via; ſpecies ſenſibiles, etiamſi habeant eſſe intentionale, ideòque dicantur ab Ariſtot. formæ ſine materia; nihilominus producuntur ab obiectis materialibus immediatè, & tanquam à cauſa totali, & adæquata, & abſque interuentione alicuius ſenſus agentis, & non alia cauſa, niſi quia in ſua entitate, quæ etiam materialis eſt, non exuperant entitatem realem ſuorum obiectorum, ſed potius ab illa ſuperantur; non ſecus, ac eſſe naturale exuperat eſſe intentionale, quod eſſe diminutum, & valdè imperfectum eſt: ergo ſimiliter ſpecies intellectuales obiectorum ſpiritualium poterunt produci in intellectu animæ ſeparatæ à prædictis obiectis, tanquam à cauſa totali, & adæquata immediatè, & abſque interuentione intellectus agẽtis, nam etiãſi habeant eſſe intentionale, ideòque dicantur formæ ſine materia; nihilominus in ſua entitate, etſi ſpiritualis ſit, non

Digitized by Google

non exuperant entitatem ſuorum obiectorum, cum etiam ſpiritualis ſit, ſed potiùs ſuperantur ab eis; nam vt modo dicebamus, ens naturale exuperat ens intentionale, quod ſolum eſt quoddam ens diminutum, & valdè imperfectum.

13 Demum plures ſpecies, ſaltem ex intuitiuis, diſcurſu temporis animas ſeparatas de facto recipere ab obiectis, probat Scotus impugnando ſententiam D. Thomæ, in quantum aſſerit, ſpecies, quas de nouo accipit anima in ſtatu ſuæ ſeparationis, illas ſimul accipere per infuſionem à Deo in inſtanti ſeparationis; ſicuti in eius ſententia illas acceperunt Angeli in inſtanti ſuæ creationis. Et dico notanter *plures ſpecies, ſaltem ex intuitiuis*; nam non negat Scotus, plures ſpecies abſtractiuas, & ſolùm virtualiter repræſentãtes eſſentias, & quidditates, tam rerum materialium, quàm ſpiritualiũ infundi à Deo animabus ſeparatis ad ipſarum inſtructionem in iſtanti ſuæ ſeparationis à corpore; ſicuti infuſa etiam fuerunt Angelis in inſtanti ſuæ creationis; ſed ſolùm intendit probare, plures ſpecies ex intuitiuis non infundi à Deo animabus ſeparatis in inſtanti ſeparationis, vt contendit D. Thomas; ſed potiùs diſcurſu temporis ex obiectis ipſis realiter præſentibus, & exiſtentibus illas exhaurire; quod ſic demonſtrat.

14 Animæ ſeparatæ in principio ſuæ ſeparationis plura obiecta futura, præſertim ſi libera, & contingentia ſunt, non agnoſcunt, quæ tamen ſucceſſu temporis, quando, ſcilicet, actu exiſtentia ſunt, & realiter præſentia, optimè callent: ergo ſignum euidens eſt, animas ſeparatas non habere ab initio ſuæ ſeparationis, prædictorum obiectorum ſpecies à Deo infuſas; ſed potius ſucceſſu temporis, quando, ſcilicet, prædicta obiecta actu exiſtentia, & realiter præſentia ſunt, ab ipſis obiectis illas recipere. Quis enim ſibi perſuadere poteſt, potentiam intellectiuam, quæ naturaliter agit, ſpecie impreſſa alicuius obiecti informatam, & ſine vllo extrinſeco impedimento in actum prodire non poſſe?

15 Torſit valdè hoc argumentum rigidos ſectatores Diui Thomæ, & poſt multam controuerſiam reſponderi tandem ſolet, ſpeciem futuri contingentis, quam Deus infundit animæ ſeparatæ in inſtanti ſuæ ſeparationis, non repræſentare actu obiectum contingens, antequam ſit exiſtens, quia eius productio eſt conditio, ſine qua talis repræſentatio non completur, ad eum ferè modum, quo aliquod extremum actum referendi non exercet, niſi aliud extremum ex aduerſo proponatur.

Digitized by Google

16 Sed, vt notarunt Conimbricenſes loco citato artic. 6. *Hæc reſponſio numquam ſatis plana viſa eſt*; & meritò quidem, nam in dictis implicationem involvit; cum enim totum eſſe intrinſecum ſpeciei impreſſæ conſiſtat in repræſentatione virtuali obiecti, implicationem involvit dicere, dari actu ſpeciem impreſſam futuri contingentis, & non dari actu repræſentationem virtualem illius; vel è contra non dari actu repræſentationem virtualem futuri contingentis, & dari actu ſpeciem impreſſam illius. Exemplum autem relatiuorum adductum in prædicta reſponſione oppoſitum conuincit illius, quod intendit; nimirum, ſpecies intuitiuas, quibus animæ ſeparatæ intelligunt futura contingentia, quando actu, & realiter præſentia, & exiſtentia ſunt, non infundi à Deo, antequam prædicta futura ſint actu, & realiter præſentia, & exiſtentia; ſed potius illas recipere animas ſeparatas ab obiectis futuris contingenter, quando actu, & realiter ſunt præſentia, & exiſtẽtia; nam ſicut poſito vno extremo, non datur exercitium referendi, ſeu quod idem eſt, non datur relatio, quovſque ponatur in re aliud extremum, quia relatio, tam in ſuo fieri, quàm in ſuo conſeruari pendet ab illo; ita, poſita anima in ſtatu ſeparationis, non ponitur in eius intellectu ſpecies impreſſa, ſeu forma virtualiter repræſentas futurum contingens, à Deo infuſa, ſed potiùs illam recipit ab obiecto futuro contingenter, quando actu, & realiter eſt præſens, & exiſtens; quia, vt ex Scoto ſæpè dictum eſt, ſpecies impreſſæ intuitiuæ, tam in ſuo fieri, quàm in ſuo conſeruari pendent ab actuali, & reali præſentia, & exiſtentia ſui obiecti; non ſecus, ac pendent ſpecies expreſſæ, ſeu actuales cognitiones intuitiuæ.

17 Propter hæc alij auctores, etiam ſtudioſi D. Thomæ, eius ſententiam de infuſione ſpecierum in animas ſeparatas ita aggreſſi ſunt interprætari, vt dicant, ſpecies quidem abſtractiuè repræſentatrices ipſo ſeparationis initio à Deo omnes infundi; repræſentatrices verò intuitiuè ſucceſſu temporis infundi à Deo, ſcilicet, quando obiecta ſunt actu, & realiter præſentia, & exiſtẽtia, & ideo non mirum, quòd animæ ſeparatæ futura liberè contingentia non agnoſcant, antequam actu, & realiter ſint præſentia, & exiſtentia; qui modus philoſophandi non diſplicet Conimbricenſibus articulo 6. citato.

18 Sed hæc ſucceſsiua infuſio nouarum ſpecierum naturalium, quam commẽtati ſunt aucto-

auctores iſti, præter quã quod à mente D. Thomæ, quem explicare conantur, aliena prorſus ſit; imò parùm ad naturas rerũ accõmodata, optimè reijcitur ab Scoto loco citato, §. *Contra iſtam poſitionem*, nu. 5. ex duobus receptis principijs; primum eſt, *Plura non ſunt ponenda ſine neceſsitate*, ex Ariſtot. 1. Phyſic. text. 50. cui principio contrauenire videntur auctores iſti, cum ponant ſpecies infuſas à Deo in anima ſeparata, & ſine neceſſitate; quia anima ſeparata habet in ſe ſufficienter, vndè poſſit tales ſpecies ex obiectis exhaurire, vt à priori num. 9. & 10. ex Scoto oſtenſum eſt.

9 Secundum principium eſt, *In nulla natura ponendum eſt id, quod derogat eius dignitati, niſi ſit euidens ex aliquo inconuenienti tali naturæ*; hoc enim principium, inquit Scotus, colligitur ex Ariſt. 2. de generat. vbi ſic ait, *Semper, inquimus, naturam deſiderare id, quod melius eſt; & ſicut in toto vniuerſo, ita in qualibet parte magis ponendum eſt id, quod melius eſt ſibi, ſi non euidenter appareat ſibi illud nõ conuenire*, cui etiam principio contrauenire videntur ſupradicti auctores, cum ex ſua poſitione ſine firmo fundamento valdè vilificent naturam animæ rationalis. Sicut enim (inquit Scotus) ſimpliciter vilior eſt natura, quæ in nullam operationem, vel non niſi in viliorem poteſt: ita proportionaliter eſt illa natura vilior, quæ in operationem ſibi conuenientem non poteſt, quàm quæ poteſt: anima autem ſeparata, per aduerſarios, ex intrinſecis ſibi, etiã cum obiectis extrinſecis concurrentibus, non poteſt in operationem ſibi conuenientem, niſi Deus, vel Angelus infundant ipſi ſpecies ad operandum requiſitas; lapis autem ex intrinſecis ſibi ſine aliquo influxu mendicato poteſt in operationem ſibi conuenientem, vt eſt deſcendere in centrum, & ibi quieſcere: ergo magis vilificatur anima ſecundum proportionem ad ſuam nobilitatem ex poſitione aduerſariorum, quàm natura lapidis. Et quod hoc præſtent ſine firmo fundamento, patebit ſoluendo, quæ adducta ſunt in contrarium.

20 Ad primum ex adductis ad probandum, animam ſeparatam non poſſe accipere nouas ſpecies ab obiectis materialibus, optimè reſpondet Scotus negando, ex noſtra ſententia, quæ ſuſtinet animam ſeparatam poſſe recipere ſpecies ex obiectis materialibus, ſequi, fruſtra animam vniri corpori materiali. Et ad probationem reſpondet primò, dato, quòd anima vniretur corpori propter ipſius animæ perfectionem, nimirum, vt per vſum ſenſuũ acquireret ſpecies ad

Digitized by Google

ad cognitionem obiectorum materialium requiſitas, non rectè inferri, ex eo, quòd nos ponamus, poſſe animam alia via prædictas ſpecies acquirere, fruſtra vniri corpori corruptibili: ſi enim aliquid ordinatur ad aliquem finem, non fruſtra fit, ſi alio modo poſsit finis acquiri, exempli gratia, ſi ſanitas acquiri poteſt per lotionem, & potionem, non fruſtra fit lotio, etſi per potionem poſsit ſanitas haberi. Secūdò, & magis directè reſpondet, vnionem animæ ad corpus nō eſſe finaliter propter perfectionem corporis, nec ſolū propter perfectionem animæ; ſed propter perfectionē totius, ex corpore, & anima coaleſcētis; & ideò licet nulla perfectio poſſet accreſcere huic parti, vel illi, quæ nō poſſet haberi ſine tali vnione, non ideò foret fruſtra talis vnio, quia perfectio totius, quæ principaliter intenditur à natura, non poteſt haberi ſine tali vnione.

21 Ad ſecundum etiam optimè reſpondet Scotus duabus vijs; primò reſpondet, aliquid eſſe medium neceſſarium reſpectu virtutis imperfectioris, quod non eſt medium neceſſarium reſpectu perfectioris virtutis, v. gr. virtus motiua creata nequit trāsferre corpus ab vno *vbi* ad aliud *vbi* diſtans, niſi per medium *vbi*; virtus tamen diuina poteſt: ita in propoſito; virtuti imperfectæ abſtractiuę, vt eſt animæ in ſtatu coniunctionis, medium eſt imaginabile, à quo proximè poteſt abſtrahere, & non à re ipſa extra; quamuis abſtractiua perfecta, vt eſt animæ ſeparatę, poſsit abſtrahere immediatè ab ipſa re extra, vt eſt in ſe. Secundò reſpondet eſſe imaginabile, non eſſe medium inter ſenſibile, & intelligibile; ſed comprehendi ſub eſſe ſenſibili in tota ſua latitudine ſumpto: virtus autem imperfectior, qualis eſt intellectus coniuncti, licet poſsit abſtrahere ſpecies à ſenſibili imaginabili, & non à ſenſibili, vt eſt extra, & in ſe; benè tamen virtus perfectior, qualis eſt intellectus ſeparati. Nec mirum, quòd inter agentia eiuſdem rationis, agens maioris virtutis poſsit agere in remotius, quàm agens minoris virtutis.

22 Ad tertium idem Scotus reſpondet, animam ſeparatam, ſicut poteſt ab vno obiecto (ceteris paribus) ſpeciē recipere, ita à quolibet, ſi nihil impediat. Et cum obijcitur, diſtantiam localē obiecti à potentia non impedire; negat aſſumptū, quia ſicut inter obiectū, & potētiam requiritur determinata ſphæra actiuitatis; ita & determinata præſentia, quam determinatam præſentiam impedit improportionata diſtantia.

23 Ad alia argumenta adducta ad probandum, animam ſeparatam non poſſe accipere nouas ſpecies ab obiectis ſpiritualibus, reſpondetur; ad primum

† Ll

mum nihil obſtare ad hoc, vt obiecta ſpiritualia actione intentionali emittant ſpeciẽ impreſſam ſui; quòd omnis externæ motionis, ſeu phyſicæ alterationis ſint expertes; nam etiã obiecta aliqua materialia, vt ſunt colores, imò & omnes ſecundæ qualitates, omnis externæ motionis, ſeu phyſicæ alterationis expertes ſunt, & nihilominus actione intentionali emittunt in proprias potentias, ſpecies impreſſas ſui.

24 Ad ſecundum negamus, non poſſe obiecta ſpiritualia emittere ſpecies intentionales ſui in intellectum animæ ſeparatæ, quin priùs illas producant in ſpatio intermedio: & cum obijcitur, nihil agere in remotum, quin priùs agat in propinquum, patet ex dictis 7. libro Phyſic. diſput. vnica, quæſt. 3. ſect. 2. in noſtra, & Scoti doctrina, adhuc in actionibus materialibus prædictum proloquium non eſſe verum abſolutè, & vniuerſaliter loquendo. In ſententia verò D. Thomæ, etſi abſolutè, & vniuerſaliter ſit verum in actionibus materialibus; tamen in actionibus ſpiritualibus, vt eſt de qua in præſenti eſt ſermo, prædictum proloquiũ falſum eſt: ſuſtinet enim quæſt. vnica de anima artic. 5. Angelos influere ſcientiam in animas ſeparatas, influẽdo ſpecies intelligibiles in intellectũ ipſarum, nihil influendo in ſpatium medium, quod repetit art. 20. ad 11. & reddit pro ratione, *quia cum hæc actio non ſit ſitualis, non oportet quærere medium deferens*.

QVÆSTIO IV.

De modo actualiter cognoſcendi animæ ſeparatæ.

1 SOlùm examinabimus in hac quæſtione modũ, quo anima ſeparata actualiter cognoſcit; nam in ſtatu ſeparationis actualiter cognoſcere, non quidẽ cognitione ſenſitiua, ſed purè intellectiua nullus ex Catholicis negauit, nec negare potuit, cum hoc frequẽtiſsimè in ſcriptura contineatur; cuius ratio eſt, quia ſicut anima rationalis in ſuo eſſe non pendet à corpore, ita neque in ſuis proprijs operationibus, quales ſunt intellectus, & voluntatis; vndè ſicut ſeparata à corpore in ſuo eſſe, & virtute, ſeu potentia intelligẽdi integra perſeuerat; ita in elicitione ſuarũ intellectionũ integra perſeuerare debet, præſertim cum ſpecies impreſſæ intelligibiles obiectorũ, quæ ad ipſorũ actualem intellectionem ſimul cum potentia intellectiua neceſſariò requiruntur, in intellectu animæ ſeparatæ nõ deficiant, vt ex dictis quæſt. precedẽti perſpicuum eſt. Neque obſtat, quòd in ſtatu coniunctionis anima nõ intelligat ſine miniſterio corporis, & dependenter à ſenſibus, adeò, vt impedito ſenſu nihil intelligere

Digitized by Google

re valeat, vt docuit Ariſt. 1. de anima tex. 66. nam hoc prouenit ex eo, quòd in hoc ſtatu operatur, tanquam forma corporis, cum quo optimè ſtat, vt ſeparata à corpore, & vinculis eius exoluta, ſit per ſe expedita ad intelligendum abſque vllo corporis miniſterio, & ſenſuū ſubſidio; quia exercitium intelligendi ex natura ſua abſtrahit à corpore, & à ſenſibus.

2 Loquendo ergo de modo cognoſcendi animæ ſeparatæ primò dubitari poteſt, an ſit perfectior, quàm modus cognoſcendi, quem habuit eadem anima in ſtatu coniunctionis? D. Thom. 1. part. q. 79. art. 1. huic dubitationi reſpondet, quòd etiāſi modus cognoſcendi abſque conuerſione ad phātaſmata, qualis eſt animæ ſeparatæ, ſecūdum ſe ſit perfectior, quàm modus cognoſcendi cū conuerſione ad phantaſmata, qualis eſt animæ cōiunctæ; ſed non eſſe perfectiorem reſpectu animæ, quia talis modus cognoſcendi, non eſt animæ debitus, nec proportionatus: itaque videtur ſentire, animā coniunctā perfectiùs intelligere, quàm ſeparatam; pro eadem ſentētia citat Suarez libro 6. *de ſtatu animæ ſeparatæ* cap. 8. Scotum noſtrum in 4. diſt. 45. quæſt. 2. ſed neſcio quo iure, vt legenti totam illam quęſtionem erit manifeſtum.

3 Dicendum tamen nobis eſt cum communi, & iam recepta inter recentiores ſententia, modum cognoſcendi abſque cōuerſione ad phantaſmata, qualis eſt animæ ſeparatæ, non ſolūm ſecūdum ſe, ſed etiam reſpectu animæ eſſe perfectiorem, & excellentiorem, quàm modū cognoſcendi cum conuerſione ad phātaſmata, qualis eſt animæ coniunctæ; & probari poteſt primò, quia cum anima ſeparata ſit libera à corpore corruptibili, aptior eſt ad intelligendum, & ad perſeuerādum in actibus intellectus, vt ipſemet D. Thom. docet loco citato art. 2. ad 1. & colligitur ex illo Sapientiæ 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.*

4 Secūdò probari poteſt pluribus inſtantijs; nam anima, dū in ſtatu coniunctionis, & per cōuerſionē ad phantaſmata intelligit, ſæpè impeditur, & ſuſpenditur ab intelligēdo per ligamētum ſenſus interni, vt patet in ſomno; ſæpè perturbatur, & confunditur, vt in morbis, alijſvè accidētibus; ſæpè debilitatur, & langueſcit, vt in fatigatione, ac laſsitudine capitis, & alia incommoda patitur, à quibus eſt vtique immunis anima ſeparata, & intelligens ſine cōuerſione ad phantaſmata. Et inſuper in ſtatu ſeparationis eius cognitio (vt ex dicendis quæſtione ſequenti conſtabit) ad plura obiecta ſe extendit, quàm in ſtatu cōiūctionis; quæ om-

Digitized by Google

omnia manifeſtè oſtendunt, modum cognoſcendi animæ ſeparatæ, non ſolùm ſecundum ſe, ſed etiã reſpectu animæ eſſe perfectiorem, quàm modum cognoſcendi animæ cõiunctæ.

5 Ad fundamentum D. Thomæ reſpondetur, modum cognoſcendi ſine conuerſione ad phantaſmata ita debitũ, & proportionatum eſſe animæ ſeparatæ, ac debitus, & proportionatus eſt animæ cõiunctæ modus cognoſcendi cum conuerſione ad phantaſmata: & ſicut anima rationalis, dum ſeparatur à corpore corruptibili, non trahitur ad eſſe ſuperius, quàm ei debeatur; ita intellectus eius, dum à phãtaſmatibus abſoluitur, non trahitur ad modum intelligẽdi ſuperiorem, quàm ei debeatur; quinimo ducitur ad modum intelligendi pro illo ſtatu animæ ſeparatæ adæquatum, proportionatũ, & debitũ.

6 Secundò dubitari poteſt, an modus cognoſcẽdi animæ ſeparatæ ſit diſcurſivus, an non? D. Thom. 3. contra gẽtes cap. 48. & de veritate quæſt. 24. art. 11. abſolutè docet, animam ſeparatam intelligere modo Angelico. Et hinc anſam ſumpſit Caiet. 1. par. quæſt. 89. art. 5. ad aſſerẽdum, animam ſeparatam intelligere ſimplici intuitu abſque diſcurſu, & abſque cõpoſitione. Ægidius verò quodlib. 4. quæſt. 6. vult intelligere quidem abſque diſcurſu, ſed non abſque compoſitione. Conimbricenſes diſp. 4. de anima ſeparata art. 2. opinãtur, animam ſeparatam poſſe vtroque modo intelligere, tam abſque diſcurſu, quàm cum diſcurſu.

7 Sed in hac dubitatione dico primo; concluſiones, quæ à priori ex aliquo principio, vel à poſteriori ex aliquo effectu, ſeu inconuenienti deducũtur, intelligit anima ſeparata per diſcurſum. Et dico notãter, *cõcluſiones, &c.* nam de his poteſt procedere difficultas; nam prima principia, etiã in ſtatu coniunctionis, non poſſe cognoſci per diſcurſum, ſed ſimplici intuitu, docuit Ariſt. 1. poſteriorũ; ita Ochamus in 4. q. 12. art. 2. Abulẽſis in cap. 25. Matthæi q. 180. & Auerſa q. 59. ſect. 3. & ratio à priori eſt, quòd intellectus animæ rationalis ex intrinſeca ratione ſua diſcurſivus eſt, & per hoc diſtinguitur ab intellectu Angelico, qui ex intrinſeca natura ſua non eſt diſcurſivus; ſed potiùs ſimplici intuitu cognoſcit quãcũque cõcluſionẽ; & ideò Angelus non natura rationalis, ſicut natura humana, ſed intellectualis appellatur; ergo in quocumque ſtatu fuerit anima, ſiue coniunctionis, ſiue ſeparationis à corpore, cognoſcet concluſiones componendo, & diſcurrendo.

8 Dico ſecundò; etiãſi anima ſeparata in cognitionibus cõcluſionum non ſit penitus excluſa à diſcurſu, & compoſitione; non tamen indiget tã laborioſo.

Digitized by Google

borioſo diſcurſu, tãtaque multiplicitate actuum, ac tanta compoſitione conceptuum ad illas exactè contemplandas, & comprehendendas, ac indiget in ſtatu coniunctionis. Hoc aſſertum manifeſtè colligitur ex dictis primo dubio. Et declarari amplius poteſt, nam ſi apud nos alij ſunt alijs expeditiores, velociores, & promptiores ad diſcurrẽdum, paucioribuſque actibus, ac breuiori diſcurſu plura aſſequuntur; multò magis hoc diſcrimen inueniri debet inter animam ſeparatam, & coniunctam, cum modus intelligendi animæ ſeparatæ, vt ex dictis in primo dubio cõſtat, ſublimior, & perfectior ſit, quàm animæ coniunctæ; ſed adhuc erit inferior modo intelligendi Angelorum, qui abſolutè natura ſua dicũtur intelligere ſine diſcurſu, & compoſitione, & fortaſsè nihil amplius intendit D. Thomas locis ſupra citatis.

QVÆSTIO V.

De obiectis cognitionis animæ ſeparatæ.

1 NOn eſt ſermo de obiecto formali, ſeu motiuo; nã certum eſt, obiectum formale, ſeu motiuum intellectus animę ſeparatę eſſe ens reale in communi verum, vel apparẽs; ſed de obiectis materialibus, ſeu terminatiuis, ad quæ ſe extendere poteſt cognitio animæ ſeparatæ, attendendo ſolùm ad id, quod ipſis in tali ſtatu connaturaliter eſt debitum, & ſecundùm communem Dei prouidentiam.

2 Et in primis certum eſſe debet, animam ſeparatam, nõ ſolùm conſeruare omnẽ ſcientiã abſtractiuam habitualem, quã in ſtatu coniunctionis acquiſiuit; ſed etiam illam actualiter exercere perfectiori, & excellentiori modo, quàm illam exercebat in ſtatu coniunctionis. Primum ex his patet ex dictis quæſt. 2. huius diſputationis. Secundum ex dictis quæſt. præcedenti.

3 Item in ſententia noſtra, & Scoti, quæ ſuſtinet, non ſolùm dari in nobis memoriam ſenſitiuam, ſed etiam intellectiuã, etiam debet eſſe certum, animam ſeparatam poſſe recordari eorum, quæ facit in ſtatu cõiũctionis, iuxta illud Lucæ 16. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, &c.* cuius ratio eſt, quia etiamſi per ſeparationem animæ à corpore pereant omnes ſenſus, & conſequenter memoria ſenſitiua; non tamen perijt intellectus, ſed remanet in anima ſeparata; & conſequenter memoria intellectiua, eiuſque exercitium.

4 Præterea certum eſſe debet, animas ſeparatas beatorum habere ſcientiam abſtractiuam omnium rerum naturalium, quoad earum eſſentias, & proprietates, quarum in hac vita non acquiſierunt, non ſolùm in

in verbo, ſeu per viſionē beatam; ſed etiam in proprio genere, & per proprias ſpecies, ipſis à Deo per accidens infuſas: hoc enim ſpectat ad perfectionem ſtatus beatifici; & conceſſum fuit adhuc in ſtatu cōiunctionis, non ſolùm animæ Chriſti, ſed etiā primi parentis.

5 Primum ex ijs, quæ in dubiū reuocantur, eſt, an animæ ſeparatæ, ſecluſa beatitudine, omnique ſupernaturali prouidentia, & ſolùm attendendo ad id, quod natura ſua, & ex communi Dei prouidētia poſtulat earum ſtatus (in quo ſenſu, vt dictum eſt, exagitatur ſolùm præſens quæſtio) habeant ſcientiam abſtractiuam omniū rerum naturaliū quoad earū eſſentias, & proprietates, quarū in hac vita non acquiſierunt?

6 Angelicus Doctor 1. part. quæſt. 89. art. 4. docet, animas ſeparatas habere in inſtāti ſuæ ſeparationis ſcientiam omniū rerum naturalium quoad ſuas eſſentias, & proprietates, quarum ſcientiam in hac vita non acquiſierunt, per ſpecies à Deo infuſas ex cōnaturali, & debita tali ſtatui prouidentia: quibus addit, hanc ſcientiam rerum naturalium, quam habēt animæ ſeparatæ in inſtanti ſuæ ſeparationis per ſpecies à Deo infuſas, eſſe confuſam, & imperfectam; ſciētiam verò, quæ in hac vita per ſtudium acquiritur, & in ſtatu ſeparationis perſeuerat, eſſe diſtinctam, & perfectam; ideoque non eſſe inutile noſtrum ſtudium addiſcendi, etiam pro futuro ſtatu ſeparationis: quam doctrinam quoad primum aſſertum ſequuntur etiā Ægidius quodlib. 5. quæſt. vltima, Conimbricenſes diſt. 5. de anima ſeparata art. 1. Suarez libro 6. de anima, cap. 7. licet quoad ſecundum ipſis non placeat; affirmant enim, prædictam ſciētiam, non ſolùm eſſe diſtinctā, ſed etiam magis perfectam, quàm in hac vita habeamus.

7 Fundamentum prioris partis huius aſſerti deſumitur ex alia doctrina D. Thomæ, cuius mentionem fecimus quæſtione 3. huius diſput. num. 3. videlicet, animas ſeparatas in ſtatu ſeparationis nullas ſpecies recipere poſſe ex obiectis. Ex hac ergo doctrina ſic argumentari licet; anima ex natura ſua habet lumen intellectuale, ſufficiens ad cognoſcendum omnes res naturales quoad ſuas eſſentias, & proprietates; ergo ſi in ſtatu ſeparationis nō poteſt recipere ab obiectis ſpecies, ad ipſas cognoſcendas requiſitas, ad prouidentiam naturalem Dei ſpectabit ipſi illas in inſtanti ſeparationis infundere, ne lumen intellectuale animæ ſeparatæ perpetuò ſit otioſum.

8 Eadem doctrina nititur ratio, qua vſus eſt D. Thomas ad poſteriorem partem ſui aſſerti comprobandam. Pro cuius intel-

telligētia nota, ſpecies infuſas eſſe in duplici differentia (loquor in doctrina Thomiſtarū) quædam dicuntur per ſe infuſæ, videlicet, quæ nullo modo acquiri poſſunt ex obiectis; quædam verò infuſæ per accidens, nimirum, quæ etiamſi de facto infundātur; tamen natura ſua poſſunt ab obiectis abſtrahi; inter quas hoc verſatur diſcrimen, quod ſpecies per accidens infuſæ ſunt eiuſdem rationis cū acquiſitis; ſecus verò per ſe infuſæ; nam hæ neceſſariò debēt eſſe altioris, & eminētioris ordinis, ac ſunt acquiſitę.

9 Ad rem ergo, cū in doctrina allata D. Thomæ ſpecies, quas recipit anima in ſtatu ſeparationis, non poſsit illas recipere, ſeu acquirere ab obiectis, adhuc miniſterio intellectus agentis, & conſequēter ſint per ſe infuſæ, ſupponit D. Thomas, vt certum, prædictas ſpecies nō eſſe eiuſdem rationis cū ſpeciebus acquiſitis, ſeu per accidens infuſis; ſed potiùs altioris, & eminētioris ordinis, & hac ſuppoſitione facta, probat poſteriorem partē ſui aſſerti hac ratione: vnaquæque natura intellectiua diſtinctè intelligit per ſpecies capacitati ſuæ adæquatas; nam ſi ſpecies, quibus intelligit, ſunt ſuperioris ordinis, & excedentes eius capacitatem, nō poterit diſtinctè, & perfectè intelligere; quia non habet virtutem ſufficientem ad vtēdum illis; ergo cum anima noſtra in infimo ſit gradu intellectualiū, & connaturale ſit illi cognoſcere per ſpecies imperfectas, vtpotè per ſenſus acquiſibiles, ſi extra hunc ſtatum conſtituatur, illique infundantur ſpecies ſuperioris rationis, capacitatēque illius excedentes, nō poterit ſanè per illas diſtinctè, & perfectè intelligere, ſeu potiùs intelliget cōfuſè, & imperfectè.

10 Hoc Angelici Doctoris aſſertum, ſi doctrina, qua nititur, eſſet certa & vera, difficile impugnari poſſet; tamen cum neque certa, neque vera ſit, vt latè oſtendimus quæſt. 3. huius diſput. (oſtendimus ibi cum Scoto, animas ſeparatas recipere poſſe ſpecies impreſſas ab obiectis, tam ſpiritualibus, quàm materialibus) ideò prædicta Scoti doctrina nixi aliter ad dubium propoſitum reſpondendum eſt, nimirum, etſi connaturaliter ſit debitum animis ſeparatis pro illo ſtatu habere ſciētiam abſtractiuam, & quoad eſſentias, & proprietates omnium rerum naturalium, quarū ſcientiam non acquiſierunt in ſtatu coniunctionis huius vitæ; nihilominus hāc ſcientiam nō habere in inſtāti ſuæ ſeparationis per ſpecies à Deo per ſe infuſas, ſed per acquiſitas ex obiectis diſcurſu temporis, vel ſi ad breuiorem inſtructionē earum aliquæ ſpecies rerum naturalium ipſis infundantur à Deo, vel ab Angelis, prædictas ſpecies eſſe ſolùm per accidens in-

infuſas, eiuſdemque rationis cũ acquiſitis: & conſequẽter prædictam ſcientiam, cum ſit per ſpecies capacitati animarũ ſeparatarum adæquatas, non ſolùm eſſe diſtinctam, ſed etiam eſſe perfectiorem illa, quæ habetur in ſtatu coniunctionis, vt ex profeſſo quæſt. præcedenti oſtẽſum eſt. Neque ea, quæ adducta ſunt pro aſſertis D. Thomæ, militant contra nos; nam procedunt ex ſuppoſitione doctrinæ, quam non admittimus; ſed potiùs, vt falſam, quæſt. 3. citata refutauimus.

11 Secundum, quod vertitur in dubium, eſt, an, & quomodo animæ ſeparatæ cognoſcãt indiuidua materialia? D. Thomas 1. part. quæſt. 89. art. 4. & quæſt. diſputata de anima art. 20. ſupponens doctrinam, quã alibi tradiderat, ſcilicet, animam in ſtatu coniunctionis nõ cognoſcere indiuidua materialia per proprias ſpecies, ſed per ſpecies rerum vniuerſaliũ ope phantaſmatum, explicare conatus eſt, quo pacto, ea in ſtatu ſeparationis cognoſcat, quãdo iam eſt omnibus phantaſmatibus deſtituta, docetque, indiuidua materialia, quæ in hac vita cognouit, nõ cognoſcere, ſeu illorum recordari in ſtatu ſeparationis per ſpecies, quibus illa cognouit in hac vita; ſed per alias ei nouiter à Deo infuſas; & eodem modo philoſophatur de aliquibus indiuiduis materialibus, quæ de nouo in illo ſtatu cognoſcit. D. Thomam ſequuntur Caietanus, & alij Thomiſtæ ſuper loca citata.

12 Sed hic modus philoſophandi D. Thomæ, neque Suario, neque Auerſæ, neque alijs placet, & meritò, quia cum hæ ſpecies de nouo infuſæ non repræſentent ex mẽte D. Thomę ſingularia, ſed naturas vniuerſales, æquè inſufficientes erunt ad hoc, vt per ipſas anima ſeparata cognoſcat ſingularia, ac ſunt ſecundũ eundẽ D. Thom. ſine ope phantaſmatũ ſpecies, quibus in hac vita ope phãtaſmatũ ſingularia cognoſcebat. Nec ſatisfacit reſpõſio D. Tho. ſcilicet, has ſpecies nouiter à Deo infuſas determinari ad hæc, vel ad illa ſingularia repræſentanda, vel per præcedẽtem cognitionẽ, vel per aliquã affectionẽ, vel per naturalẽ habitudinem, vel per diuinã ordinationẽ: tum quia iſti modi determinandi ſpecies infuſas, quæ natura ſua ſolũ repræſentant naturas vniuerſales, ad repræſentãdum naturas ſingulares, ſicut ægrè intelliguntur, ita ægrè ſatisfaciunt. Tum etiam, quia eiſdem modis fingi poſſet determinari ad repræſentanda ſingularia ſpecies acquiſitas, & conſequenter vitari nouarum ſpecierum infuſionem.

13 Suarez lib. 6. de anima ſeparata cap. 7. Auerſa quæſt. 59. ſect. 4. ſupponẽdo id, quod ipſi alibi docuerant, ſcilicet, animam.

mam in hac vita cognoſcere ſingularia materialia per ſpecies per ſe, & directè ſingularitates eorũ repræſentantes, conſequenter dicunt, animam ſeparatã in ſtatu ſeparationis cognoſcere, ſeu recordari rerũ ſingularium materialium, quas in hac vita cognouit, per eaſdem ſpecies rerum ſingularium materialum, quas in hac vita acquiſiuit, & in memoria, etiam in ſtatu ſeparationis conſeruat. De alijs verò obiectis ſingularibus materialibus, quæ in hac vita non cognouit (ſupponendo etiam doctrinam, quã ipſi alibi docuerant, ſcilicet, animã in ſtatu ſeparationis non poſſe recipere ſpecies impreſſas ab obiectis; ſed ſolùm per infuſionẽ factam à Deo, vel ab Angelis) conſequẽter docent, & ſpeciatim Suarez loco citato, *concluſione* 2. animam ſeparatã ex natura rei, ſeu ſtatus nullũ cognoſcere; quia cognoſci nõ poſſunt, niſi per ſpecies à Deo infuſas, & nõ videtur neceſſarium, neque ad naturalẽ Dei prouidentiã ſpectare tantum ſpecierũ infuſio, cum rerum ſingulariũ cognitio per ſe ſumpta minimè neceſſaria ſit ad perfectionẽ intellectus, ſed ad praxim tãtùm; quæ in ſeparatis animis locũ non habet, cum in eo ſtatu (attentis puris naturalibus) nec deberent animæ cũ alijs hominibus conuerſari, nec alijs rebus materialibus vti: qua etiam de cauſa anima corpori cõiuncta cognitionẽ nõ poſſidet rerum ſingularium alterius vitæ. Subdit tamen Suarez, de facto, & ſpeciali Dei prouidẽtia animas ſeparatas beatorũ cognitionẽ participare multorũ ſingularium obiectorũ, nõ ſolùm per diuinã eſſentiam, quam vident; ſed etiã per proprias ſpecies eorũ, quas Deus illis infundit, idque, vel ratione ſtatus beatifici ad plenũ gaudiũ animarũ, vel propter bonũ hominum viatorũ, vt iuvari poſſint modo aliquo ab animabus illis: animas quoque damnatorũ recipere cognitionẽ ſingularium, quæ inſervire poterit ad debitũ earum ſuppliciũ: & denique animas parvulorum decedentiũ in originali peccato nullã obtinere cognitionẽ ſingularium materialiũ, quia illis neceſſaria non eſt, nec naturaliter debita. Hæc Suarez, & Auerſæ ſentẽtia, ſi duo principia, quæ ſupponit, & quibus nititur, vera eſſent, optimè poſſet à nobis amplecti; ſed quia in noſtra, & Scoti doctrina falſa ſunt, à nobis amplecti nõ debet.

14 In noſtra ergo, & Scoti doctrina, quæ duo ſuſtinet; primum, animam noſtram in ſtatu coniunctionis, etſi proprio, & diſtincto cõceptu cognoſcat obiecta ſingularia materialia; non tamen per ſpecies per ſe, & directè ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis eorum repræſentantes; quia iſtæ non ſunt dabiles; ſed per

per ſpecies repræſentantes naturas ſpecificas, tam ipſorum, quàm accidentium principia indiuiduationis conſequentiũ, quibus ſunt concreta. Ita ex profeſſo ſtatuimus cum Scoto, non ſolùm diſp. 4. huius tertij libri, ſed etiam 1 Phyſicorum diſputat. 1. quæſt. 5. ſect. 2. Secundũ, & quod etiam cũ Scoto ſtatuimus q. 3. huius diſput. ſpecies, quas de nouo accipiũt animæ in ſtatu ſeparationis, poſſe, quantum eſt ex natura ſua, illas accipere ab obiectis, tam ſpiritualibus, quàm materialibus, facilè dubitationi propoſitæ duobus aſſertis fiet ſatis.

15 Primum aſſertum; omnia indiuidua materialia, quæ cognoſcit anima noſtra in ſtatu cõiunctionis, poteſt cognoſcere, ſeu eorum recordari in ſtatu ſeparationis ex natura rei, nõ per ſpecies per ſe, & directè ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis ipſorum repræſentãtes, ſed per ſpecies repræſentantes naturas ſpecificas, tam ipſorum, quàm accidentium principia indiuiduationis conſequentium, quibus ſunt concreta: ratio eſt, quia omnes ſpecies intellectuales acquiſitæ, quibus anima in ſtatu coniunctionis cognoſcit obiecta materialia, comitantur animam in ſtatu ſeparationis, vt cum communi ſententia quæſt. 2. huius diſputationis ſtatuimus; ſed ſpecies acquiſitę, quibus anima in ſtatu coniunctionis cognoſcit indiuidua materialia in noſtra, & Scoti doctrina non ſunt ſpecies per ſe, & directè ſingularitates, ſeu principia indiuiduationis eorum repræſentantes, ſed ſpecies repræſentãtes naturas ſpecificas, tam eorum, quàm accidentium principia indiuiduationis conſequentium, quibus ſunt concreta: ergo per iſtas, & non per illas potens erit anima in noſtris, & Scoti principijs, in ſtatu ſeparationis illa cognoſcere, ſeu eorum recordari, quãtum eſt ex natura rei.

16 Secundum aſſertum: omnes animæ ſeparatæ, ſiue ſint beatorum, ſiue damnatorum, ſiue infantium decedentium in originali peccato, ex natura rei cognoſcere valent de nouo indiuidua omnia materialia, quę eis in debita diſtantia, & intra ſphæram ſuæ actiuitatis proponuntur: ratio eſt, quia in noſtra, & Scoti doctrina animæ ſeparatæ ex natura ſua poſſunt accipere ab obiectis materialibus miniſterio intellectus agentis ſpecies intelligibiles, ſi prædicta obiecta in debita diſtantia, & intra ſphærã actiuitatis proponantur: ergo ſi animabus ſeparatis (qualeſcũque illæ ſint) proponantur obiecta materialia ſingularia, concreta accidentibus, quæ principia indiuiduationis eorum cõſequuntur, in debita diſtãtia, & intra ſphęram actiuitatis earum, poterunt ex natura rei, & attenta ſolùm

ge-

generali prouidentia, abſtrahe-re ab ipſis ſpecies, naturas ſpecificas, tam ipſorum, quàm accidẽtium, eorumq; principia indiuiduationis conſequentium virtualiter repræſentantes, quę ſunt ſpecies ad cognoſcenda indiuidua, ſeu ſingularia materialia proprio, & diſtincto conceptu, in omni ſtatu, in noſtra, & Scoti doctrina requiſitæ.

17 Tertium, quod vertitur in dubium, eſt, an animæ ſeparatę cognoſcant ea, quæ poſt ſeparationem earum à corporibus fiunt diſcurſu temporis in hoc mundo? & communis, & vera reſolutio eſt, ex natura rei, & ex generali, ſeu naturali prouidẽtia ea non cognoſcere: ita tenent, non ſolùm Scholaſtici, Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 2. D. Thomas 1. part. quæſt. 89. art. 8. ſed etiam Patres, præſertim Auguſtinus libro *de cura pro mortuis* cap. 13. & Gregorius lib. 12. *moral.* cap. 13. imo colligitur ex ſcriptura Iob 14. *Siue fuerint filij eius nobiles, ſiue ignobiles, non intelliget.*

18 Ratio eſt: in doctrina noſtra, & Scoti, quæ ſuſtinet, animas ſeparatas accipere ſpecies intelligibiles ab obiectis, quæ de nouo cognoſcunt, quia ad hoc, vt intellectus agens animarum ſeparatarum abſtrahat ſpecies intelligibiles ab obiectis materialibus, neceſſarium eſt, quòd prædicta obiecta ſint intra ſphæram actiuitatis eius; conſtat autem ea, quæ in hoc mundo aguntur, ob nimiam diſtantiam localem, quam habet ab animabus ſeparatis, intra ſphæram actiuitatis intellectus agentis earum non contineri: quod ſi animæ ſeparatæ à loco remoto, in quo ſunt, à Deo in hunc mundũ mitterentur, cognoſcerent vtique ea, quæ agũtur in hoc mundo, ex natura rei, ſicuti & Angeli, quando à Deo mittuntur in hunc mundum, illa cognoſcũt. In doctrina verò D. Thomæ, & aliorum, qui negant, animas ſeparatas poſſe accipere medio intellectu agente ſpecies intelligibiles ab obiectis materialibus, quæ de nouo cognoſcunt; ſed illa cognoſcere per ſpecies à Deo per ſe infuſas, ratio eſt, quia ex natura rei non eſt debitum, vt Deus infundat animabus ſeparatis ſpecies intelligibiles eorum, quæ poſt illarũ ſeparationem aguntur in hoc mũdo, cum iſtorum cognitio ſit animabus ſeparatis extranea, nec pertineat ad illum ſtatum noſſe, quæ hic geruntur.

19 Poſſunt tamen animæ ſeparatæ cognoſcere, imò de facto cognoſcunt (vt ex D. Auguſtino notauit D. Thomas artic. 8. citato ad primum) quædam ex his, quæ in hoc mundo geruntur, non ſolùm manifeſtatione diuina, quo pacto animæ beatæ plurima ſanè cognoſcunt; ſed etiam naturali communicatione, & commer-

mertio ex relatione aliarum animarum, hinc abeuntium, & Angelorum, & dæmonum.

20 Quartum, quod vertitur in dubium, eſt, quomodo anima ſeparata cognoſcat, tam ſe ipſam, quàm Angelos, aliaſque animas? & dico notanter, *quomodo*, nam aliquo modo prædicta cognoſcere dubitari non poteſt, cum adhuc in ſtatu cõiunctionis aliquo modo illa cognoſcat, vt diſput. 4. huius libri loquendo de obiectis materialibus, ſeu terminatiuis, ad quæ ſe extendit intellectus noſter poſſibilis, oſtenſum eſt; & ex ſupradictis patet, ea, quæ animà cognoſcit in ſtatu coniunctionis, perfectiori modo poſſe cognoſcere in ſtatu ſeparationis.

21 Hæc dubitatio in noſtris, & Scoti principijs facilè ſolui poteſt: dicẽdum eſt enim, animam ſeparatam ex natura rei, & ſecundum communem, & naturalem prouidentiam, non ſolùm ſe ipſam, ſed etiam Angelos, aliaſque animas, quæ intra ſpheram actiuitatis intellectus præſentialiter, & realiter exiſtũt, cognitione, tam quidditatiua, quàm intuitiua cognoſcere: ratio eſt, quia eſſentiæ tam animarum, quàm Angelorum ſub obiecto, non ſolùm adæquato, ſed etiam proportionato intellectus animæ ſeparatæ continentur; & inſuper in noſtra, & Scoti ſententia anima ſeparata poteſt recipere nouas ſpecies intelligibiles ab obiectis ſpiritualibus; ergo ſi Angeli, & aliæ animæ ſint intra ſpheram intellectus animæ ſeparatæ, præſentialiter, & realiter exiſtentes, nihil obſtare poterit ex natura rei, & ſecundum communem, & naturalem prouidentiam ad hoc, vt ab illa quidditatiuè, & intuitiuè cognoſcantur.

22 Solùm eſſe poteſt controuerſia in explicando, per quid anima ſeparata quidditatiuè, & intuitiuè ſe cognoſcat, an per ſpeciem intentionalem ſui, an per ſubſtantiam ſuam immediatè? nam D. Thomas 1. part. quæſt. 87. (quem diſcipuli ſequuntur, inter quos eſt Caiet. 1. p. q. 89. art. 2.) docet, animam ſeparatam cognoſcere ſe ipſam, non per ſpeciem intentionalem ſui, ſed immediatè per ſuam ſubſtantiam; & fundamentum eſſe poteſt, quia ſpecies intentionalis obiecti ſolùm requiritur ad illius cognitionem, quando obiectum ob ſuam materialitatem non poteſt mouere, actuare, & determinare potentiam cognoſcitiuam ad ſui cognitionem; quod non contingit in anima ſeparata reſpectu ſui intellectus, cum æquè immaterialis ſit, ac eſt eius intellectus: quod confirmari ſolet, non ſolùm inſtantia Angeli, qui ſe ipſum quidditatiuè, & intuitiuè cognouit, & non per ſpeciem intẽtionalem ſui; ſed immediatè per

per ſuam eſſentiam: ſed etiam inſtantia beatorum, qui quidditatiuè, & intuitiuè cognoſcunt diuinam eſſentiam, & nō per ſpeciem intētionalem impreſſam illius, quia iſta non eſt poſsibilis, ſed immediatè per ipſam diuinam eſſentiam.

23 Tamen hæc D. Thomæ ſententia non immeritò difficilis viſa eſt Patri Suarez lib. 6. de anima ſeparata cap. 5. eſt enim facilior, & magis cōformis principijs tam Ariſtotelis, quàm Scoti; ſententia, quæ per oppoſitum affirmat, animam ſeparatam quidditatiuè, & intuitiuè cognoſcere ſe ipſam media ſpecie intentionali ſui, non ſecus, ac intelligit quidditatiuè, & intuitiuè Angelos, & alias animas, intra ſphæram ſuę actiuitatis realiter, & præſentialiter exiſtentes, medijs ſpeciebus intentionalibus ipſorū, & non immediatè per ipſorum ſubſtantias; quod non leuiter poteſt ſuaderi.

24 Primò, quia ex Ariſtot. ad nullā cognitionem intellectus noſter ex natura ſua eſt in actu primo, ſed in pura potentia, & tanquam tabula raſa: ergo indiget etiam in ſtatu ſeparationis aliquibus formis, per quas in actu primo, & antequam actualiter intelligat, potens intelligere conſtituatur. Rurſus formæ, per quas debet conſtitui in actu primo potens intelligere ſua obiecta, non ſunt ipſa obiecta ſecundum ſuum eſſe reale, & naturale, ſed ſecūdum ſuum eſſe intentionale; quia ſecūdum eundem Ariſtotelē debent eſſe formæ ſine materia; vbi per formas ſine materia (vt ſæpè aduertit Scotus) non intelligit Ariſt. formas ſpirituales; aliàs ſpecies intentionales ſenſibiles perperam appellaſſet Ariſtotel. ſicut appellat formas ſine materia, cum non ſpirituales, ſed potiùs materiales ſint; ſed intelligit ſpecies intentionales, quæ formæ ſine materia ab Ariſtot. nuncupantur relatè ad formas reales, ſeu naturales, quæ etiāſi cōtingat eſſe ſpirituales, vt ſunt animæ noſtræ, & Angeli; non poſſunt in ſenſu Ariſtotelico formæ ſine materia appellari, cū nō ſint formæ intētionales, ſed potiùs reales, ſeu naturales: ſentit ergo Ariſt. eſſe neceſſarium, etiā in anima ſeparata, ad ſe intelligendā, quòd priùs intellectus eius cōſtituatur in actu primo potens intelligere ſuam animā per ſpeciem intentionalem illius. Quibus accedit id, quod etiam docet Ariſt. nimirum, ad intelligendum, ſimpliciter neceſſarium eſſe, quòd intelligens fiat priùs ipſum intelligibile; quod non de eſſe reali, ſed de eſſe intentionali, & virtualiter repræſentatiuo omnes intelligunt. Fauet etiam inſtantia coloris exiſtentis ſecundum ſuum eſſe reale in pupilla oculi, qui à potentia viſiua talis pupillæ non videtur, etiamſi ſit ei intimè pe-

Digitized by Google

penetratus, & vnitus, non alia ratione, niſi quia cum ſit materiale obiectum ex defectu medij requiſiti ad mittendam ſpeciem ſui in potentia viſiua, de facto illam non emittit; & ad ſentiendum, ſicuti, & ad intelligendum ſimpliciter neceſſarium eſt, quòd potentia cognoſcitiua, ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua ſit, priùs natura conſtituatur in actu primo per ſpeciem intentionalem ſui obiecti, potens illud ſentire, vel intelligere, nec vllo modo ſufficere, quòd prædictum obiectũ ſecundum ſuum eſſe reale ſit intimè præſens per vnionem, aut per identitatem ipſi potentiæ cognoſcitiuæ.

25 Secundò ſuaderi poteſt ex inconuenienti, quod ex oppoſita ſententia ſequeretur, nimirum, quòd anima etiam in ſtatu coniunctionis quidditatiuè, & intuitiuè ſe ipſam cognoſceret; quod non ſolùm eſt falſum, ſed pugnans cum experientia. Sequela patet; nam ſi conſtituta eſſet ex ſe, & per ſuã ſubſtantiam in actu primo potens cognoſcere ſe ipſam, non dependeret à ſenſibus, neque à conuerſione ad phantaſma, etiam in ſtatu coniunctionis in prædicta cognitione; nam intellectus noſter pro hoc ſtatu in tantùm pendet à ſenſibus, & à conuerſione ad phantaſma in ſua actuali cognitione rerũ ſenſibilium, in quantum id, per quod conſtituitur in actu primo potens cognoſcere res ſenſibiles (ſcilicet ſpecies impreſſæ) tam id ſuo eſſe, quàm in ſua cooperatione cum intellectu à ſenſibus, & à conuerſione ad phantaſma dependet. Quod confirmari, & declarari poteſt inſtantia cognitionis per ſe infuſæ, qua anima Chriſti in ſtatu coniunctionis cognoſcebat ſe ipſam, & alias ſubſtantias ſpirituales in proprio genere, cognitione quidditatiua, & intuitiua independenter à ſenſibus, & à conuerſione ad phantaſma, & non alia ratione, niſi quia id, per quod conſtituta fuit in actu primo potens illa cognoſcere, neque in ſuo eſſe, neque in ſua cooperatione cũ intellectu pendebat à ſenſibus, & à conuerſione ad phantaſma; nam fuerunt ſpecies impreſſæ à Deo per ſe infuſæ.

26 Ad fundamentum adductum pro ſententia D. Thomæ patet ex dictis in prima probatione noſtræ ſententiæ num. 24. nullum creatum obiectũ, etiãſi ſit ſpirituale, poſſe mouere, actuare, & determinare potẽtiam cognoſcitiuã ad ſui cognitionẽ per ſuum eſſe reale, & naturale, etiãſi ſit ei intimè præſens, & vnitum, imò cum illa realiter identificatum; ſed hæc ſolùm poſſe præſtare per ſuum eſſe intentionale, & virtualiter repræſentatiuum ipſius obiecti, vt ſunt ſpecies intentionales impreſſæ; nec mirum, cum actualis cognitio, ad cuius productio-

Digitized by Google

ductionem ſimul cum potentia cognoſcitiua effectiuè concurrit, ſolùm habeat eſſe intentionale, & in expreſſa, & formali repræſentatione obiecti conſiſtens. Imò ſi potentia cognoſcitiua ſenſitiua ſit, vnio, ſeu cõtiguatio obiecti ſecundum ſuũ eſſe reale cum illa, impedit ſenſationem; quia cum obiectum eius materiale ſit, ad producendam ſpeciem intentionalem ſui, ad ſenſationem requiſitam, indiget aliquo medio, quo prædicta ſpecies deferatur, & depuretur, vt ex profeſſo docuimus cum Ariſtotele, & Scoto 2. libro huius operis, diſp. 12. quæſt. 1.

27 Ad inſtãtias Angelorum, & beatorum, ad contrarium ſuadendum adductas reſpondemus, prædictas inſtantias nihil ampliùs quàm petitionem principij continere. Sicut enim de anima ſeparata affirmamus nõ cognoſcere ſe ipſam quidditatiua, & intuitiua cognitione immediatè per ſuam eſſentiam, ſed per ſpeciem intentionalem impreſſam illius; idem pariformiter, & propter eaſdẽ rationes ſuſtinemus de cognitione, qua Angelus quidditatiuè, & intuitiuè ſe cognoſcit. Et quamuis D. Thomas, & eius aſſeclæ ſuſtineant, ſpeciem intentionalem impreſſam diuinę eſſentiæ eſſe impoſsibilem; nos tamen cum Scoto in 2. diſt. 3. quæſt. 9. & cum ferè iam communi inter recentiores ſententia oppoſitum ſuſtinemus: ſemel autem admiſſa poſsibilitate ſpeciei impreſſæ diuinæ eſſentiæ, non apparet, cur de facto non ſit admittendum, beatos quidditatiuè, & intuitiuè cognoſcere diuinam eſſentiam per prædictam ſpeciem: nam licet Deus ſua abſoluta potentia poſsit ſpeciali concurſu ſupplere cõcurſum, quem præſtat prędicta ſpecies diuinę eſſentię impreſſa; non ſecus, ac ſupplere poteſt concurſum effectivum cuiuſcumque alterius cauſę ſecundę; tamen de facto id non contingit, quia connaturalius eſt ſinere cauſas ſecundas, effectus, ad quos ſunt deſtinatę, operari prę ſtando ſolùm concurſum generalem, quo indigent, vt actualiter operentur.

28 Quintum, quod vertitur in dubium, eſt, quomodo anima ſeparata cognoſcat Deum? & primum certum eſt, animam ſeparatam ex cognitione, tam ſui, quàm aliorum effectuum Dei, quos naturali lumine cognoſcit, poſſe arguitiuè, & abſtractiuè in cognitionem certam deuenire, non ſolum aliquorum attributorum Dei, vt quòd ſit intelligens, volens, bonus, iuſtus, &c. ſed etiam aliquorum prędicatorum quidditatiuorum vniuerſalium, in quibus vniuocè cum aliquibus creaturis conuenit, vt quòd ſit ens, ſubſtantia, ſpiritus, &c. imò aliquorum modorum intrinſe-

corum

Digitized by Google

corum Dei, vt quòd ſit independens ab alio, infinitus, actus purus, &c. Ratio eſt, quia ſi hæc præſtare poteſt anima in ſtatu coniunctionis, vt ex profeſſo ſtatuimus diſput. 4. huius libri quæſt. 3. quanto magis in ſtatu ſeparationis, in quo modus cognoſcendi ipſius perfectior, & purior eſt.

29 Secundum certum, imò de fide eſt, animam ſeparatam non poſſe ſolo lumine naturali ſui intellectus videre, ſeu clarè, & intuitiuè cognoſcere ipſum Deum: ita definitum eſt in Concilio Vienenſi, & refertur in clementina *Ad noſtrum de hæreticis* contra Begardos, & Beginas, oppoſitum aſſerentes; & colligitur ex ſcripturis, in quibus vita æterna, ſeu beatitudo noſtra, quæ in viſione clara, & intuitiua Dei, eiuſque fruitione conſiſtit, appellatur donum gratuitum Dei, ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna*; & Pſalmo 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*; & ex alijs ſcripturis, in quibus retributio vitæ æternæ ſpecialiter Deo attribuitur, quibus denotatur, viribus naturæ eam obtineri non poſſe; ita Pſalmo 138. Iſaiæ cap. 64. Lucæ 12. Ioannis 1. & 10. & primæ ad Corinthios cap. 2. & alibi ſæpè.

30 Sed quamuis omnes Catholici præfatum aſſertum tāquam de fide venerentur; tamen in aſſignanda ratione anxij ſunt; eſt enim difficile aſſignare rationem, quæ poſitiuè conuincat, animam ſeparatam non poſſe ex viribus ſui intellectus Deum videre, ſeu clarè, & intuitiuè cognoſcere, cum ex vna parte anima ſeparata ad cognoſcenda ſua obiecta conuerſione ad phantaſma non indigeat, ideoque potens ſit ſubſtantias ſpirituales, quæ intra ſphæram ſuæ actiuitatis realiter repræſentantes, & exiſtentes ſunt, clarè, & intuitiuè cognoſcere; & ex alia parte ſubſtantia ſpiritualis ſimpliciter infinita, vt eſt diuina eſſentia, non ſolùm ſub obiecto adæquato noſtri intellectus contineatur; ſed etiam intellectui animæ ſeparatæ ſit intimè realiter præſens, & exiſtens; & demum ex eo, quòd diuina eſſentia terminet cognitionem intuitiuam animæ ſeparatæ, nulla imperfectio argui poſſit in diuina eſſentia: quòd enim res aliqua ab alia imperfecta videatur, ſeu clarè, & intuitiuè cognoſcatur, nullum argumētum eſt, ipſam, quæ videtur, eſſe imperfectam; poteſt enim res inferior ſuperiorem clarè, & intuitiuè cognoſcere, licet non comprehendere, vt Angelus inferior ſuperiorem, & anima ſeparata omnes Angelos.

31 D. Thomas 1. part. quæſt. 12. art. 4. & 1. 2. quæſt. 5. art. 5. & 3 contra gentes cap. 52. hāc affert rationem; quando modus eſſendi rei cognitæ excedit modum eſſendi naturæ cog-

cognoſcentis; neceſſarium eſt, quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam cognoſcentis; ſed modus eſſendi diuinæ naturæ excedit modum eſſendi naturæ intellectualis creatæ: ergo cognitio diuinæ naturæ erit ſupra naturam creaturæ intellectualis, qualis eſt anima ſeparata.

32 Maiorem ſic probat Diuus Thomas; cognitio contingit ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente; ſed cognitum eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis: ergo cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundum modum ſuæ naturæ, ac proinde ſi alicuius cogniti modus eſſendi eſt ſupra modum eſſendi naturæ cognoſcentis, etiam cognitio talis cogniti erit ſupra naturam cognoſcentis.

33 Vt autem probet minorē, ſupponit, modum eſſendi rerum, ad cognitionem requiſitum, & in quo eſſe debet ſimilitudo inter cognoſcens, & cognitum, eſſe in triplici differentia; quædam enim res ſunt in materia indiuiduali, vt omnia corporalia; quædam verò per ſe ſubſiſtunt extra materiam, vt ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ tamen non ſunt ſuum eſſe, ſed habent eſſe ab alio receptum, vt Angeli, & animæ ſeparatæ; & demum vnica tantum eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens extra materiam, quæ etiam eſt ſuum eſſe, & illud non recipit ab alio, nēpè ſubſtantia diuina: hoc ſuppoſito, ſic probat minorem; omnis natura intellectualis creata eſt compoſita ex eſſe, & eſſentia; Dei autem natura eſt incompoſita, & purus actus, ac ſuum eſſe: ergo modus eſſendi naturæ diuinæ eſt ſupra modum eſſendi cuiuſcumque creaturæ intellectualis, illumque excedens.

34 Rurſus ad cognitionem requiri, quòd cognitū, & cognoſcens habeant eundem modum eſſendi ex tribus ſupradictis, cōfirmat D. Thomas inductione; nam ſenſus, cum ſit potentia vitalis, altiorìſque ordinis, quàm ſenſibilia per ſe, non mouetur ab illis ſecūdum eſſe reale ipſorum, ſed ſecundum eſſe intētionale, quod habent in ſpecie ſenſibili; & quia potentia ſenſitiua ſubiectatur in organo materiali, & corporeo; ideò non cognoſcit, niſi materialia, & ea quidē ſolùm, vt ſingularia ſunt, quia ſingularitas à materia deſumitur: intellectus autem humanus, quia eſt corpori vnitus, non cognoſcit etiā naturaliter, niſi materialia, & corporalia, vel ſaltem ſpiritualia per modū corporalium; ſed quia non eſt potentia organica, cognoſcit materialia in vniuerſali. Rurſus Angelicus intellectus, cū nullo modo ſit corpori vnitus, naturaliter cognoſcit incorporea, tam in ſingulari, quàm in vniuerſali: ergo quia eſt cōpoſitus ex eſſe, & eſſentia; non poterit naturaliter cognoſcere diuinū

ſubſtantiam, cum hæc non ſit compoſita ex eſſe, & eſſentia, ſed purus actus.

35 Hic eſt diſcurſus D. Thomæ ad probandum, neque animam ſeparatam, neque Angelos ſolo lumine naturali poſſe Deum clarè, & intuitiuè cognoſcere, ab ipſo quidem minus ſyllogiſticè propoſitus, vt nouit Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 11. & ideò eſt diſcurſus ſatis obſcurus, tam in textu D. Thomæ, quàm, prout ab alijs paſsim refertur; ſatis tamen clarus, prout à nobis poſitus eſt, & quoad formam benè concludit; quoad materiã verò impugnatur, & reprobatur, non ſolum ab Scoto in 1. diſt. 3. quæſt. 3. §. *Cõgruentia*, & in 4. diſt. 49. q. 11. §. *Reſpondeo*, & in quodl. 14. artic. 2. §. *Sed contra*, ſed etiam ab Sminſig. de Deo vno tractatu 2. diſp. 6. quæſt. 2. & à Molina 1. par. quæſt. 12. art. 4. & communiter ab Scotiſtis.

36 Impugnat autem Scotus principium illud in maiori diſcurſus D. Thomæ aſſumptum, *quãdo modus eſſendi rei cognitæ excedit modum eſſendi naturæ cognoſcentis, neceſſarium eſt, quòd cognitio illius rei ſit ſupra naturam cognoſcentis*; primò, quia inter motiuum, & mobile, etſi requiratur aliqua proportio, ſed non ſimilitudo, ſed potiùs diſsimilitudo in modo eſſendi; ſed obiectum, & potentia habent ſe ſicut mouẽs, & mobile; ergo quãuis inter illa requiratur aliqua proportio; non tamen requiritur ſimilitudo in modo eſſendi, vt aſſumit diſcurſus D. Thomæ, ſed potiùs diſsimilitudo. Minor conſtat; maior probatur, quia mouens, & mobile ſe habent, vt actus, & potentia, quæ, etſi aliquam proportionem requirant, ſed nullo modo requirunt ſimilitudinem in modo eſſendi; ſed potiùs diſsimilitudinem, vt inductione patet.

37 Secundò impugnat, quia etiamſi ad naturalẽ cognitionem requiratur proportio inter potentiam cognoſcentẽ, & obiectum cognitũ; hæc autem nõ aufertur inter intellectũ animæ ſeparatæ, & ipſum Deum, ex eo quod modus eſſendi ipſius Dei excedat modũ eſſendi animæ ſeparatæ; aliàs anima ſeparata nõ poſſet naturaliter Angelum cognoſcere, cum modus eſſendi Angeli excedat modum eſſendi animæ ſeparatæ; & idem eſſet iudicium de Angelo inferioris ſpeciei reſpectu Angeli ſpeciei ſuperioris; quæ manifeſtè falſa ſunt, neque admittuntur à D. Thoma.

38 Reſpondent Thomiſtæ ex mente D. Thomæ nõ qualemcumque exceſſum obiecti in modo eſſendi reſpectu potẽtiæ intellectiuæ impedire proportionẽ requiſitam ad naturalem intellectionẽ; ſed ſolùm exceſſum in aliquo modo eſſendi ex tribus aſsignatis à D. Tho. quorũ num. 33. mentionẽ fecimus. Et quia tam animæ ſeparatæ, quam

quàm Angeli participant ſecũdum modũ eſſendi ex tribus ibi à D. Tho. numeratis; nam tam animæ ſeparatæ, quàm Angeli ſunt ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes extra materiã, quę non ſunt ſuum eſſe, ſed illud à Deo recipiunt; ideò animam ſeparatam habere proportionem requiſitã ad naturaliter cognoſcendũ Angelum, & Angelum inferiorem ad cognoſcendũ ſuperiorẽ; ſecus verò ad cognoſcendũ naturaliter Deũ, quia Deus habet diuerſum modum eſſendi, ac habent Angeli, & animæ ſeparatæ ex tribus enumeratis à D. Thoma; nam non ſolùm eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens extra materiã, ſed etiam habet, quòd ſit ſuum eſſe, & purus actus.

39 Sed ſanè reſponſio iſta petitio principij eſt; ſupponit enim, vt certũ, quod negamus, ſcilicet, cauſam, ob quã intellectus creatus (vt eſt animæ rationalis ſeparatæ) nõ poteſt viribus ſuis clarè, & intuitiuè Deũ cognoſcere, non eſſe aliam, niſi quia modus eſſendi intellectus creati, eſt valdè inferior modo eſſendi ipſius Dei, cũ intellectus creatus nõ ſit ſuũ eſſe, nec actus purus; Deus autem ſit ſuũ eſſe, & purus actus. Licet enim omnes Catholici fateamur, intellectũ creatum non poſſe viribus ſuis Deũ clarè, & intuitiuè cognoſcere; tamẽ ratio huius impotẽtiæ nõ eſt, quia intellectus creatus, & Deus habẽt diuerſos prędictos modos eſſendi; aliàs, vt benè obijcit Scotus, ſequeretur, quòd cõiũctum ex intellectu creato, & lumine gloriæ nõ poſſet viribus ſuis, clarè, & intuitiuè Deũ cognoſcere; ſiquidẽ totum hoc coniunctũ inferiorẽ modum eſſendi habet à modo eſſendi ipſius Dei, cum non ſit ſuum eſſe, & purus actus, ſicuti eſt ipſe Deus: & ratio à priori eſt, quia ſicuti quòd anima ſeparata nõ ſit ſuum eſſe, & purus actus, nõ tollit ab illa potentiam ad clarè, & intuitiuè cognoſcendas ſubſtantias ſpirituales, quæ intra ſphæram ſuæ actiuitatis ſunt realiter præſentes, & exiſtentes; ita quod Deus ſit ſuum eſſe, & actus puru, non tollit ab illo, quòd ſub obiecto adæquato intellectus animę ſeparatæ cõtineatur: ergo ex hac diuerſitate eſſendi intellectus creati, & Dei, non rectè conuincitur impotentia, quã de facto habet intellectus creatus clarè, & intuitiuè cognoſcendi Deũ: ex alio ergo capite venanda erit hæc impotentia.

40 Neque ratio, quã aſſumit D. Tho. ad probandam maiorem ſui diſcurſus, intẽtum probat; nam, vt benè vidit Scotus, cum cognitũ non ſit in cognoſcente ſecundũ ſuum eſſe reale (hic enim modus eſſendi potiùs impedit, quã iubat ad cognitionẽ naturalem) ſed ſecundũ ſuum eſſe intentionale, ſeu repræſentativũ ex eo, *quòd cognitio contingat, ſecundũ quod cognitum eſt in cognoſcente*, non rectè infertur, ad

Digitized by Google

ad cognitionem requiri, quòd cognoſcens, & cognitū debeāt proportionari quoad modū eſſendi realē, vt cōtēdit D. Tho. ſed quoadmodum eſſendi intentionalē, ſeu repræſentativū.

41 Item inductio facta à D. Tho. (quam num. 34. retulimus) non ſolùm non cōuincit, ad cognitionem naturalem neceſſariò requiri, ſaltem, quòd cognoſcens, & cognitum in actualitate, & abſtractione à materia debeant aſsimilari (vt contendit diſcurſus D. Thomę iuxta expoſitionē Caietani 1. part. q. 12. art. 4. Capreoli in 4. diſt. 49. q. 4. Soti ibidem q. 2. art. 2. Ferraræ 3. contra gentes cap. 52.) ſed potiùs conuincit oppoſitum; nam intellectus animæ ſeparatæ ſingularis eſt, & tamen cognoſcit vniuerſalia, & in ſentētia D. Thomæ eſt accidens, & tamen naturaliter cognoſcit ſubſtantias; item eſt immaterialis, & tamen res materiales cognoſcit, & idem eſt iudicium de intellectu Angelico. Quod enim conuincit prædicta inductio, ſi benè perpendatur, ſolùm eſt aſsignari poſſe alias rationes, ob quas potentia cognoſcitiua, ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua ſit, non poſsit naturaliter ſe extendere ad aliqua obiecta percipienda; quod diſcurrendo per prædictam inductionem facilè oſtendi poteſt.

42 Nam in primis, quòd ſenſus nō moueatur à ſenſibilibus per ſe ſecundum ſuum eſſe reale, ſed ſecundū ſuum eſſe intentionale, quod habent in ſpecie impreſſa ipſorū, non prouenit præcisè ex eo, quod ſenſibilia per ſe habeant eſſe materiale; tum quia etiā potētiæ ſenſitiuæ materiales ſunt, & conſequēter quoad hoc eiuſdē rationis cum ſuis obiectis per ſe; tum etiam quia anima ſeparata ad cognitionem, quā habet aliarum animarū ſeparatarum nō mouetur ſecundū intellectū ab alijs animabus ſeparatis, ſecundum eſſe reale ipſarū, ſed ſecundum eſſe intētionale, quod habēt in ſpeciebus impreſsis ipſarū; & tamē omnes animæ ſeparatæ æquales ſunt, tam in immaterialitate ipſarū, quàm in ſpecifica perfectione; ſed prouenit (vt n. 26. dicebamus) quia cum actualis cognitio, ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua ſit, ſolū habeat eſſe intētionale, in expreſſa, & formali repræſentatione obiecti cōſiſtēs, neceſſariū eſt, vt obiectum, quod ſimul cū potētia cognoſcitiua ad productionē illius efficienter cōcurrit, de facto cōcurrat, non ſecundū ſuum eſſe naturale, ſed ſecundū ſuum eſſe intentionale, & virtualiter repręſētativū ſui ipſius, quale eſt, quod habēt in ſpecie impreſſa.

43 Deinde, quòd potētiæ ſenſitiuæ nō cognoſcant, niſi materialia obiecta, & ea ſolū attingant in ſingulari, non prouenit à priori, & tanquam à cauſa ex eo, quòd ſubiectentur in organo materiali, & corporeo; nam acci-

Digitized by Google

accidentia (vt ſunt in ſententia D. Thomæ potentiæ ſenſitiuæ) neque ſpecificationem, neque indiuiduationem deſumunt à ſubiectis, vt ex profeſſo cũ Scoto, & cõmuniori ſententia docuimus 1. lib. Phyſicorũ, diſp. 6. q. 1. ſect. 3. ſed prouenit ex eo, quòd obiectũ earum adæquatum ſolùm eſt ens ſenſibile, & conſequẽter quid materiale; & inſuper cum potentiæ abſtractiuæ non ſint, ſicut eſt potentia intellectiua, ſemper tendunt in ſua obiecta, vt exiſtunt à parte rei, & nihil exiſtit à parte rei, quod ſingulare non ſit.

44 Demum, quòd intellectus humanus in ſtatu coniunctionis non cognoſcat naturaliter niſi materialia, & corporalia, vel ſaltem ſpiritualia per modum corporalium, non prouenit ex eo, quòd in dicto ſtatu ſit minus ſpiritualis, ac eſt in ſtatu ſeparationis; ſed quia ſpecies impreſſas, quibus ad ſuas intellectiones indiget, in ſtatu coniũctionis naturaliter ſolùm accipit miniſterio ſenſuum, quæ eo ipſo ſolùm eſſe poſſunt repræſentatiuæ obiectorum ſenſibilium, & conſequẽter materialium. Et quamuis nõ ſit potentia organica, tamen ratio à priori, ob quam potẽs eſt cognoſcere materialia in vniuerſali, non eſt hæc; ſed quia eſt potentia abſtractiua, & conſequẽter potens cognoſcere naturas communes à cõditionibus ſingularibus abſtractas, & præciſas, & quoad hoc idem eſt iudicium de intellectu Angelico cum proportione debita.

45 Propter hæc Scotus noſter locis num. 35. citatis alia via magis efficaciter probat, non poſſe animam ſeparatam, neque aliquem ex Angelis naturaliter, & ex viribus proprijs videre, ſeu clarè, & intuitiuè cognoſcere ipſum Deum: ratio Scoti in virtute talis eſt; ad cognitionem claram, & intuitiuam alicuius obiecti (vt ex dictis cum Scoto diſp. 5. huius libri quæſt. 4. præſuppono) ſimpliciter neceſſariũ eſt, quòd obiectum ſit potentiæ cognoſcitiuæ, vel in ſe, vel in aliquo eminentiori realiter præſens, & exiſtens *obiectiuè*, id eſt, quòd per ſuum eſſe reale præſens, & exiſtens moueat, & determinet potentiam ad ſui cognitionem, vel immediatè, vt placet aliquibus, vel media ſpecie intentionali impreſſa, vt nobis magis placet; ſed neque anima ſeparata, neque Angelus, neque quæcumque alia imaginabilis creatura poteſt viribus ſuis naturalibus præſtare, quòd Deus in ſe, vel in aliquo eminentiori (nihil enim eſt eminẽtius Deo) ſit eorum intellectui realiter præſens, & exiſtens *obiectiuè*, id eſt, quòd per ſuum eſſe reale præſens, & exiſtens moueat, & determinet ipſorum intellectum ad cognitionẽ ipſius Dei, neque immediatè, neq; media ſpecie impreſſa

Digitized by Google

Dei; quia cum talis motio, & determinatio ſit effectus ad extra, ſolùm pendet ex libera voluntate Dei: ergo ex hoc capite manifeſtè concluditur, neque animam ſeparatam, neque Angelum poſſe naturaliter, & ex viribus ſuis proprijs videre, ſeu clarè, & intuitiuè cognoſcere ipſum Deum.

46 Dices cum Suario, & alijs, hoc Scotico diſcurſu ſolū probari cognitionem clarā, & intuitiuam Dei eſſe ſupernaturalē in modo ſuæ productionis, non verò in ſua entitate, quod nō eſt ſufficiēs; nam etiam hoc pacto affirmari poteſt, productionem animę rationalis, reſurrectionē mortui, & reſtitutionem viſus in homine cæco eſſe ſupernaturales, quatenus hæ à nulla cauſa naturali fieri poſſunt.

47 Reſpondeo, diuerſam difficultatem eſſe, *an cognitio clara, & intuitiua Dei ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam* ab ea, quam in præſenti examinamus, ſcilicet, *an animæ ſeparatæ, vel Angeli poſsint naturaliter, & ex viribus ſuis Deum clarè, & intuitiuè cognoſcere?* Quis hoc dubitabit? ergo ſi Scoti diſcurſus ipſis aduerſarijs conſentientibus, optimè conuincit id, quod in præſenti probare intendimus, ſcilicet, neque animam ſeparatā, neque Angelum, neque quamcumque aliam imaginabilem creaturam poſſe naturaliter, & ex viribus ſuis Deum clarè, & intuitiuè cognoſcere; quòd prædictus diſcurſus non probet, cognitionem claram, & intuitiuam Dei eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, quid ad rem? Nunquid neceſſarium eſt, quòd diuerſæ concluſiones vnico, & eodem diſcurſu comprobentur?

48 Etſi petas, quid ſenſerit Scotus circa priorem difficultatem? Reſpondeo, Scotum in 2. diſt. 3. quæſt. 9. §. *Ad quæſtionem*, non ſolum docuiſſe, ſed etiam probaſſe, dari poſſe in intellectu creato duplicē cognitionem claram, & diſtinctam ipſius Dei, vnam abſtractiuam, quæ etſi clarè, & diſtinctè repræſentet diuinam naturam; ſed non vt realiter præſens, & exiſtens eſt; alteram intuitiuam, & quæ non ſolùm illam clarè, & diſtinctè repræſentet, ſed etiam, vt realiter præſens, & exiſtens eſt, qua diſtinctione ſuppoſita, docet, quod etiamſi cognitio abſtractiua, clara, & diſtincta Dei poſsit dici ſupernaturalis quoad modum, & in quantū nullus intellectus creatus potens eſt, viribus ſuis acquirere ſpeciem impreſſam requiſitam ad prædictam cognitionem eliciendam; nihilominus in ſua entitate eſſe naturalem, ſumpto naturali, prout diſtinguitur contra ſimpliciter ſupernaturale, qualia ſunt dona gratiæ, & gloriæ; quia talis cognitio debita erat Angelis ex dono ſuæ creationis; & ideò de facto, & ex naturali prouidentia.

Digitized by Google

dentia infuſas fuiſſe Angelis in inſtanti ſuarum creationũ ſpecies impreſſas, ad eliciendas prædictas cognitiones requiſitas. De cognitione autem non ſolùm clara, & diſtincta Dei, ſed etiam intuitiua, & faciali, in qua ſimul cum fruitione conſiſtit noſtra beatitudo, non ſolùm docet eſſe ſupernaturalem quoad modum, ſicut de cognitione abſtractiua dixerat; ſed etiam in 4. diſt. 49. q. 11. affirmat eſſe ſimpliciter ſupernaturalem, qualia ſunt dona gratiæ, & gloriæ; ideòque intellectum creatũ præter ſpeciem, indigere aliquo ſupernaturali comprincipio, quod cõmuniter appellatur lumẽ gloriæ, quod ſimul cum intellectu beatorum concurrat ad illius elicitionem, vel aliquo ſpeciali concurſu Dei ſupplere vices luminis gloriæ. Neque obſtat, ſi dicas, Scotum loco quarti citato negaſſe neceſsitatẽ luminis gloriæ ad viſionem beatificam; nam Scotus ſolùm negat neceſsitatem luminis glorię ad hoc, vt intellectus diſponatur ad recipiendam viſionẽ beatificã, & ſimiliter ad illuminãdũ obiectũ; tamen ad eliciendam viſionẽ beatificam ſemper requirit aliquod comprincipiũ ſupernaturale, quod communiter appellatur lumen gloriæ, quod ſimul cum intellectu effectiuè concurrat.

49 Sextum, quod vertitur in dubium, eſt, an anima ſeparata poſsit naturaliter ex viribus ſui intellectus cognoſcere clarè, & intuitiuè accidentia ſupernaturalia, realiter præſentia, & exiſtentia intra ſphæram actiuitatis ſui intellectus? Cui dubitationi in principijs Scoti ſub diſtinctione reſpondẽdum eſt; nam accidentia ſupernaturalia ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt, quæ in ſuo eſſe intrinſecè non includunt, neque involvunt aliquid increatũ, vt habitus fidei, ſpei, & charitatis, exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia, &c. alia verò ſunt, quæ in ſuo eſſe intrinſecè includunt, vel involvunt, vt quid connotatum, ſine quo clarè, & intuitiuè cognoſci non poſſunt, aliquid increatum, vt vnio hypoſtatica, viſio beatifica, &c.

50 Si ſermo ſit de accidentibus ſupernaturalibus prioris claſsis, dicendum eſt cum Scoto in 4. diſt. 10. quæſt. 8. §. *Reſpondeo*, prædicta accidentia ſupernaturalia, ſi intra ſphæram actiuitatis intellectus animæ ſeparatæ realiter præſentia, & exiſtentia ſint, poſſe à prædicta anima naturaliter, & ex viribus ſui intellectus clarè, & intuitiuè cognoſci: ratio eſt, quia cũ anima ſeparata ex vna parte non dependeat in ſua cognitione à phantaſmatibus, potens eſt ad cognoſcenda omnia entia ſpiritualia, quæ ſub eius obiecto adæquato continentur; & ex alia entia ſpiritualia, quã-

tumvis ſupernaturalia ſint, ſub obiecto adæquato intellectus animæ ſeparatæ contineantur, & inſuper ad productionem ſuarum ſpecierum intelligibilium, non liberè, ſed naturaliter concurrant, nullum caput apparet, ex quo prouenire poſſit, animam ſeparatam nō poſſe naturaliter, & ex viribus ſui intellectus, clarè, & intuitiuè cognoſcere accidentia ſupernaturalia prioris claſsis, quæ intra ſphæram actiuitatis ſui intellectus ſunt realiter præſentia, & exiſtentia.

51 Si verò ſit ſermo de accidentibus ſupernaturalibus poſterioris claſsis, dicendum eſt, non ſolùm cum Scoto, ſed etiam cum communi ſententia, prædicta accidentia ſupernaturalia non poſſe clarè, & intuitiuè cognoſci naturaliter, & ex viribus proprijs, neque ab intellectu animæ ſeparatæ, neque ab aliquo intellectu creato, etiamſi intra ſphæram actiuitatis illius realiter præſentia, & exiſtentia ſint: ratio eſt, quia cum accidentia ſupernaturalia poſterioris claſsis in ſuo eſſe intrinſecè includant, ſeu involvant, vt quid connotatum, aliquid increatum, nimirum, vnionem hypoſtaticam, diuinum Verbum, viſionem beatificam, diuinam eſſentiam, non poterūt clarè, & intuitiuè cognoſci, niſi etiam ſimul cognoſcatur illud connotatum, à quo in ſuo eſſe intrinſecè dependent; nam ſicut res ſe habent ad eſſe, ita ad cognoſci; ſed ens increatum, ſcilicet, Deus, neque ab intellectu animæ ſeparatæ, neque ab aliquo intellectu creato poteſt naturaliter; & viribus proprijs clarè, & intuitiuè cognoſci, vt diſcurſu Scotico num. 45. oſtenſum eſt: ergo neque accidentia ſupernaturalia poſterioris claſsis poterunt clarè, & intuitiuè cognoſci, neque ab intellectu animæ ſeparatæ, neque ab alio creato, naturaliter, & ex proprijs viribus.

52 Septimum, & vltimum, quod vertitur in dubium eſt, an animæ ſeparatæ (& idem eſt iudicium de Angelis) cognoſcere valeant naturaliter, & viribus ſuis clarè, & intuitiuè ſecreta cordium aliorum, quæ realiter præſentia, & exiſtentia ſunt intra ſphæram actiuitatis ſui intellectus, intelligendo (ne in æquiuoco laboremus) nomine ſecretorum cordiū operationes internas, tam voluntatis, quàm intellectus, nō qualeſcumque, ſed tantum liberas?

53 Partē negatiuam amplexus eſt D. Tho. 1. p. q. 57. art. 4. quē omnes diſcipuli ſequūtur, Caietanus, & recētiores ſuper hunc locum, Ferrara 3. cōtra gentes cap. 154. Capreolus in 2. diſt. 8. q. 1. artic. 1. D. Bonau. eadem diſt. parte 2. art. 1. q. 6 Ricard. art. 2. q. 4. Durād. q. 5. Alenſis 2. par. q. 26. membro 3, Gregor. in 2. diſt. 9. q. 1.

Mar:

Digitized by Google

Marſil. ibidem quæſt. 6. art. 2. Henric. quodlib. 3. quæſt. 13.

54 Præcipuum fundamẽtum huius tam communis ſentẽtiæ, ſunt plures auctoritates, tam ſcripturæ, quàm Patrum, in quibus cognoſcere clarè, & intuitiuè ſecreta cordium ſoli Deo attribuitur; Pſal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus*: & Pſal. 43. *Ipſe nouit abſcondita cordis noſtri*: Ierem. 17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor*: & 2. Paralipomenon cap. 6. *Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum*: eodem modo loquuntur ſancti Patres: legantur Chryſoſtomus homilia 23. & 30. in Matth. vbi ſic ait, *Humanorum cordium cognitio ſolius Dei eſt, qui ea formauit*; & Hieronymus epiſtola 40. vbi ponit hæc verba, *Deus eſt enim in conſpectu peccatorum omnium ſolus, à quo, neque in corde meditata peccata abſcondi poſſunt*; & circa illud Matthæi 9. *Ecce quidã de ſcribis, &c.* ſic ait, *Sed Dominus videns cogitationes eorum oſtendit ſe Deum.*

55 His accedit ratio, qua ad idẽ probandũ vſi ſunt D. Tho. Caietanus, Ferrarienſis, & Capreolus locis citatis, quæ talis eſt, volũtas creata ſoli Deo ſubiacet; ergo ea, quæ ex volũtate creata pẽdẽt, ſoli Deo, cui ſubditur ipſa volũtas, nota eſſe poterũt: tales ſunt actus volũtatis, & intellectus liberi, qui dicũtur ſecreta cordiũ: ergo ſoli Deo nota eſſe poterunt ſecreta cordiũ.

56 Nobis autem tenẽdum eſt cum Scoto in 2. diſt. 9. quæſt. 2. ad 1. & in 4. diſt. 10. quæſt. 8. ad 3. & diſt. 45. quæſt. 4. ad 2. tam animas ſeparatas, quã Angelos valere naturaliter, & ex viribus ſuis ad cognoſcendum cognitione clara, & intuitiua, omnia ſecreta cordium aliorũ, quæ intra ſphæram actiuitatis ſuorum intellectuum realiter, & præſentialiter exiſtunt: de facto tamen ab ipſis non cognoſci, ſed ſolùm à Deo, quia Deus ſua ſpeciali prouidentia hoc impedit: Scotũ ſequuntur omnes diſcipuli, Lichetus, Tartaretus, Maironis, & Maior in 2. diſt. 9. citata, & etiã diſt. 7. Pater Antonius Hiquæus in commẽtarijs ad 4. diſt. 45. q. 4. Cauellus diſp. 4. de anima ſeparata, ſect. 5. Rada 2. part. controuerſiarum, controuerſia 8. art. 3. cõcluſ. 4. & ex alijs in terminis tenent eandem ſententiam Ochamus in 2. diſt. 9. q. 20. Gabriel in Canonem Miſſæ lect. 31. & in 2. diſt. 9. q. 2. art. 2.

57 Probatur primò hæc noſtra, & Scoti ſententia, & eſt ratio à priori, quia, vt ſupra dicebamus, tam Angeli, quã animæ ſeparatæ, cũ in ſua cognitione nõ pendeant à phãtaſmatibus, poſſunt naturaliter, & ex viribus ſuis clarè, & intuitiuè cognoſcere omne ens creatũ, quod ſub obiecto adæquato ſuorum intellectuum continetur, etiã ſi ſit ſpirituale, dummodo intra ſphæram actiuitatis ſuorum

in-

intellectuum realiter præſens, & exiſtens ſit: ſed ſecreta cordium, vt ſunt actus voluntatis, & intellectus liberi, entia creata ſunt, & ſub obiecto adæquato intellectus, tam Angelorum, quàm animarum ſeparatarum continentur; ergo ſi realiter præſentia, & exiſtentia ſint intra ſphæram actiuitatis prædicti intellectus, poterunt, tam ab Angelis, quàm ab animis ſeparatis clarè, & intuitiuè cognoſci naturaliter, & ex viribus ſuis, niſi impediantur à Deo ſpeciali ſua prouidentia.

58 Huic efficaci rationi reſpondent aliqui Thomiſtæ, inter quos ſunt Caiet. & Capreol. locis ſupra citatis, non omnia entia creata naturaliter cadere poſſe ſub obiecto adæquato intellectus animarum ſeparatarũ, & Angelorum; ſed tantùm entia creata, quæ habent eſſe neceſſarium; nam ſi eſſe, quod habent, liberum ſit, vt eſt eſſe actuum, in quibus dictum eſt conſiſtere ſecreta cordium, etiamſi actu realiter præſentia, & exiſtentia ſint intra ſphæram intellectus animarum ſeparatarũ, & Angelorum, non poſſe naturaliter cadere ſub obiecto adæquato intellectus ipſorum.

59 Sed quis non videt, reſpõſionem iſtam petitionem principij continere? Aſſumit enim, vt certum id, de quo eſt præſens controuerſia, ſcilicet, actus liberos, in quibus conſiſtunt ſecreta cordiũ, ab animabus ſeparatis, & ab Angelis cognoſci non poſſe, neque ſub obiecto intellectus eorũ adæquato naturaliter poſſe cadere, quod nõ erat aſſumendum, ſed probandum. Ratio autem à nobis facta oppoſitum demonſtrat ex illo principio, ens creatum in tota ſua latitudine eſt obiectũ, non ſolùm adæquatum, ſed etiã proportionatum tam intellectus animarum ſeparatarum, quàm Angelorũ; quod fruſtra ab aduerſarijs reſtringitur ad ſola entia creata neceſſaria; nã ex eo, quòd aliqua entia creata ſint operationes liberæ, etſi optimè deducatur potiùs ſe eſſe, vel non eſſe, & conſequẽter, antequã ſint, non poſſe, neque ab animabus ſeparatis, neque ab Angelis naturaliter certò, & intuitiuè cognoſci; tamen ſuppoſito, quòd iam extra cauſas ſint actu, & realiter præſentia, & exiſtentia intra ſphæram actiuitatis intellectus animarum ſeparatarum, & Angelorũ, quòd non poſsint naturaliter ab ipſis clarè, & intuitiuè cognoſci, ſicut cognoſcuntur alia entia creata neceſſaria, vndè ſequitur? Suppoſito, quòd ad ſui cognitionem (non obſtante, quòd ſint operationes liberæ) non moueant prædictos intellectus liberè, ſicut ſupra dictum eſt, mouere ipſum Deum ad cognitionem ſui, ſed potiùs naturaliter, & neceſſariò, ſicut mouent reliqua entia creata?

60 Propter hæc ijdem Caietanus,

Digitized by Google

tanus, & Capreolus ſecundò reſpondent, operationes liberas, in quibus ſecreta cordium conſiſtunt, etſi entia creata ſint; nihilominus non cadere naturaliter ſub obiecto adæquato intellectus Angelorum, & animarum ſeparatarum, adhuc quando ſunt extra ſuas cauſas actu, & realiter præſentia, & exiſtentia (in hoc enim ſolo caſu procedit præſens controuerſia) quia Angeli, & animæ ſeparatæ ſpecies intentionales, quibus indigent ad cognitionem ſuorum obiectorum, accipere non poſſunt ab obiectis, ſed illas ſolùm poſſunt habere per ſe infuſas à Deo; Deũ autẽ ex naturali, & communi prouidentia ſolũ infundere Angelis, & animabus ſeparatis ſpecies intentionales repræſentãtes res naturales, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra liberum, non verò repræſentantes operationes liberas.

61 Verum hæc reſponſio, & aſſumit falſum, & adhuc falſo admiſſo, etiam principium petit, ſicut & prior. Aſſumit falſum, nam falſum eſt, non poſſe Angelos, & animas ſeparatas accipere ſpecies intentionales ab obiectis; præſertim ſi obiecta ſint entia ſpiritualia, qualia ſunt ſecreta cordium, vt quæſt. 3. huius diſp. cum Scoto oſtendimus. Deinde, dato, & non conceſſo, quòd Angeli, & animæ ſeparatæ non poſſint cognoſcere aliquod obiectum per ſpecies intentionales, ab illo acceptas, ſed per ſpecies intentionales à Deo per ſe infuſas, eorum reſponſio petitio principij eſt; nam ſine probatione aſſumunt id, quod probandum erat, & in quo in ipſorum principij ſita eſt tota controuerſia, Deum, ſcilicet, ex naturali, & cõmuni prouidentia ſolùm infundere Angelis, & animabus ſeparatis ſpecies intentionales repræſentantes res naturales, ſumpto naturali, vt diſtinguitur contra liberum; non verò repræſentantes operationes liberas. Vt enim in ſimili numero 59. dicebamus, ex eo, quòd obiecta creata ſint operationes liberæ; etſi optimè deducatur, prædicta obiecta potuiſſe eſſe, vel non eſſe; & conſequenter dum ſolùm habebant eſſe in ſua cauſa libera, & antequam naturaliter exiſterent, non eſſe neq; Angelis, neque animabus ſeparatis naturaliter, & ex cõmuni prouidentia debitas ſpecies per ſe infuſas ad illa cognoſcenda; tamen ſupponendo, vt ſupponimus, prædictas operationes liberas habere iã eſſe extra cauſas, & per illud eſſe realiter præſentia, & exiſtentia intra ſphæram actiuitatis intellectus Angelorum, & animarum ſeparatarum, quòd non ſint eis debitæ ſpecies per ſe infuſæ, naturaliter, & ex communi Dei prouidentia ad ipſas clarè, & intuitiuè cognoſcendas; ſicut ſunt debitæ (ipſis conſentien-

tientibus) ſpecies per ſe infuſæ, ad cognoſcēdum operationes neceſſarias, vnde infertur, ſeu probatur? ergo reſponſio iſta principium petit, ſicut, & prior.

62 Secundò probatur noſtra, & Scoti ſententia, quia non eſt magis in proportionatus actus voluntatis intellectui ſeparato, tam Angelico, quàm humano, quàm ipſa voluntas; ſed intellectus ſeparatus, tam Angelicus, quàm humanus potens eſt naturaliter, & ex viribus ſuis cognoſcere clarè, & intuitiuè aliorum voluntates, quæ actu, & realiter exiſtunt intra ſphæram ſuæ actiuitatis; ergo & earum actus, ſi etiam actu, & realiter exiſtant intra ſphæram ſuæ actiuitatis. Item intellectus ſeparatus, tam Angelicus, quàm humanus clarè, & intuitiuè cognoſcit actus liberos proprios ſuæ voluntatis; ergo alius intellectus ſeparatus, ſiue angelicus, ſiue humanus, ſaltē æqualis, vel maioris perfectionis poterit etiam illos clarè, & intuitiuè cognoſcere, dummodo realiter præſentes, & exiſtentes ſint intra ſphæram ſuæ actiuitatis; quia cauſæ æquè perfectæ poſſunt in effectus æquè perfectos eiuſdē rationis, v. g. ſi hoc coloratum videri poteſt ab hoc oculo, poterit & ab omni alio, æquè perfecto, vel perfectiori.

63 Reſpondent aliqui ex aduerſarijs, actus liberos voluntates, etſi quando ſunt proprij, cognoſcantur clarè, & intuitiuè naturaliter ab intellectu ſeparato; non tamen quando ſunt alieni, ſeu alterius, quia cum ſint actus liberi, poſſunt à voluntate eius, cuius ſunt proprij, alijs celari, vel manifeſtari, ſicut ei placuerit.

64 Sed effugium iſtud optimè occludit Scotus loco quarti citato, ex eo quòd ſemel admiſſo id, quod contra Caietanum, Capreolum, & D. Thomam oſtenſum eſt, nimirum, operationes liberas, tam voluntatis, quàm intellectus, in quibus ſecreta cordium conſiſtunt, quando actualiter, & realiter exiſtunt, ſub obiecto intellectus ſeparati, non ſolùm adæquato, ſed etiam proportionato cadere; nulla poſt ratio ſufficiens aſſignari, ob quam dicamus ab vnō quoque homine, vel Angelo poſſe celari ſecreta cordis ſui, ne ab aliquo alio intellectu ſeparato videantur, & eadem ſola voluntate ſua fieri manifeſta. Nam quòd actus iſti ſint liberi, iam ſæpè dictum eſt, ſolùm concludere potuiſſe eſſe, vel non eſſe; non verò, poſtquam iam actu, & realiter exiſtunt, poſſe celari, ſeu impediri eorum cognitionem à voluntate, à qua fuerunt eliciti. Et confirmatur, quia ſi actus liber volūtatis, ſemel elicitus poſſet celari à voluntate; hoc fieret per alium actum voluntatis; ergo

gò ſaltem iſte ſecundus actus poſſet naturaliter cognoſci ab intellectu ſeparato, niſi alio actu voluntatis celaretur, & ſic in infinitum.

65 Ad auctoritates tam ſcripturæ, quàm Patrum adductas pro prima ſententia reſpondetur, probare optimè vltimam partem noſtræ, & Scoti ſententiæ, ſcilicet, de facto ſecreta cordium ab Angelis, & animabus ſeparatis non cognoſci; ſed ſolùm à Deo ſcrutari, quia Deus ob bonũ commune rerũ intellectualiũ ſua ſpeciali prouidentia hoc impedit denegãdo Angelis, & animabus ſeparatis generalẽ concurſum, quo ad cognoſcendũ actualiter ſecreta cordium aliorũ ſimpliciter indigent, & ſine quo dici nõ poſſunt habere potentiam proximã ad ſecreta cordiũ cognoſcenda, ſed tantũ remotam; non ſecus, ac certũ eſt, multa poſſe Angelos malos facere circa nos ex viribus naturæ, quæ ob bonũ cõmune facere non permittuntur à Deo, vt docent Magiſter ſentent. in 2. diſt. 7. cap. vlt. & Scotus in 4. diſt. 10. q. 8. ad 3. qua ratione magi, qui opera Dœmonum fecerunt ranas, Sciniphes facere non potuerunt, quia potentia naturalis Dœmonum ad hunc effectum præſtandũ impedita eſt à Deo, ſubtrahendo generalem ſuum concurſum, quo Dœmones ad efficiendos actu Sciniphes ſimpliciter indigebant.

66 Neque contra iſtam expoſitionem vrgent ea, quæ obijcit Vazquez in 1. part. D. Thomæ tomo 2. diſput. 219. cap. 2. primum de facto Angelos cuſtodes, & animas ſeparatas Sanctorum cognoſcere orationes noſtras, quas ipſis offerimus, & bona deſideria; ergo falſum aſſumit Scotus, dum affirmat, Angelos, & animas ſeparatas de facto non cognoſcere ſecreta cordium, quia Deus ſpeciali prouidentia hoc impedit, denegando eis generalem concurſum ſimpliciter neceſſarium ad eliciendã prædictam cognitionẽ. Secũdum, quòd denegatio generalis cõcurſus, ad actu cognoſcenda ſecreta cordium ſimpliciter requiſiti, eſſet tam Angelis, quàm animabus ſeparatis violenta, ſi naturaliter, & ex viribus ſuis valerent illa cognoſcere.

67 Nam ad primum reſpondemus, ex eo quòd Angeli cuſtodes, & animæ ſeparatæ Sanctorum cognoſcant de facto orationes, quas eis offerimus, & bona noſtra deſideria, non rectè inferri, Deum non ordinaſſe ſua ſpeciali prouidentia impedire, ne Angeli, & animæ ſeparatæ cognoſcerent ſecreta cordium, quæ aliàs naturaliter cognoſcerent, ſi non impedirentur; ſed quod infertur, eſt, Deum cum Angelis cuſtodibus, & animabus Sãctorum ſeparatis in caſibus ſupradictis ſpeciali priuilegio, ob cauſas ſibi

ſibi notas in prædicta generali lege diſpenſaſſe: ſicuti ex eo, quòd Beata Virgo de facto nō contraxerit peccatum originale, non rectè infertur, Deū ſpeciali ſua prouidentia non ordinaſſe, quòd omnes deſcendētes ex Adamo per ſeminalem propagationem, Adamo peccante, contraherent in inſtanti ſuæ conceptionis peccatū originale; ſed quod infertur, eſt, Deum cum Beata Virgine ſpeciali priuilegio ob cauſas ſibi notas in prædicta communi lege diſpenſaſſe, illam ab actuali contractione peccati originalis præſeruando, quod actualiter ex vi legis contraheret, ſi non præſeruaretur.

68 Ad ſecundum dicimus, in ſententia Scoti, & noſtra, quæ ſuſtinet (vt latè oſtendimus 2. libro Phyſic. diſp. 1. quæſt. 4.) ad violentum per accidens ſe habere, quòd ſit contra principium innatum activum, & ſolùm ſimpliciter requiri, quòd ſit contra principium innatum paſsivum, denegationem generalis concurſus Dei, quo ſimpliciter indigent, tam Angeli, quàm animæ ſeparatæ ad actualiter cognoſcenda ſecreta cordium, etſi appellari debeat præternaturalis; non tamē violentam eſſe appellandam; quia etiamſi ſit contra principium innatum, quod habent ad cognoſcenda ſecreta cordium; tamen hoc principium non eſt paſsivum, ſed activum. In ſententia verò aliorum, qui admittunt, dari poſſe violentiam cōtra principium innatum activum, reſpondēdum eſt, quòd ſicut aſcenſus aquæ ad replendum vacuum, nō dicitur aquæ violētus, etiamſi ſit contra eius innatam inclinationem tendēdi deorſum, eo quòd talis aſcenſus ordinatur ad replēdum vacuum, quod eſt bonum cōmune totius vniuerſi; ita denegationem generalis concurſus Dei, ad intelligendum actualiter ſecreta cordium ſimpliciter requiſiti, nō eſſe Angelis, & animabus ſeparatis violētiam, etiamſi ſit contra virtutem innatam, quam habent ad illa cognoſcenda, eo quod talis denegatio ordinatur à Deo ad occultāda ſecreta cordium, quod eſt bonum commune omnium intelligentium.

69 Ad rationem principalē, quæ erat Diui Thomæ; reſpondetur, ex eo quòd voluntas creata ſoli Deo ſubiaceat, non rectè inferri ea, quæ ex voluntate creata pendent, vt ſunt ſecreta cordium, ſoli Deo, cui ſubditur ipſa voluntas, nota eſſe poſſe; aliàs, vt benè objicit Durandus, ſequeretur, neque ſubſtantiam animæ, vel Angeli, cum à ſola voluntate Dei pēdeant, ab alio, quā à Deo naturaliter poſſe cognoſci, quod eſt falſum, etiam in ſententia Diui Thomæ: ſequela patet, nam ſi ea, quæ pendent ex arbitrio creato, à ſolo Deo cognoſci

noſci poſſunt, multò maiori ratione ea, quæ ſolùm pendent ex libero arbitrio Dei. Ratio ergo Diui Thomæ, etſi optimè probet, operationes liberas, tam voluntatis, quàm intellectus, in quibus ſecreta cordis conſiſtunt, à Deo cognoſci, quia ab eo dependent; tamen quod neque ab Angelo, neque ab anima ſeparata naturaliter cognoſci valeant, ſuppoſito, quòd ſint extra ſuas cauſas actu, & realiter exiſtentia, minimè probat, ſed principium petit, vt ſupra contra Caietanum, & Capreolum oſtendimus.

QVÆSTIO VI.

Et vltima de loco, & motu locali animæ ſeparatæ.

1 DE modo, quo tam animæ ſeparatæ, quàm Angeli ſunt in loco & ſimiliter de modo, quo localiter mouentur, ex profeſſo diſputauimus libro 4. Phyſicorum diſputatione 1. quæſt. 3. vbi aliqua ſcitu digna contra Vazquez, & Martinium ſtatuimus, videantur ibi; nam ſemel diſcuſſa, iterum diſcutere ſuperfluum eſt. Solùm enim in hac vltima quæſtione examinabimus aliqua, quæ ibi prætermiſimus, & ad completam intelligentiam, tam loci, quàm motus localis animæ ſeparatæ neceſſaria ſunt.

2 Primum eſt, an *vbi*, ſeu præſentia definitiua, quæ eſt forma, à qua anima ſeparata formaliter denominatur eſſe in loco, & quæ eſt terminus per ſe motus localis eius (vt loco citato ſtatuimus) conueniat animæ ſeparatæ (idem eſt iudicium de Angelis) immediatè, & ratione ſuæ ſubſtantiæ; an mediatè, & ratione ſuæ operationes tranſeuntis?

3 Diuus Thomas 1. part. quæſt. 52 art. 1. & in 1. diſt. 37. quæſt. 3. & quodlib. 1. artic. 4. quem omnes Thomiſtæ ſequuntur, affirmat, prædictum *vbi*, ſeu præſentiam localem non cōpetere Angelis, neque animabus ſeparatis immediatè, & ratione ſuarum ſubſtantiarum, ſed mediatè, & ratione ſuarum operationum; quorum fundamentum eſt, quia ſubſtantijs materialibus non competit *vbi*, ſeu præſentia localis immediatè, & ratione ipſarū, ſed mediatè, & ratione alicuius accidentis ſuperadditi, ſcilicet, quantitatis: ergo ſimiliter ſubſtantijs ſpiritualibus, vt ſunt Angeli, & animæ ſeparatæ *vbi*, ſeu præſentia localis nō conueniet eis immediatè, & ratione ſui, ſed mediatè, & ratione alicuius accidentis ſuperadditi, nimirum, operationem ipſorum tranſeuntium circa externam materiam.

4 Sed tenendum eſt cum Scoto in 2. diſt. 2. quęſt. 6. § *Ad primam quæſtionem*, & *Ad propoſitum*, tam.

tam Angelis, quàm animabus ſeparatis cõpetere ſupradictũ *vbi*, ſeu præſentiam localem immediatè, & ratione ſuæ ſubſtantiæ, & non mediatè, & ratione alicuius accidentis ſuperadditi, nimirum, rationeſuarum operationum; Scotum ſequuntur omnes eius diſcipuli, Lichetus quæſt. 5. art. 2. Cauellus de anima ſeparata diſpu. 6. ſection. 6. & ex alijs eandem ſententiam tenent in 2. diſtinct. 2. D. Bonauentura part. 2. art. 2. quæſt. 1. Gabriel & Gregorius quæſt. 2. art 2. Marſilius quæſt. 2. art. 1. & plures alij; imò eſt vnus ex articulis Pariſienſibus, qui oppoſitũ dãnat.

5 Probat Scotus hanc ſuam ſententiam primò ad hominẽ; quia D. Thomas 1. part. quæſt. 8. art. 1. probat, Deum vbique eſſe præſentem localiter, quia vbique operatur transeunter, quæ ratio, inquit Scotus, aut eſt nugatoria, ſeu petitio principij, aut ſi eſt legitima, probat oppoſitum ſententiæ D. Thomæ; quod ſic demõſtrat, aut in iſta ratione ſupponit D. Thomas, Deum vbique operari tranſeunter, & Deum vbique eſſe præſentem localiter, eſſe idem & ſic prædicta ratio eſſet nugatoria, & petitio principij; nam in ea idem in re eſſet præmiſſa, & cõcluſio; faceret enim hũc ſenſum Deus vbique operatur tranſeunter; ergo vbique operatur trãſeũter. Aut nõ ſupponit eſſe idem; ſed eſſe præſens vbique, eſſe quid prius requiſitum ad operandum vbique, & ſic prædicta ratio legitima conſequentia eſt, & à poſteriori benè probat intentum; ſed ſupponit oppoſitum ſententiæ D. Thomæ, & noſtram confirmat, ſcilicet, Deum non per ſuas operationes tranſeuntes, ſed potiùs per ſuam ſubſtãtiam eſſe præſentem vbique, & conſequenter cum proportione debita eodem modo eſſe philoſophandum, tam de Angelis, quàm de animabus ſeparatis.

6 Secundò probat Scotus, quia illud, quod eſt ratio eſſendi in loco, debet eſſe formaliter in illo, quod dicitur eſſe in loco; ſed operationes tranſeũtes, quibus tam Angeli, quàm animæ ſeparatæ operantur in externam materiam, non ſunt formaliter in illis, cum inhæreant in externa materia, circa quam operantur; ergo prædictæ operationes tranſeuntes nõ poterunt eſſe, neq; in Angelis, neque in animabus ſeparatis rationes eſſendi in loco. Et confirmatur, quia neque Angeli, neque animæ ſeparatæ beatæ aliquid tranſeunter operantur in cælum empyreum, quia illud non eſt mutabile, neque mobile, & tandem dicuntur eſſe in illo, tanquam in loco; ergo ad hoc, quod tã Angeli, quàm animæ ſeparatæ ſint in loco, impertinens eſt, quòd tranſeũter operẽtur, ſed ſufficit

eorum

Digitized by Google

eorum ſubſtantia.

7 Tertiò probat ex inconuenienti, quod ex oppoſita ſententia ſequeretur, nimirum, quòd poſſet Angelus, & ſimiliter anima ſeparata pro ſuo arbitrio nullibi eſſe præſentes localiter: ſequela patet, quia cum operationes tranſeuntes, quas tam Angeli, quàm animæ ſeparatæ exercent circa externam materiam, ſint in libera eorum poteſtate, poſſunt pro ſuo arbitrio ab omnibus ceſſare; & conſequenter nullibi eſſe localiter præſentes, ſi ratio eſſendi præſentes in loco, eſſet operatio eorum tranſiens in materiam externam; quæ ſequela, etſi ab aliquibus deuoratur; ſed rem crudam deuorant, vt in ſimili oſtendimus contra Vazquez lib.4. Phyſic. diſp.1.quæſt.3.num.31.Recolantur ibi dicta.

8 Sed obijcit ſibi Scotus Damaſcenum, qui varijs in locis videtur ſuſtinere, res incorporeas, vt ſunt Angeli, & animæ ſeparatæ, eſſe in loco per operationem: nam cap.13.ait, *Incorporea natura vbi adeſt, & operatur, non corporaliter, ſed ſpiritualiter continetur*: & infra in eodem capite, *Intelligentia dicitur circunſcribi, vbi adeſt intellectualiter, & operatur*: & capit.16.loquẽs de Angelis ait, *Intellectualiter adeſſe, & operari, vbi vtique miſſi fuerint.*

9 Ad has auctoritates Damaſceni, quibus (vt aduertit Scotus) maximè innituntur aduerſarij, optimè reſpondet ipſemet Scotus, Damaſcenum non eſſe pro aduerſarijs, ſed pro nobis; tum quia ſupra allatæ auctoritates ſemper copulant *eſſe*, & *operari*, quod eſſet ſuperfluitas, niſi ſupponeret Damaſcenus, aliud eſſe, Angelum eſſe in loco, & aliud eſſe, Angelum operari in loco. Tum etiam, quia cap.20. expreſsè docet, *quòd cælũ eſt continentia viſibilium, & inviſibilium creaturarum, & infra ipſum Angelorum virtutes includuntur*; ergo ſentit Damaſcenus Angelos modò ſecundum ſuam ſubſtantiam ita eſſe in cælo, quod includantur in illo, tanquam in loco, qui non includebantur ſecundum Damaſcenum (inquit Scotus) in principio ſuæ creationis; quia ipſe capit.17. videtur aſſentire Gregorio Theologo in hoc, quòd conditi fuère antecreationem corporalium creaturarum, & tunc non erant in loco, ſicut modò ſunt; & nihilominus potuerunt intelligere creaturam corporalem ſecundum D. Auguſtinum *ſuper Geneſim*; quia priùs habuerunt cognitionem matutinam, quàm veſpertinam, & per talem intellectionem, ſeu operationem non ponit Damaſcenus illos præſentès obiecto, tãquam in loco.

10 Ad fundamentum oppoſitæ ſentẽtiæ, conceſſo antece-

Digitized by Google

denti, negamus conſequentiam; nam eſt fallacia accidentis, ex modo eſſendi in loco ſubſtãtiarum materialium velle colligere modum eſſendi in loco ſubſtantiarum ſpiritualium, vt ſunt Angeli, & animæ ſeparatæ; nam ſi ſubſtantia materialis eſt in loco, non ratione ſui, ſed ratione quantitatis, hoc eſt, quia eſt in loco circunſcriptiuè, id eſt, tota in toto loco, & pars in parte loci, quod conuenire non poteſt ſubſtantiæ materiali abſque actuali extenſione in ordine ad locum, & conſequenter miniſterio quantitatis; at ſubſtantia ſpiritualis, vt ſunt Angeli, & animæ ſeparatæ, cũ non ſit in loco circunſcriptiuè, ſed definitiuè, id eſt, tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci, nullo modo indigent ad eſſendum hoc pacto in loco, vel quantitate, vel operatione, vel aliquo alio accidenti ſuperaddito, cum hoc potius eis conueniat immediatè, & ratione ſuæ ſubſtantialis entitatis.

11 Secundum examinandum eſt, an anima ſeparata (idem eſt iudicium de Angelis) habeat locum determinatum, tam verſus magnitudinem, quàm paruitatem? Cui dubitationi reſpondet Scotus loco citato, §. *Ad propoſitum*, num. 11. tam Angelum, quàm animam ſeparatam habere locum determinatum verſus magnitudinem, ita vt in tanto loco eſſe poſsint, ſub maiori verò eſſe non poſsint, & hãc eſſe communem ſententiam; & ratio eſt, quia quantitas virtutis, qua pollent, tam animæ ſeparatæ, quàm Angeli ſe collocandi in loco, eſt determinata; ergo etiam debet eſſe determinatus locus, in quo ſe collocare poſſunt, aliàs poſſent eſſe vbique, quod eſt attributum Dei.

12 Subdit Scotus, ex ſupradicto aſſerto ſequi videri, quòd etiam Angeli, & animæ ſeparatæ habeant locum determinatum verſus paruitatem, ita, vt non poſsint eſſe in minori, & minori loco vſque infinitum: & omiſſo argumento mathematico, quo primo id probat ex 35. primi Euclidis, quia mathematicum eſt, & longa expoſitione indiget, quæ in ipſo Scoto videri poteſt; probat ſecundò, quia quãtitas virtutis, qua pollent, tam animæ ſeparatæ, quàm Angeli eſſendi in loco, vt numero præcedenti dicebamus, finita, & determinata eſt: ergo non poterunt per illam, neque animæ ſeparatæ, neque Angeli in acquiſitione loci progredi in infinitũ; ſiue hæc progreſsio fiat verſus magnitudinẽ, ſiue verſus paruitatem; quia progreſsio in infinitum eſſendi in loco, qualiſcumque illa ſit, quantitatem virtutis ad eſſendũ in loco infinitam expoſtulare videtur.

13 Quod

Digitized by Google

13 Quod ſi aliquis inquirat; ſto, quòd animæ ſeparatæ, & Angeli petant locum determinatum, tàm verſus magnitudinem, quàm paruitatem, numquid ſunt in illo determinatè? ideſt, ita quòd habens tãtam virtutem eſſendi in loco de neceſsitate ſit in tanto loco, quantum petit virtus eius, neque in poteſtate ſua ſit, eſſe præſens maiori, vel minori loco, non ſecus ac contingit in corporibus; quodlibet enim corpus eo ipſo, quod eſt in loco, neceſſariò eſt in tãto loco, quãtum petit eius quantitas molis?

14 Huic interrogationi optimè reſpondet Scotus loco citato, num. 14. vtramque partem eſſe dubiam, quia neutra videtur faciliter poſſe reprobari. Non affirmatiua, quia nullum inconueniẽs ſequitur ex eo, quòd aliquis affirmaret, quantitatem virtutis, qua pollent tam animæ ſeparatæ, quã Angeli eſſendi in loco definitiuè, non eſſe rationem eſſendi in tãto loco determinatè liberam, ſed naturalem; non ſecus, ac eſt quantitas corporea, qua nos ſumus in loco: licèt enim in poteſtate noſtra ſit eſſe in hoc loco, vel in illo; non tamen eſſe in tanto, vel tanto loco, quia iſte eſt effectus conſequens naturaliter quantitatem corpoream; ergo idem abſque inconuenienti dici poſſet proportionabiliter de quantitate virtutis, qua, tam Angeli, quã animæ ſeparatæ ſunt in loco.

15 Non negatiua; nam inquiro, quod inconueniens ſequeretur ex eo, quòd aliquis affirmaret, virtutem eſſendi in loco definitiuè, qua pollent, tam animæ ſeparatæ, quàm Angeli, etſi habeat determinatũ locũ, tam ver us magnitudinem, quã paruitatem; non tamen naturaliter, ſeu neceſſariò eſſe determinatam ad tantum, vel tantum locum determinatè, ſicut eſt quantitas corporea reſpectu noſtri; ſed potiùs quoad hoc ſubijci liberæ voluntati, tam animæ ſeparatæ, quàm Angeli; & conſequenter intra ſphæram ſui loci determinati poſſe tam animam ſeparatam, quàm Angelum pro ſuo arbitrio eſſe præſentes maiori, vel minori loco? Profectò nullũ, nam quoad hoc non eſt neceſſarium, quòd eſſe in loco definitiuè cum eſſe in loco circunſcriptiuè debeat proportionari: ergo optimè aſſerit Scotus, vtramque partẽ propoſitæ difficultatis eſſe dubiam, quia neutra videtur facilè reprobari, vel approbari poſſe.

16 Sed quid dicendum eſt de alia difficultate, quam mouet Scotus loco citato numer. 13. vtrum, ſcilicet, Angelus, vel anima ſeparata poſsint eſſe in loco omnino indiuiſibili, qualis eſt punctus mathematicus? Dicendum enim eſt cum eodem Scoto, rem eſſe dubiã, & à ſenſu valdè remotam; neque aſ-

Digitized by Google

aſsignari poſſe rationem, quæ vnum, vel alterum conuincat; nam quòd Angelus, vel anima ſeparata ſint indiuiſibiles, non infert neceſſariò, quòd poſsint eſſe in puncto, tanquam in loco; nam, vt benè aduertit Scotus, non habent indiuiſibilitatem, ita limitatam, ſicut punctus: & è contra ex eo, quòd ponantur eſſe in puncto, tanquam in loco, nullum ſequitur inconueniens, tum quia ad eſſendum in loco definitiuè non requiritur, quòd locatum à loco ambiatur, ſicut requiritur ad eſſendum in loco circũſcriptiuè; tum etiam, quia ex eo, quòd ponerentur eſſe in puncto, tanquam in loco, non infertur, quòd non poſſent moueri localiter, niſi ſpatium eſſet in punctis; poſſent enim immediatè ex loco punctuali ſe ferre in ſpatium continuum, cuius punctus eſt terminus, vt adhuc loquendo de indiuiſibili mathematico, qualis eſt punctus, ſi daretur ſeparatum, poſſe moueri motu locali continuo ſucceſsiuè, ex profeſſo oſtendimus lib. 6. Phyſic. diſp. 1. q. 4.

17 Tertium examinandum eſt, qua vi anima ſeparata moueatur localiter, an intrinſeca, an ſolùm extrinſeca? Et ſupponit hæc dubitatio, vt certum, animas ſeparatas non eſſe immobiles, ſed poſſe localiter moueri, cuius oppoſitum inſinuaſſe videntur Durand. in 3. diſt. 22. quæſt. 3. & Ioannes Pico Mirandulanus quæſt. 1. apologetici, dum nõ ſine graui errore veriſimile putant, animam Chriſti Domini ad inferos non deſcendiſſe reali ſuæ ſubſtantiæ præſentia; ſed ſolùm per effectus animas Sanctorum Patrum noua gloria, luce, lætitiaque perfundendo; neque enim fidei articulum tã alieno ſenſu interpretarentur, ſi putarent, animas ſeparatas localiter moueri poſſe; & ratio philoſophica eſt, quia ad hoc, vt aliquid poſsit moueri localiter, duo tantùm requirũtur; primum, quòd verè ſit in loco; ſecundum, quòd non ſit in omni loco, ſed in aliquo determinato; conſtat autem, animam ſeparatã verè eſſe in loco, aliàs nullibi eſſet; & inſuper non eſſe in omni loco, ſed in aliquo determinato, aliàs eſſet vbique, quod ſolùm conuenit Deo. Vndè ſicut optimè probant Theologi, ex eo, quod Deus ſit vbique, eſſe immobilẽ localiter; ita optimè cõuincunt Philoſophi, ex eo, quòd anima ſeparata non ſit vbique, non eſſe immobilem localiter, ex illa regula Ariſt. 1. poſter. cap. 10. *Sicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis, & è contra.*

18 Conimbricenſes tractatu de anima ſeparata diſput. 6. artic. 2. attribuũt aliquibus Thomiſtis, ſuppreſſo nomine, ſententiam, quæ affirmat, animã ſe-

ſeparatam, à Deo, vel ab Angelis moueri poſſe localiter; à ſe verò, & virtute propria minimè: & probari poteſt, primò ex illo Lucæ 16. vbi de illo mendico, nomine Lazaro dicitur, *Factum eſt autem moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*: ergo anima ſeparata Lazari non a ſe ipſa, ſed ab Angelis localiter mota eſt in ſinum Abrahæ.

19 Secundò, quia ſi anima haberet virtutem intrinſecam ſe mouendi localiter, poſſet ad nutum ſuæ voluntatis à corpore, quod informat, ſe ſe expedire abſque vlla ipſius corporis offenſione, ſicque inſtar colubri depoſitis exuuijs poſſet abire nuda; quod eſt inauditũ. Et confirmatur, quia animæ pro hoc ſtatu nulla ſigna præbent talis potẽtiæ motricis, ſicut præbent intellectus, & voluntatis, ergo ſine fundamento adſtruitur, animabus ineſſe.

20 Sed tenendum eſt cũ vera, & communi ſententia, quã tenet Scotus in 4. diſt. 10. q. 7. §. *Reſpondeo*, & diſt. 49. quæſt. 14. animam ſeparatam ſe poſſe mouere localiter, virtute propria, & intrinſeca, non ſecus, ac Angeli ſe localiter mouere poſſunt: ratio eſt, quia ſicut ex eo, quòd aliqua ſubſtãtia ſit in loco definito, optimè infertur, prædictam ſubſtantiã poſſe localiter moueri; ita ex eo, quòd ſit viuens, optimè cõcluditur, eſſe mobilem à ſe, ac per conſequens, ſi per cognitionem, & appetitum viuat, localem mobilitatem obtinebit; quod adeò ſtabile reperiemus, ſi per omnia genera viuẽtium inductio fiat, vt nullo cõtrario exemplo refelli queat. Quòd enim conchylia loco immobilia dicantur, non prouenit ex eo, quòd vim aliquã ſe ſe deducẽdi, adducendique non habeãt; habere enim planè fatetur Ariſtoteles hoc 3. libro de anima cap. 11. textu 56. & experientia docet ex varijs accidentibus in eodem loco ſe ſe dilatare, vel conſtringere; ſed quia cum eorum, quæ ſunt in locis diſtantibus, neque cognitione, neque appetitu polleant, locum ex toto non permutant; ſicuti permutant omnia viuentia, quæ circa ea, quæ ſunt in locis diſtantibus, cognitionem, & appetitũ habent. Cur ergo in animam rationalem, tam nobili cognitione, & appetitu præditã erimus iniurij, ipſi denegantes, quod omnibus animalibus etiam imperfectiſsimis concedimus?

21 Confirmatur, & declaratur ampliùs: nulla poteſt aſsignari ratio, cur ſubſtantia, quæ per ſe, & ſeorſum exiſtit in vniuerſo in loco definito, & ad varia loca indifferens, ſi aliàs ſit viuens, cognoſcens, & appetens, non poſsit à ſe, & per virtutem propriam, & innatã localiter moueri; ſed animæ ratio-

Digitized by Google

tionales, poſtquam in morte hominum à corporibus ſeparantur, remanent ſubſtãtiæ per ſe, & ſeorſum exiſtentes in aliquo loco definito vniuerſi, & ad varia loca indifferẽtes, quia nullus locus eſt illis naturalis; aliàs alicubi eſſent violenter, & locus eſſet cõſeruatiuus, vel corruptiuus eius: & inſuper ſunt viuentes, intelligentes, & volentes; ergo nulla aſsignabilis eſt ratio ad negandum poſſe à ſe, & per virtutem propriam, & innatã localiter moueri, nõ ſecus, ac mouentur Angeli.

22 Ad auctoritatem Lucæ in contrarium adductam, reſpõdetur, omnes animas, cum deſcendunt ex hac vita, ſiue in cælum, ſiue in purgatoriũ, ſiue in infernum propria virtute localiter moueri; tamen deportari dicuntur, quia ſi in cælum aſcendunt, vel ante mortẽ Chriſti Domini in ſinum Abrahæ, honorantur Angelorũ comitatu; ſi in infernum deſcendunt, caterua Dæmonum, tamquam captiuæ circundãtur, vt in vitis Sanctorum paſsim legitur.

23 Ad rationem in ſecundo loco adductã dicimus, ex eo, quòd in anima rationali conſtituamus virtutem innatam ſe localiter mouendi, non rectè inferri, poſſe ad nutum ſuæ voluntatis à corpore, quòd informat, ſe ſe expedire, & inſtar colubri depoſitis exuuijs abire nudam; quia hæc præſtare non poteſt abſque ſolutione vníonis, quã habet ad corpus, quod informat; & licet motus localis ſit liber animæ; tamen vnio ad corpus, quod informat, non eſt illi libera, ſed naturalis, & ideò non poteſt ad nutum ſuæ voluntatis illam ſoluere, ſicut nec facere.

24 Ad confirmationem in primis dicimus, dato, quòd animæ rationales pro hoc ſtatu nulla ſigna præberent talis virtutis motricis, non indè rectè inferri, talem virtutem nõ habere; ſicuti ex eo, quòd animæ rationales pro hoc ſtatu nullũ ſignum præbeant ſuæ immortalitatis, non rectè infertur, illas non eſſe immortales. Deindè, & magis directè negamus, animam rationalem pro hoc ſtatu nullum ſignum præbere, ex quo deduci poſsit ſua virtus loco motiua; nam cum pro hoc ſtatu ex ipſa, & corpore, quod informat, reſultet totum, quod eſt homo, quod virtutem innatam habet ſe mouẽdi localiter, & inſuper hãc virtutem non veniat illi ratione corporis, ſed animæ; euidens ſignum eſt, animam rationalẽ pollere natiua virtute localiter mouendi, nam nemo præſtare poteſt in genere cauſæ formalis id, quod formaliter non habet; & conſequenter quòd ſi à corpore ſeparetur, ita vt per ſe ſolitaria exiſtat, quòd illam in ſe exercere poſsit, cum nulla iam cõiunctio cũ corpore exiſtat.

ſtat, à qua impediatur; non ſecus, ac Angeli illam exercent in ſe ipſos.

25 Quartum examinandum eſt, an anima ſeparata poſſit virtute innata, non ſolùm ſe ipſam, ſed etiam alia extrinſeca ſibi ſubſtantialiter non vnita, localiter mouere? Diu. Thomas 1. part. quæſt. 117. articul. 4. & de malo quæſt. 16. articul. 10. ad 2. ſuſtinet, nihil aliud à ſe poſſe animam noſtram mouere localiter prę-ter corpus, quod informat, & cui eſt ſubſtantialiter vnita, quem ſequuntur Caietan. in locum primæ partis, Capreolus in 4. diſtinct. vltima, quæſtio. 2. Sotus diſtinct. 45. quæſtio. 1. artic. 3. Suarez libro 6. de anima capit. 2. & in Metaphyſica diſputat. 35. ſectio. 4. Fundamentum eorum eſt, quia anima natura ſua eſt forma corporis; ergo non poteſt aliquid corporeum localiter mouere, niſi medio corpore, quod informat, & conſequenter non in ſtatu ſeparationis à corpore.

26 Sed tenendum eſt cum Scoto in 4. diſt. 49. quæſt. 14. & diſtinct. 10. quæſtio. 7. animam ſeparatam virtute ſua innata non ſolùm ſe ipſam, ſed etiam (iuxta exigentiam virtutis ſuæ) alia extrinſeca, ſibi localiter coniuncta, localiter mouere poſſe; non ſecus, ac poſſunt Angeli: Scotum ſequuntur omnes diſcipuli, Baſſolius in 4. diſt. 49. quæſt. 1. artic. 1. Cauellus de *anima ſeparata*, diſput. 4. ſect. 6. & ex alijs tenent eandem ſententiam Abulenſis in 9. Matth. quæſtio. 124. Maior in 4. diſt. 49. quæſtio. 8. Ægid quodlib 4. quæſtio. 17. Aureol. apud Capreolum loco citato, Conimbricẽ-ſes de *anima ſeparata*, diſp. 6 art. 2. qui pro eadem ſententia citant Galenum, & Clementem Alexandrinum.

27 Probari poteſt primò; omne, quod ſe mouet localiter, ſiue animatum, ſiue inanimatum ſit, vt experiẽtia, & inductione conſtat, poteſt ſecum aliqua extrinſeca localiter mouere; ſed anima ſeparata (vt probatum eſt) ſe ipſam mouet; ergo & alia extrinſeca, etiamſi non ſint ſubſtantialiter ei coniuncta, ſed ſolùm localiter, poterit optimè localiter mouere.

28 Secundò, quia ſi anima ſeparata non poſſet virtute innata alia ſibi extrinſeca localiter mouere, hoc proveniret, vel ob perfectionem, vel ob imperfectionem; non ob perfectionem, cum hoc conueniat Angelis, qui longè perfectiores ſunt; neque ob imperfectionẽ, cũ hoc cõueniat formicis, & alijs animantibus, etiã imperfectiſsimis; imò & corporibus inanimatis grauib⁹, & leuibus, cũ ſe deorſum, vel ſurſũ mouẽt. Et cõfirmatur, quia non eſt aſsignabilis ratio, cur hoc Angelis cõuenire poſsit (vt om-

omnes fatentur conuenire) & non animabus ſeparatis, cũ animæ ſeparatæ per ſe exiſtentes ſint, & non ſolùm intellectu, & voluntate polleant, ſed etiam virtute innata ſe ipſas localiter mouendi.

29 Tertio, quia negari non poteſt, aliquando animas defunctorum cum corporibus aſſumptis, & ex aere, aut ſimili materia concinnatis (quod præſtare non poſſent, ſi virtute mouẽdi localiter corpora extrinſeca non pollerent) hominibus apparere, & cum eis loqui. Aſſumptum probo, quia etiamſi non rarò huiuſmodi animarum apparitiones ſomniantium ſint deliramenta, aut mali dæmonis, præſtigiatorũque ludi, vt docet Auguſtinus libro de *cura pro mortuis*, & ſæpè alibi; nihilominus, aliquando à Deo permitti ob aliquem bonum finem, quòd in corporibus aſſumptis hominibus reuera appareant ſententia eſt grauiſſimorum Patrum Auguſtini, Gregorij, Euſebij, Theodoreti, & aliorum, quos citat Bellarminus libro 2. de purgatorio, & cum Chryſoſtomo latè diſputat Abulenſis in caput 8. Matthæi, & de anima Samuelis, de qua dicitur 1. Regum cap. 28. defuncto Samuele, ad videndum, & colloquẽdum cum Saule aduẽtaſſe: etſi antiquitus magna fuerit controuerſia inter interpretes ſacræ Scripturæ, an talis apparitio fuerit vera, an imaginaria tantùm, vel alicuius Angeli pro Samuelis anima ſubrogatio; tamen nunc, poſtquã Eccleſiaſtici liber inter canonicas ſcripturas habetur, multò verior eſt, talem apparitionem fuiſſe veram, & obſeruauit D. Thomas 1. part. quæſt. 89. art. 8. ad 2. quandoquidem capit. vltimo præfati libri inter Samuelis laudes cõmemoratur, ipſum prophetaſſe poſt mortẽ; quod neque intelligi cõmodè valet de alio prophetãdi actu, quàm cum Sauli apparuit, neque ita propriè laudaretur, ſi Dæmon aliquis pro Samuelis anima ad Saulem veniſſet.

30 Dices cum D. Thoma 1. part. quæſt. 89. articulo 8. has apparitiones animarũ in corporibus aſſumptis fuiſſe miraculoſas. Reſpondetur ita eſſe, ſed non contra nos; nam etiamſi animæ ſeparatæ ex viribus ſuis poſsint in corporibus ſibi aſſumptis ad nos aduentare; tamen ſtatutum eſt à Deo, ne fiant iſti regreſſus animarum ad nos, niſi à Deo permittantur, & hæc permiſſio, præter communem, & regularem modum facta, non incongruè miraculoſa appellatur, ſicut appellari poteſt miraculoſa Chriſti transfiguratio, non obſtante quòd ſit connaturale animæ beatæ, vt erat Chriſti, diffundere in corpus, cui eſt vnitæ, dotes gloriæ, eo quòd ſpeciali Dei prouidentia do-

Digitized by Google

dotes iſtæ erant repreſſæ in anima Christi ſine communicatione ad corpus pro toto tẽpore huius vitæ. Et in prædicto ſenſu etiam ſunt intelligendæ plures auctoritates, tã ſcripturæ, quàm Patrum, in quibus dicitur, animas defunctorum non reuerti ad nos; intelligendæ ſunt, inquam, ratione ſtatuti communis, quod Deus hoc ordinauit; nõ verò de eo, quod eis conuenire poteſt ex viribus ſuis.

31 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondemus, quòd ſicut anima rationalis natura ſua eſt forma corporis, ita etiam natura ſua eſſe ſpiritum, & conſequenter valentem extra corpus per ſe exiſtere, & operari. Vndè, etſi dum actualiter informat corpus, vnum totum per ſe cum illo cõſtituens, nihil poſsit, vt principium *quod* localiter mouere; hoc enim ſolùm competit toti per ſe quod ex anima, & corpore coaleſcit; animæ verò ſolùm competit pro tunc eſſe principium *quo* mouendi localiter, vt in ſecunda definitione animæ tradita ab Ariſtotele continetur; tamen dum actualiter non informat corpus, hoc poſſe illi, non ſolùm vt *quo*, ſed etiam, vt principiũ *quod* competere, cum ſit ſpiritus per ſe, & ſolitariè exiſtens, præditus potentia loco motiua, non ſecus, ac ſunt Angeli.

32 Quintum, & vltimum examinandum eſt, an, quando anima ſeparata (eadem eſt difficultas de Angelis) mouet localiter alia extrinſeca, illa moueat per aliquem impulſum in eis ab ipſa anima cauſatum? Quid autem nomine impulſus intelligatur, & quæ ſit eius natura, & quomodo incipiat, & deſinat eſſe, & alia plura de impulſu, latè, & ex profeſſo expendimus libro 8. Phyſicor. diſput. 2. per varias quæſtiones. Recolantur ibi dicta.

33 Suarez in Metaphyſica diſputat. 35. ſectio. 6. partem negatiuam tenet; admittit tamen, quòd ſi anima, vel Angelus moueat vnum corpus, mediante alio, in corpore mediatè moto cauſari impulſum, ſed ab altero corpore, quod immediatè ab anima, vel ab Angelo mouetur ſine impulſu: fundamentum eius eſt, quia impulſus eſt quædam qualitas ex potentia ſubiecti educta; ſpiritus autem creatus, vt ſunt animæ ſeparatæ, & Angeli, inquit Suarez., nullam qualitatem producere poſſunt educendo illam ex potentia ſui ſubiecti.

34 Confirmari poteſt primò, quia, vt res aliqua localiter moueatur, ſat eſt, ſi ipſum lationis motum ſubeat; cur ergo illam alterari priùs oportebit? Aliàs dicere poſſemus,

mus, neque Deum ſine impulſu mouere poſſe, quod eſt abſurdum. Secundò; potentia motiua admodum naturalis eſt; non ergo impulſum, nunc corporalem, nunc ſpiritualem valet producere, quod tamen concedendum eſſet, ſi anima ſeparata, nunc rem ſpiritualẽ, nunc rem corpoream medio aliquo impulſu moueret.

35 Sed verior, & commũnior ſententia docet, animas ſeparatas (idem eſt iudicium de Angelis) extrinſeca, quæ localiter mouent, ſiue ſpiritualia, ſiue corporea ſint, medio impulſu, tanquam inſtrumento in ipsā impreſſo, mouere: ita noſter Cauellus de *anima ſeparata* diſput. 4. ſect. 7. & Conimbricenſes ibidem diſput. 6. art. 4.

36 Ducor ad hoc aſſerendũ, quia ſi ſemel admittamus, poſſe exerceri motum localem ab aliquo per ſe motore abſque vllius impulſus impreſſione in rem extrinſecam per ſe motam, pronum erit negare ſimilem impreſſionem, etiam dum corpus primò per ſe motum alia corpora per ſe mouet, cuius oppoſitum affirmat Suarez, & nos ex profeſſo oſtẽdimus contra Pererium libro 8 Phyſic. diſput. 2. quæſt. 1. ſequela patet, nam qua ratione primum corpus motum excipit ſine impulſu à primo mouente, eadem, & ſecundum à corpore primo moto, & ſic deinceps.

37 Quibus adde inſtantiam Angeli detinentis in aere corpus graue, ne deſcendat, cuius detentionis nulla poteſt aſſignari cauſa, quàm impulſus impreſſus ab Angelo, ita ſanè moderatus, vt nec ſuperet grauitatem, & ſurſum corpus moueat, nec ab ea ſuperetur, & corpus deorſum moueatur, ſed ſuſpenſum quieſcat: ergo ſicut hoc præſtat Angelus per impulſum impreſſum in corpus graue, etiam poterit per impulſum impreſſum (& idem eſt iudicium de anima ſeparata) in res extrinſecas, illas mouere localiter (iuxta exigentiam virtutis motricis ſuæ) verſus omnes loci differentias, ſcilicet ſurſum, deorſum, ante, retrò, ad latera, & in gyrum; quia vt ex dictis libro 8. Phyſic. diſput. 2. quæſt 1. num. 8. conſtat, omnes impulſus eiuſdem ſunt ſpeciei, & quantum ex ſe apti mouere verſus omnes loci differentias, & ſolum determinãtur ad mouendum verſus vnã potiùs, quàm verſus alias ex directione impellentis, aut aliquo obice, motui eius interiecto, vt cum pila proiecta in parietem in contrarium reſilit.

38 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondemus, etſi ſpiritibus creatis, vt ſunt Angeli, & animæ ſeparatæ meritò denegemus poſſe producere qualitates, quæ ad generationem, vel corruptionem ordinantur, aut etiam conſequuntur;

Digitized by Google

tur; non tamen ita infæcundos eſſe iudicandos, vt eam ſaltem qualitatem, quæ lationis inſtrumentum ſit, nequeant corporibus ingenerare; aliàs cum ipſa etiam latio quoddam accidens ſit eductum ex potentia materiali ſui obiecti, ab eiſdem ſpiritibus, etiam edi non poſſet, quod eſt abſurdum.

39 Ad primam confirmationem dicimus, ad hoc vt aliqua res ipſum motum lationis ſubeat, neceſſarium eſſe, vt priùs alteretur recipiendo in ſe qualitatem impulſiuam, quia potentia loco motiua non habet immediatum ordinem ad motum, ſed medio impulſu, tanquam inſtrumento ad mouendum requiſito: neque ex hoc infertur, Deum non poſſe aliquid localiter mouere, niſi medio impulſu; quia ſine controuerſia certum eſt, Deum facere poſſe, ſe ſolo, quidquid efficit mediante cauſa efficiente ſecunda, ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis ſit, vt eſt impulſus.

40 Ad ſecundam confirmationem dicito, potentiam loco motiuam corpoream, cum ſolùm poſsit mouere ſubiecta corporea, ad producendū ſolùm impulſum corporeum determinatam eſſe, at potentiam loco motiuam ſpiritualem, vt eſt tam animæ ſeparatæ, quàm Angelorum, cum poſsit mouere tam ſubiecta corporea, quā ſpiritualia, indifferentem eſſe ad producendum, tam impulſum corporeum, quàm ſpiritualem, iuxta exigentiam ſubiecti, quod mouetur. Et hæc de anima ſeparata dixiſſe ſufficiat: quibus toti noſtro curſui philoſophico finem imponimus ad laudem Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, intemeratæque ſemper Virginis Mariæ, ac Seraphici Parentis noſtri Franciſci.

(·?·)

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google